DTU Bibliotek

Denne fil er downloadet fra

Danmarks Tekniske Kulturarv

www.tekniskkulturarv.dk

Danmarks Tekniske Kulturarv drives af DTU Bibliotek og indeholder scannede bøger og fotografier fra bibliotekets historiske samling.

Rettigheder

Du kan læse mere om, hvordan du må bruge filen, på *www.tekniskkulturarv.dk/about*

Er du i tvivl om brug af værker, bøger, fotografier og tekster fra siden, er du velkommen til at sende en mail til *tekniskkulturarv@dtu.dk*

C. Barfoed.
1850.

54*

TEKNISK BIBLIOTEK

Innhold Bind med følgende.

1. De Ortu et Progressu Chemiæ.
2. Hermetis Ægyptiorum et Chemicor: Sapientia
3. Conspectus Scriptorvm Chemicorum.
4. De Usu Plantarum

TB Gl.
540 Bor

KUN TIL BRUG PÅ LÆSESALEN

OLAI BORRICHII,
MEDICI REGII, ET IN ACADEMIA
HAFN. PROF. PUBL.

DE

ORTU,

ET

PROGRESSU CHEMIÆ.

DISSERTATIO.

HAFNIÆ,
Typis MATTHIÆ GODICCHENII,
Sumptibus PETRI HAUBOLD, Reg. Acad. Bibl.
ANNO CIↃ IↃC LXVIII.

Seneca Epist. LXXX.

Pigri est ingenii contentum esse his, quæ ab aliis inventa sunt.

AUGUSTE. PIE.
FELIX.

FRIDERICE TERTIE,
DANIÆ, NORVEGIÆQVE MONARCHA,
DOMINE CLEMENTISSIME.

IN obseqvium mandatorum Sacræ MAJESTATIS TUÆ, reclinat se ad genua AUGUSTA Dissertatio hæc mea, tenuis illa qvidem, & nullis expicta facundiæ coloribus, sed nervis, uti spero, & lacertis se se probatura. Nihil adeo citra

auctoritatem vetuſtam, aut experimenta aſſertum, eoqve nihil citra pulverem; qvòd Ægyptii, Græci, eorumqve aſſeclæ, nobiliſſimæ Artis Magiſtri, cauſariâ qvadam invidiâ rem ambiguis plerumqve ſenſibus circumſcripſerint, non niſi tegendo mentem ſuam revelantes. Ut propterea ſcriptorum antiqvorum cryptæ adeundæ mihi fuerint, & latebræ illorum qvaſi indagine cingendæ, nè occultatæ ibi feræ, me inconſulto, elaberentur. Unde ſi in opere [poſtrigidum eruditiſſimi CONRINGII tribunal contra HERMETEM, ejusqve Scholam erectum] argumenti pæne deſperati minùs implevero exſpectationem, purgabunt crimen raptim, & inter occupationes feſtinatæ vindiciæ,

diciæ, purgabunt ineluctabiles pæne rei abstrusæ, & à vulgo semotæ difficultates, purgabit scriptorum antiqvissimorum parcissimè loqvax taciturnitas. Sed nihil horum absterrere me debuit, invitante ad conandum rei majestate, & Miltiadis trophæis somnos interpellantib⁹. Qvem verò Miltiadem? qvæ trophæa? Habent & Musæ, AUGUSTE, sui generis trophæa, habent & Duces suos, qvorum vestigiis inhæresçant. Ego laudes PETRI SEVERINI, popularis mei, Archiatri qvondam FRIDERICI SECUNDI, Danorum Regis glorioſissimi, in Chemiâ partas mihi propono, cujus cùm vita admirabili nescio an astrorum, an fati temperamento meæ consentiat, enitendum

mihi, ut si non profundiùs intrem arcana Naturæ, saltem captui hominum accommodatiùs; enitendum, ut qvam ille totâ Europâ lauream collegit, culpâ meâ non deteram, si præ hebetatione genii non assequar. Illum literaria Ripensium palæstra ad Academiam Hafnienſem misit, me eadem. Illum Philologicæ Professioni publicæ, anteqvam exterum calcâsset solum, admovit indulgentia magni Regis FRIDERICI SECUNDI, me indulgentia magni Regis FRIDERICI TERTII. Illum postea ardor penetrandi altiùs Naturam rerum in peregrinas Academias, & amœniora Europæ evocavit, iisdem superioris seculi annis, qvibus me hoc seculo rapuit impetus idem. Illum

post

post contractas cum Viris sapientibus familiaritates, post inspecta penitiùs Naturæ interiora reversum in Patriam fovit FRIDERICUS SECUNDUS AUGUSTUS, inter Medicos suos cooptavit, & gratiâ, favoreqve Regio ad extremum vitæ prosecutus est, me cùm in avito solio major FRIDERICUS TERTIUS AUGUSTUS simillimâ clementissimè honorârit gratiâ, nihil restat optandum impensiùs, nihil certiùs sperandum, qvàm ut fati illius SEVERINIANI perennitas in me qvoqve ad extrema vitæ perduret. In qvo voto, spe plenus finio, & MAJESTATEM TUAM,

AUGU-

DEDICATIO.

AUGUSTE, cum universâ hæreditariâ, AUGUSTAQVE domo, Deo, & Matri Naturæ ex animo commendo.

SACRÆ MAJESTATI TUÆ

intimè devotus

Civis

OLAUS BORRICHIUS.

VIRO Clarissimo,
DN. OLAO BORRICHIO,
Apollinis, & Hermetis delitio,
intimo Amicorum.

CHemica dum primo vocat incunabula ab ævo
BORRICHII svetâ dexteritate stylus,
Secla per, & gentes seqvimur, modò in ardua Memphis
Fana, modò in Grajos, Romulidumq; lares;
Inq; Arabas, Serumq; domos, atq; Hispalis arces,
In Seqvanam, & Tamesin, Teutonicumq; solum.
Spectamus Phariis penetrata arcana Monarchis,
Spectamus Græco continuata gregi,
Spectamus genii decus indelebile Gebri,
Et Lullî artifices, Rogeriiq; manus.
Restat adhuc spectare unum, æternumq; vovere
BORRICHIO, ut meruit, fata gemella meo.

ABBAS BOUCAUD,
El. & Consiliar. Regis Christianissimi.

Hagæ Com.

Ad

VIRUM

Experientissimum, & Celeberrimum,

DN. OLAUM BORRICHIUM,

MED. DOCT.

Medicum Reg. & Prof. Publ. Hafn.

de Ortu, & Progressu Chemiæ

commentantem.

HActenus ignaris lacerantur Chemica lingvis,
Ceu vana, & secli ceu Muhamedis opus:
Altiùs exsculpis primordia, plene Deorum
Borrichi, & seclum diluviale tonas.
Pleniùs enodas studii emolumenta Spagyri,
Nota Machaonio satq́, superq́ choro;
Dulcia fulmineo, cùm sævit pulvere, Marti,
Inq́ metalliferis suspicienda scholis.
Parva loqvor: Natura illi se subjicit arti,
Aut hoc, aut nullo nuda videnda modo.

Macte

Macte istoc genio, lux jam devota Trioni,
Lux aliis pridem sollicitata procis.
Non Tibi sat critico Latium illustrare cerebro;
Non sat carminibus demeruisse polum;
Non sat in humano scrutari viscere Divos;
Non satis in Floræ regna tulisse pedem;
Non satis ægrotos, & corpora proxima cymbæ
Phœbéâ toties restituisse manu;
Non satis in claro Spartam exornare Lycéo,
Sive orare decet, sive docere juvat;
Non satis artifici Naturam interprete flammâ
In nova qvottidie sollicitare Deam.
Scribere ad hæc properas, & Chemica ab ungve popelli
Robusto dulce est asseruisse stylo:
Perge tuum Hermetem scriptis defendere, & Hermes
Ipse suo tandem corpore gratus erit.

CHRISTIANUS LANGERMANNUS
Hamburgi. Phil. & Med. Doctor Hamburg.

ARtibus occultis Chàmi, veterisq; Canopi
Secretis nova lux, & nova vita redit.
Parciùs Argivi miramur Osiridis aras,
Mystica miramur parciùs, Isi, tua.
Cura Sacerdotum sacra qvæ Memphitica texit,
Sensimus in docto planiùs orbe legi.
Hermetis delubra patent, & Lemnia fana,
Et Pelusiacæ dogmata sacra scholæ.
Non potuit Phariis claudi Natura catastis,
Pluribus in terris debuit illa coli:
Non his arcanis sat erat Mareötica Memphis,
Non satis his Mystes unus, & alter erat.
Borrichius reliqvos facundo prædicet ore:
Cimbria Borrichio gaudet, ovatq; suo.

Aurelius G. Benzonius.

Regi-

REginam Artium Chemiam, censuris vulgi jam diu superjorem, inq; magnis Regum, Principum, & excitatissimi cujusq; ingenii animis semper magnam, clarissimum illud sapientiæ & potentiæ Divinæ in rebus creatis monimentum, & veram ad cordatè, solideq; philosophandum compendiariam attingere jubeor, *Audit.* & cum aliis Naturæ Consultis meam qvoqve symbolam, utcunqve tenuem conferre, ut conservatrix illa hominum Medicina, ultra consvetas pharmaceuticarum præceptionum columnas, in majus, venerabiliusq; fastigium sensim provehatur: ita volente Sacrâ MAJESTATE REGIA, nè qvid profuturum seculis, nè qvid procurandæ hominum sanitati conveniens, diu, qvantum incumbens humanæ menti caligo permiserit, ignoretur; nè audiat Hafnia similia Londini jussu Regio attentare *Boyleum*, Parisiis *Gobelinium*, Florentiæ *Talduccium*, Romæ *Vulpianum*, Venetiis *Ludovicum de Comitibus*, Argentorati *Bezam*, Lipsiæ *Michaelium*, Jenæ *Rolfinckium*, Moguntiæ *Rappium*, Heydelbergæ *Faußium*, alibi alios, & ipsa interea ad contemplandum Naturæ lumen oculos segniùs intendat. Qvamqvam autem Artium nobilissima immensis obsepta difficultatibus adeuntes exterreat, & non rarò præcipitet, non illud tamen Chemiæ crimen interpretandum, sed

Qvinam hodie tractent Chemica accuratiùs?

nimia audentium, sed immoderata conantium. Penelope est, *Audit.* Chemia, cujus nuptias ambiunt non prudentes tantùm, sed & sæpe stolidi, ignari, ebriosi, inconsulti, in qvorum gremium nec fierit Astræa, ut pulcherrima Dearum cum totâ dote suâ se se reclinet. Si cujusqvam spem frustrata est, noverit illam immodicos spei odisse, noverit Eleusin non omnibus sua recludere mysteria, noverit Clodio lethale fuisse, in sacra Bonæ Deæ vel irrepsisse furtim. Theatrum suum aperit Chemia amplissimum, venustissimum, omni animalium, herbarum, arborum, mineralium, metallorum genere expictum, illâ jubet amatores suos qvoscunqve in aulâ se se jactare, & pro virili nunc oleorum pingvia, nunc subtilia spirituum, nunc salium acuta extrahere, censere, temperare, vocare ad usum; si qvod interius ipsi lararium est, eò penetrâsse Dis genitis duntaxat concessum, irruisse profanis semper damnosum fuit, eritq;. Fidem vestram, *Audit.* si qvis precariò in magni Principis Aulam peregrinator admissus spectaret hic peristromatum ingeniosè belluatorum selectissima, illic Apellæas cum Naturâ ipsâ certantes picturas, istic marmorum, statuarum, artificiorum lectissimam farraginem, alibi qvicqvid volat in aëre rarum, qvicqvid natat in aqvis inusitatum, qvicqvid in subterraneis scintillat admirabile, clausâ duntaxat unius tablini januâ, qvæ ad Phœnicem Assyrium contemplandum duceret, ingratumnè hospitem judicaretis si eo nomine stomacharetur, & ad convitia descenderet? at qvanto ingratiores esse non paucos Penelopes hujus sponsos putandum, qvi imaginariâ meditationum freqventium, & profundarum molestiâ averti, qvi necessariâ laborum patien-

Cur Chemia non respondeat votis omnium?

tiâ

tiâ fatigati, vix digni Penelopes ancillis æstimandi, ad Dominam intempestivè viam affectant; nec contenti herbarum arborum, animalium, mineralium viscera inspexisse, in penetralia intima mortalibus plerisq; fatali lege inaccessa se non è vestigio admitti indignantur, & frustrante exspectationem fortunâ stylum vertunt in artis opprobrium, Naturæ Matri optimæ culpam impingentes, qvam vel fato suo, vel inconsulto debent labori. Ingemiscit qvidem indulgentissima Parens, dum toties observat primigeniam filiarum Chemiam, [qvæ terris commodata est in nullius injuriam, salutem omnium] scopulum patrimoniorum audire, & imperitissimi cujusqve vapulare dicteriis, sed solatur se iterum bene meriti conscientiâ, concoqvendas monet istas ad præclara contendentibus delitias, neq; enim aliud magis ad gloriam Artis excellentis pertinere, qvàm contemni à turbâ, & allatrari, certa neqve Lunam similes poppysmos aliter confutare, qvàm lucendo, nec Jovem desinere beneficiorum, qvamvis nunqvam simul placeat universis. Ad rem Naturæ genius *Hippocrates de Arte: Sunt*, inqvit, *qvi artem putant, reliqvas artes turpiter incessendo dehonestare: atqvi id qvidem, qvod putant, non exseqvuntur, sed propriam cognitionem ac scientiam ambitiosè ostentant. Mihi verò invenire aliqvid eorum, qvæ inventa nondum sunt, aut semiperfecta ad finem perducere, scientiæ votum, ac opus esse videtur.* Hoc Chemiæ institutum est, *Audit.* ad certiora, ad evidentiora res Naturales provehere, nè pensilis ampliùs sit Philosophia, nè in eodem semper vestigio hæreat Medicina, sed protollat gradum, & torosior, robustiorqve tradatur posteritati, ab illâ qvoq; ulteriùs promovenda. Si qvis à Chemiâ majora

Qvodnam Chemiæ institutum?

sibi spondeat, faciat id suo periculo, & Dis suis vel iratis, vel benignis, naufragum multis pelagus ingrediatur. Stabimus nos interea in Deæ limine, & fortunatis, sublimioribusqve ingeniis sublimia ejus relinqventes Magisteria, qvid polliceatur moderata Chemia attentis, industriis, laborum cupidis, tribus verbis contemplabimur. Medicinæ qvantum in eâ præsidii vel ex eo liqvet, qvòd nec aqvam qvidem stillatitiam, tam necessarium pharmacis vehiculum, nec oleum ad balsama generosum, nec salem illum plantarum, tot febrium debellatorem, nec spiritus ad cor roborandum excitatissimos, cessante Chemiâ, qvisqvam produxerit. At enim pharmaca Chemicorum venenata sunt, periculosa, drastica, violenta, nidorem ingratum redolentia, eoqve planissimè abdicanda. Cæterùm ignis Chemicus, *Audit*, venenum, si qvod adest, facilè invertit, corrigit, periculum arcet, violentiam obtundit, empyreuma castigat, addit vim, gratiam, saporem, efficaciam. Proinde in manu sapientis pharmaca Chemica periculo omni vacant; in insipientis, etiam Galenica totidem gladii sunt in dextris totidem furentùm. Qvòd si ergo capiti dolet, succurret Chemiâ, & providâ medendi methodo Duce, efficacissima Lunæ tinctura; si cordi langvor obrepit, medebitur poculentus solis liqvor; si hepar, lienem, pancreas, mesenterium oppilaverint pertinaces humorum discurrentium grumi, nil Martis extracto efficacius, nil minus periculosum; si renes, aut vesicam tentaverit obstructio, expeditur à Spiritu Veneris; si Neapolitana lues totum corpus obsederit, & invaluerit morâ, conclamata jacet salus ægri, ni fumi succurrerint Mercuriales; si utero molesta est inqvies, pacabitur

succo

ſucco Jovis; ſi membra exteriora in tumorem elevârit inflammatio, à ſoluto Saturni ſale innoxium ſpondetur auxilium. Qvis ardentia febrium hodie coercet, niſi ſpiritu ſalis, ſpiritu Vitrioli, ſpiritu ſulphuris in ſubſidium vocato? qvis facilè acceſſionum initia ſiſtit ſine lixivis plantarum ſalibus? qvis animi deliqvia ſine cephalicis ſpiritibus ſuſpendit? Actum eſt de remediis generoſis, jucundis, delicatis, niſi Chemiæ ſupplicemus: qvis fert hodie, niſi exſurdati, exoletiq; palati ingratas illas Hippocraticas potiones, illa faſtidioſa *Galeni* cathartica? nam Chirurgia, ut omnes reliqvi *Paracelſum* flagellent, tantum ſe debere fatetur ejus ſtipticis, oppodeldochis, balſamis, ut ſolvendo non ſit unqvam. Taceo tot ex talco, Mercurio, biſmutho cosmetica: tot ex ſtillatitiis oleis, liqvoribusq; ungventa: tot Taurinenſes Rores Solis, tot embryonum balſama, tot vitæ elixiria, qvæ ad Chemicos ignes natales ſuos referunt univerſa. Sed parum eſſet Chemiæ in Medicinâ dominatum ſibi polliceri, niſi pleniori in aliis qvoq; artibus, poteſtate imperaret. Qvid bella hodie gubernat, niſi Chemicus ex nitro & ſulphure pulviſculus? qvid muros disjicit? qvid per ſubterraneos cuniculos urbes evertit? qvid artifices ignium globos, nunc ſtellantes, nunc literatos, nunc aliis minoribus fœtos in aëre ſuſpendit, niſi Chemici pulveris ingenium? Non fregerit Hannibal toto Africæ aceto Alpes maritimas, [qvicqvid etiam *Livius*, *Plutarchus*, *Silius*, *Juvenalis* pertendant, *Polybio* non fruſtra tacente] qvæ modico pulvere pyrio disrumpentur. Tricabitur diu *Archimedes* cum illâ Hieronis coronâ, nec certum conſtantemqve ſibi ſpondebit eventum, qvod accuratè ab *Erckero* demonſtratum,

Generoſa remedia ſuppeditat Chemia.

Paracelſi Chirurgica.

Uſus Chemiæ patentiſſimus.

ſtratum, Chemicus qvadrante horæ factum reddet indubitabile. Artificum in temperando ære Corinthio impoſturam, & ſpurios crateres argyro Corinthos nemo Qviritium potuit detegere, nunc evigilante Chemiâ etiam Romæ deprehenſum mihi, in operis Corinthii numismatis à me ad examen vocatis, nè vel micam auri, argentivè fuiſſe remiſtam. Non memorabo *ſaturos encauſtorum colores;* ſmalta & amauſa vocant, non *Kuffleri* purpuram, non Muſivaria rari generis, non aſcititias oſſium, dentium, lignorum, marmorum, gemmarumqve tincturas, qvæ veris invidiam faciant coloribus, non imagines aqvæ ſtygiæ mordacitate metallorum laminis impreſſas, Chemicorum utiqve inventa omnia; contentus adjeciſſe in longinqvis ad Indos navigationibus mortiferæ illi dulcis aqvæ penuria haud aliàs occurri ſecuriùs, qvàm ahenis Chemicis aqvam ſalſam in inſulſam deſtillando convertentibus. Neqve, opinor, niſi incommodiſſimè vixerint olim Poloni, Lithuani, Ruſſi, Sveci, Lappones, Islandi ante natam in Septentrione Chemiam, qvando vitam hodie ſine ſtillatitio vini, frumentiqve liqvore tranſigere, mortis genus interpretentur. Sed levia ſunt, qvæ tetigi, *Aud.* majus qviddam eſt, admirabiliusqve, qvòd inter mundanas ſcientias nulla propiùs accedat ad contemplandam in Naturâ Divinitatem, nulla profundiùs inſpiciat opera manuum Dei, nulla magis cum Scripturâ Sacrâ concordet, ut non fruſtra qvoqve proverbio jactetur, *Chemiam*, ubi in hominem prudentem inciderit, *vel* eum *pium invenire, vel facere.* Tradit Spiritus Dei *II. Pet. III.* terram hanc, qvam calcamus, ex aqvis fuiſſe compactam: adſtipulatur Chemia, oſtendens

Sine Chemia incommodè vivitur in Septentrione.

Chemia viſcera naturæ ſcrutatur.

Chemia cum ſacris literis concordiſſima eſt.

dens hodieqve ex puriſſimâ illâ plebeji uſus aqvâ terram produci. Tradit Spiritus Dei Deuteron. XXXIII. *beatam eſſe regionem, propter nobilem à cœlo, & rore fructum, propter nobilem Solis, Lunæq; fructum.* Sed qvid in aëre à Sole & Lunâ præparetur, cùm vulgares oculi nil niſi aqvas videant depluere, ſolus Chemicus demonſtraverit, oſtenderitqve coràm, aqvas non eſſe niſi vehiculum, & in aqvis illis rectorem, nutritoremqve latere. Et qvis alioqvin absqve hoc meteororum inaſpecto plebi Magiſtro foret, illud *Eſaiæ* LV. convenienter expediret: *Sicut pluvia, & nix de cœlo deſcendunt, fœcundantq; terras, neq; redeunt in cœlum*, &c. Aut enim vehementer fallor, aut depluentes aqvæ vapores vel poſtridie, cœlo calidiore, redeunt, ut neceſſe ſit aliud unâ demitti, qvòd ita promptè non revertatur. Tradit Spiritus Dei *Job.* XLI. Ex ore Behemothi exire faces, candentesqve ſcintillas; tradit *Eſa.* XXX. anhelitum Domini eſſe inſtar fluminis ſulphurei; tradit *Pſal.* XIIX. exiiſſe ex ore Domini ignem conſumentem: tradit *Apocalyp.* IX. ex eqvorum ore prodiiſſe ignem, fumum, ſulphur; illuſtrabit rem Chemicus, ex animalium, ex humano etiam anhelitu oleum, ſive ſulphur flammas concipiens non difficulter evocaturus. Tradit Spiritus Dei *Matth.* V. & *Luc.* XIV. ſalem vires ſuas poſſe amittere, tradit *Marc.* IX. ſalem qvandoqve reddi inſulſum; id qvis præter Chemicum fieri poſſe coràm demonſtrabit? Tradit Spiritus Dei *Job.* XXVIII. cùm ſapientia ubiqve qvæſita inveniretur nusqvam, tandem mortem, perditionemqve exclamaſſe, ſibi verò rumorem ſapientiæ auditum eſſe; tradit *Job.* XII. niſi emoriatur granum tritici, nullum ſperari fructum; enim-

vero

verò hæc prima Chemiæ, & indubitata fundamenta sunt, *Aud.* interficienda esse, & in putredinem laxanda plantarum, animalium, mineralium corpora, antequam nobiliorem sibi nucleum patiantur extorqveri. Tradit Spiritus Dei I. *Petr.* I. aurum, & argentum esse φθαρτὰ, & corruptioni obnoxia; negabit vehementer argentarius faber, solus Chemicus affirmabit, & ostendet. Tradit Spiritus Dei *Actor.* II. & *Apoc.* VI. Solem in tenebras vertendum, Lunam in sangvinem; qvod licet de cœlestibus illis luminibus duntaxat intelligendum sciamus, non satiamur tamen & oblectatione, & admiratione, notantes Soli & Lunæ Chemicorum inter labores contingere pæne similia. Et qvid? qvi Pater scripturæ est, Pater qvoqve est Naturæ; unde architecto de qvavis fabricâ suâ judicanti fides injustè derogaretur. Occupavit *Valesius* argumentum hoc *lib. de Sacrâ Philosophiâ* non indecorè, sed ita ut spicilegium aliis reliqverit messe suâ fœcundius. Nec infeliciter *de Gemmis Sacræ Scripturæ* commentatum cernimus *Rueum*. Ut *Aderium de morbis in Evangelio* descriptis, aliosqve Naturalem historiam, in sacris literis attactam expendentes sciens prætermittam. Sed ista veneraudæ Theologorum orchestræ relinqvimus, & ut nostrum perseqvamur institutum, de Chemiæ Ægyptiacæ, secretiorisqve origine, progressu, fortunâ per orbem, præfari hodie qvædam decrevimus, anteqvam proximè, fortunante Deo, elementa Chemiæ jatricæ publicè docenda exordiamur, interea qvem ab ingenio neqvimus, ab humanitate vestrâ; Honoratissimi *Auditores*, exspectamus favorem, attentionem.

Che-

CHemiæ incunabula in antiqviſſima proſpiciunt tempora. Natam ante diluvium ex Tubalcaini [qvi aliis Nationibus Vulcanus eſt] hiſtoriâ ſagaciores colligunt, eo inducti, qvòd ferri, æriſqve metalla, illa Tubalcaini Magiſteria inveniri, fingi, formariq; neqveant, nî ratio priùs cognoſcatur, minerarum naturas inveſtigandi, coqvendi, purgandi, ſegregandi; qvæ univerſa reperire non niſi Divini ingenii eſt, reperta autem proſeqvi, fabri cujusvis proletarii. Neq; enim inficiandum, plus non modò laboris, ſed &, qvod præponderat, plus ſubtilis genii ad metalla æris mallei ictibus reddenda obedientia reqviri, qvàm ad illa auri, argentiq;; qvòd etiam rudis & terreſtribus involuta mixturis auri gleba uno, alteróve cum igne conflictu tranſeat in purum, putumq; obryzum; & ſi *Pſalmum Davidis* XI. malumus, ſeptem deniq; excoctionibus in abſolutæ perfectionis ſtatum provehatur argentum; cùm terrea æris gleba, qvod *Erckero*, *Agricolæ*, & qvotidianis Pyracmonum metallicorum credimus experimentis, non ante duodecimos ignes vel malleo legitimè obtemperet, vel Mercatori ſive juſto colore, ſive ductili tenacitate probetur. Qvanqvam autem hodie metallurgi etiam in Chemicis parum exerciti, metalla ex mineris permiſtis facilè excoqvant, Magiſtro viam præeunte, neceſſe tamen, primum Inventorem, Magiſtrumq; Chemicum eſſe; ita hodie pyrium illum pul-

Chemia

à

Tubalcaino inventa, & &

verem qvivis è circulo Carbonarius præparaverit, *Bertholdo Swartzio* Chemicô, poſt *Rogerium Baconem*, pedum viam oſtendente; qvem ante, ſolida qvinqvaginta, & hoc amplius, ſecula ignoravere. Nec niſi à *Cornelio Drebbelio* Chemico profectus eſt vel vitri calendarii, ſeu thermoſcopii uſus, vel egregii coloris igneì (Scarlatto Italis dicti) qvo ſuperbiunt panni Belgici, inventum, cùm utrumq; nunc pari felicitate plebeji imitentur artifices. Scilicet, *Audit.* primi rerum inventores inter infinita diverſiſſimi generis experimenta ætatem conſumunt, anteqvam ſolidam artem, & ſtabilem, perpetuoq; exſpectationi reſpondentem abſolvant. Qvamvis proinde res ipſa loqvatur Tubalcainum, hoc eſt, judice *Voſſio*, *Bocharto*, & ipſâ vocis ſimilitudine perſvadente, Vulcanum primum, ſupra illa æris, ferriq; magiſteria experiundo proceſſiſſe, juverit tamen in complementum ratiunum, veraciſſimum Scriptorum *Diodor. Siculum* audire. qvi à peregrinatione Ægyptiacâ redux ita *Antiqvit.* Lib. V. Η' φαισν ὃ λέγουσιν εὑρετὴν γενέσθαι τῆς περὶ τὸν σίδηρον ἐργασίας ἁπάσης, καὶ τ περὶ τ χαλκὸν, καὶ χρυσὸν, καὶ ἄργυρον, καὶ τῶν ἄλλων, ὅσα τῶν ὑπὸ τὸ πυρὸς ἐργασίαν ἐπιδέχεται· καὶ τὰς ἄλλας ὑ χρείας τὰς τὸ πυρὸς ἁπάσας παρεξηυρῆν, ἢ παραδῶναι τοῖς τ τὰς τέχνας ἐργαζομένοις, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἀνθρώποις i. e. *Vulcanum ajunt inventorem eſſe omnis illius circa ferrum, & æs*, & aurum, & argentum operationis, omniumq; cæterorum, qvæ ignis actionem recipiunt. *Qvin & religvos omnes ignis uſus adinveniſſe, atq; tum artificibus, tum aliis omnibus hominibus communicâſſe.* Conſpirat Homerus *Odyſſ.* o.

qvæ ra-

tio hoc

ſvadeat;

Δώτω

Δώσω τοι κρητῆρα πετυγμένον, ἀργύρε῾ῳ ἧ
Ἔπι ἄπας, χρυσῷ δ' ἔπι χείλεα κεκρύφαντμ,
Ἔργον δ' Ἡφαίστοιο — — — i. e.
Craterem tibi donabo mirâ arte paratum,
Argento ex solido, labra undiq; circuit aurum,
Vulcanus fecit. — — —

Aurum enimverò fuisse jam statim ab initio, vel terra Hevilath *Gen.* XI. abunde docuerit. Qvin & artes Vulcani etiam circa aurum, aut qviddam ei simile, curiosiùs tractandum occupatas fuisse, sublime illud *Pindari* ingenium jam olim subolfecit, Ὀλυμπ. ζ. Βρέχε θεῶν βασιλεὺς ὁ μέγας χρυσαῖς νιφάδεσσι πάλιν Ἀφαίστε τέχναισι i. e. *irrigavit magnus Deorum Rex urbem* (sc: Rhodum) *nivibus aureis, Vulcani artibus.* Hic qvi corticem tantùm rerum intuentur, præter fabulæ contemnenda deprehendunt nihil; qvi autem oculorum altero venerandam inspiciunt Antiqvitatem, altero Naturam rerum, magnum inde exsculpunt Naturæ mysterium. Enimvero in nivibus illis plebi calcatis oleum latere aurei coloris, qvod terris fœcunditatem immulgeat, non difficulter Vulcani ope ostender Chemicus sagax, si istuc impellat necessitas. Nec ab re *Pindarus* iterum Ὀλυμπ. ζ. ingeminavit: χρυσῷ νίφοντα τὸν φέριστον Θεῶν. Qvò fabulam Danaës de Jove in pluvium aurum converso, inq; gremium amatum depluente trahant, qvibus vacat, & cum ingeniosâ *Sappho* χρυσὸν παῖδα Διὸς appellent, dum ego ad Tubalcainum, sive Vulcanum revertor; qvi non utiq; de nihilo Chrysor dictus est *Philoni Byblio* ex *Sanchuniathone* apud *Eusebium*; neq; sine ratione nobilissima Chemiæ palæstra Memphis in templo Vulcani, ex *Zosimo Panopolite*, *Eusebio*, *Synesioq;* diu efflоruit.

Zosimus autem ille *Panopolites*, antiqvissimus Scriptorum Chemicorum *Conringio* æstimatus, Chemiæ exordia, ut diluvio priora, libro ἰσθμὸς inscripto ad Angelos ἐγρηγόρους referre videtur. Verba *Zosimi*, qvæ juxta mecum in Manuscriptis Biblioth. Reg. Parisinæ exstantia legit, adeoq; in notis ad *Eusebii Chronica* jam ante exptessit Scaliger, ita habent: Φάσκουσι αἱ ἱεραὶ γραφαὶ, ἤ τι εἶδος, ὦ γύναι, ὅτι ἐστί τι δαιμόνων γένος, ὁ χρῆται γυναιξίν. Ἐμνημόνευσε καὶ Ἑρμῆς ἐν τοῖς Φυσικοῖς, ἡ σχεδὸν ἅπασα λόγου φαντασία καὶ ἀπόκρυφος τοῦτο ἐμνημόνευσεν. Τοῦτο δὲν ἔφασαν αἱ ἀρχαῖαι καὶ θεῖαι γραφαὶ, ὅτι Ἄγγελοι ἐπεθύμησαν τῶν γυναικῶν, καὶ καταλήξαντες ἐδίδαξαν αὐτὰς παίσας τὰς τῆς φύσεως ἔργα, ὧν χάριν ἐκτὸς κρίσεως ἔξω τοῦ ἐρανοῦ ἔμειναν, ὅτι πάντα τὰ πονηρὰ, καὶ μηδὲν ὠφελοῦντα τῷ ψυχῷ, ἐδίδαξαν τοὺς ἀνθρώπους. Ἐξ αὐτῶν φάσκουσιν αἱ αὐταὶ γραφαὶ, καὶ τοὺς γιγάντας γεγεννῆσθαι· ἔστιν δὲ αὐτῶν ἡ περὶτη παράδοσις χημᾶ. ὡς ἐκ τούτων τῶν τεχνῶν ἐκάλεσαν ἢ ταύτῃ τῇ βίβλον χημᾶ· οὕτω καὶ ἡ τέχνη χημία καλεῖται. i. e. *Dicunt, ô mulier, Sacræ Scripturæ, sive libri esse geniorum aliqvod genus, qvod mulieribus utitur. Meminit & rei hujus Hermes in Physicis, & ferè omnis doctrina cùm manifesta, tum apocrypha illud ipsum memorat. Hoc ergo memorant Veteres & Divinæ Scripturæ, qvòd Angeli cupidine mulierum inescati edocuerint illas omnia Naturæ opera. Hinc offensâ contingente, extra cœlum mansere, qvòd mala omnia, & animæ nil profutura homines docuissent. Ex illis natos Gigantes tradunt eadem Scripturæ. Est igitur prima eorum traditio χημᾶ, de his artibus: appellarunt autem librum illum χημᾶ: hinc & ipsa ars* Chemia *vocatur. Chema* Arabibus ex *Bocharto* est occultare, qvia scilicet Chemiæ ars occulta. Non dissimilia excidere *Clementi Alexandrino, strom. qvinto*, nisi qvòd à voce *Chemiæ* temperet: Παραθήσομεν, inqvit,

Qvid tradat Enochi Scriptum de Chemiæ Inventoribus, qvid Cleomeus Alexandrinus,

ὡς

ὡς οἱ Ἄγγελοι ἐκεῖνοι οἱ τὸν αὐτῶν κλῆρον ἐλληχότες καταλιθήσαντες εἰς ἡδονὰς, ἐξέφηνε τὰ ἀπορρήτα παῖς γυναιξὶν, ὅσα τις εἰς γνῶσιν αὐτῶν ἀφίκετο, κρυπτόντων τῶν ἄλλων ἀγγέλων, μᾶλλον δὲ πηρούντων εἰς πίστιν τὴν Κυρίου παρουσίαν· ἐκεῖθεν ἡ τῆς προνοίας διδασκαλία ἐρρύη, καὶ ἡ τῶν μετεώρων ἀποκάλυψις i. e. *Adjiciemus qvemadmodũ Angeli illi, qvibus suprema sors obtigerat, ad voluptates delapsi mulieribus aperuerint retinenda illa, qvæ ad ipsorum pervenerant cognitionem, aliis inter a Angelis occultantibus, sive potius in adventum Domini conservantibus: illinc providentiæ doctrina profluxit, & rerum sublimium manifestatio.* Credibile utrumq; ex lacunis Apocryphis *Enochici libri* istæc hausisse, & tantillum interpolâsse: eò enim ducunt verba personati illius *Enochi* ex *Syncello* per *Scaligerum* in *Eusebiano opere* confidenter allata: Καὶ ἐδίδαξαν (sc. Angeli ἐγρήγοροι) ἑαυτοὺς καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν Φαρμακείας καὶ Θραυσίας. Πρῶτος ὁ Ἐζαὴλ ὁ δέκατος τῶν Ἀρχόντων ἐδίδαξε ποιεῖν τὰς μαχαίρας, καὶ θώρακας, καὶ πᾶν σκεῦος πολεμικὸν, καὶ τὰ μέταλλα τῆς γῆς, καὶ τὸ χρυσίον τῶς εἰργάσαντο, καὶ πήσασιν αὐτὰ κόσμια ταῖς γυναιξὶν καὶ τὸν ἄργυρον· ἐδίδαξαν δὲ αὐτὰς καὶ τὸ στίβειν, καὶ τὸ καλλωπίζειν, καὶ τὰς ἐκλεκτὰς λίθους. *Et docuerunt ipsos, fœminasq; ipsorum venenorum temperamenta, atq; carmina, qvæ noxia averruncarent. Primus Hexael, decimus Principum, docuit artem conficiendi gladios & thoraces, & omne instrumentum bellicum, metalla etiam terræ, & qvomodo aurum tractent, argentumq;, ut pulchra fœminis videantur. Docuerunt ipsos qvoq; splendidum, speciosumq; reddere vultum & electos lapides.* Non discordat *Tertullianus*, de cultu fœminarum, c. X. *Angeli peccatores*, inqvit, *illecebras detexerunt, aurum, argentum, & opera eorum tradiderunt, etiam calliblepharum, vellerumq; tincturas inter cætera docuerunt, damnati à Deo, ut Enoch refert.* Verum enimverò in eo tum

qvid Tertullianus.

Clem. Alexandrinum, tum *Zosimum*, tum denìq; *spurium Enochum* (genuinum *Enochi* scriptum magnæ veneratiin qvo onis in Æthiopiâ exstare *Duretus* tradidit: sed qvod memorabile, *Eupolemus* apud *Eusebium* docet Astrologiam ab Enocho perveniſſe ad Abraamum, à Mathusallan- salemo ad Enochum, ab Angelis ad Mathusalemum. De *Enochi* libris varia *Aldrete*) à vero deflexiſſe constat, qvòd temerarios illos Angelos à filiis Dei, hoc est Patriatur. archarum, diluvio superiorum liberis nescierint discernere: neq; enim Angelorum fuerit, in qvacunq; tandem illos reponas orchestrâ, mulierum amoribus irretiri, & Samsonis exemplo pellices in arcanorum suorum admittere conscientiam. Ut adeoq; nihil vero sit propius, qvàm Angelos hos, id est, Sethi, Tubalcainiq; Nepotes, proborum Parentum improbos filios, cùm à Patribus reticenda Naturæ mysteria edocti essent, Cainitidarum meretricum victos amoribus intempestivâ garrulitate Majestatem secretorum profanâsse, eoq; inter alia iram in se accendiſſe Numinis. Verùm largiretur aliqvis liberalior *Zosimo*, *Clementiq;* geniis ἐγκύκλιος initia Chemiæ in terras propagatæ accepta esse referenda, nihil adeo hoc obesset artium Reginæ; cùm novisse eam, qvam primos Auctores à Deo agnoscunt didiciſſe, magnis illis mentibus vitio neqvaqvam vertatur, sed cognitam scelestâ futilitate divulgâsse. Neq; verò gladios, & aheneos thoraces, & cætera bellandi instrumenta paraviſſe crimini cuiqvam imputatur; neq; gemmas expolire, metalla pretiosa excoqvere, calliblepharon temperare, in erubescendis hodie numeratur artibus, qvæ artificia tamen eorundem ministerio Angelorum in terras demigrasse *Enochi* Scriptum asseverat. Et

qvid

qvid demum id detraxerit Oratoriæ facultati, qvòd ſerpens antiqvus eloqventiſſimè olim, & primus omnium rhetoricatus ſit. Qvodſi proſcribenda, qvæ ab Angelis qvibuscunq; vel per ſomnos monſtrata, magnum hodie pharmacorum ſalutarium amputaremus numerum, qvod ut proclive, ita alieni operis, & ſupervacui foret ex nocturnis ægrorum in templis Æſculapii, Serapidis, Iſidis incubationibus, apud *Ariſtophanem*, *Plautum*, *Ciceronem*, *Jamblicum*, *Philoſtratum*, *Herodianum*, *Pauſaniam*, *Strabonem*, *Servium*, *Galenum*, *Celſum*, *Aëtium*, alios demonſtrare. Adeo enim non improbari Deo illud mitigandorum metallorum artificium, ut ſacro Numinis ſpiritu gubernante perdiſcatur, atqve adoleſcat, facilè confecerint illa *Exod:* XXXI. *Dixit Deus Moſi, vocavi Beſeleel filium Uri, filii Hur, ex tribu Juda, impleviq; eum ſpiritu Domini, & ſapientiâ ad excogitandum qvicqvid fabreſieri poteſt ex auro, & argento, & ære, marmore & gemmis & diverſitate lignorum.* Liqvet hinc opinor, *Audit*: ipſo Numine Magiſtro artem ingeniosè tractandi metalla velut inſpirari, non plebejo alicui Zebulonitæ, aut Gaditæ, ſed nobili ex ſtirpe Regiâ, ex Judæ tribu cerebro.

Metallica ars ingenioſior à Deo promovetur.

A diluvio artem Chemicam in Chami familiâ aliqvamdiu delituiſſe multa perſvadent. Ut præteream *Kirckerum in Obel. Pamphyl.* ex Veteribus oſtendentem, Chamum nobiliores artes cataclysmo ſuperiores laminis metallicis inſcriptas ſecum in fatalem arcam traduxiſſe, *Manethonem* vetuſtiſſimum ad partes vocare alienum non fuerit. Is ergo *Manethon Sebennyta*, *Heliopolitanus* Flamen ſacer Ægyptius, Ptolemæo Philadelpho (ut ex *Euſebio* patet) opus ſuum immenſi laboris, tribus voluminibus exceptum inſcripſit, qvò veterem omnem

Cha-

Qvid scripserit antiqvissimus Manethon de Chemiâ

Chamigenarum Ægyptiorum historiam, scientiamqve complexus est, non haustam illam ex mysteorum librorum turbidis sæpe lacunis, non ex propagatis per manus vulgi fabulis, sed ex columnis in Seriadiacâ terrâ positis, bonâ fide versis in lingvam tritiorem hieroglyphicis, petitam. In hanc rem *Josephus libr. I. contr. Apion. Manethon itaq; Vir Ægyptius genere, sed Græcâ disciplinâ eruditus, sicuti palam est, scripsit enim sermone Græco, patriam historiam, ex sacris, ut ipse ait, interpretatus libris, in multis reprehendit Herodotum, tanqvam ex ignoratione rerum Ægyptiacarum mentitum.* Paulo post: *Hic docet Hycsos, id est, Reges Pastores, sive captivos Pastores* (i. e. Israëlitas) *obtinuisse Ægyptum annis undecim & qvingentis*, &c. *Suidas* ita: Μάνεθως Διοσπόλεως τῆς Αἰγύπτου, ὃς Σεβεννύτης φυσιολογικὰ (sc. scripsit) ἀποτελέσματικὰ δι' ἐπῶν, καὶ ἄλλα τινὰ ἀναγεγραμμένα. Ex hoc *Manethone*, cujus lacinias tantùm nobis reliqvit temporum iniqvitas, sua hausit *Julius Africanus*, ex Africano *Eusebius Pamphilus*, ex Eusebio *Georgius Syncellus*, ex Syncello *Jos. Scaliger*, ut agnoscatis *Audit.* qvibus gradibus laboriosâ investigatione contendatur ad veritatem. Didicit ergo præeuntibus vetustissimis his columnis *Manethon*, ut *Eusebiana* docent Scripta, primum *Thoyth* Ægyptium scientias, qvæ ante diluviales undas vigverant [& qvod inde consequitur, Chemiam] inscripsisse columnis, literis hieroglyphicis, sed lingvâ Sacrâ, sive Ægyptiacâ, eamq; doctrinam omnem à diluvio versam Græcè & hieroglyphicis iterum notis in libros translatam ab *Agathodæmone*, altero Mercurio, patre *Tat.* Atq; hæc utcunq; clarissimâ luce radiantia ab ungvibus duorum Germaniæ luminum *Conringii*, *Ursiniq;* tuta jam ultimis his temporibus

Vindicatur Manethon

esse

esse non potuere, qvæ integritatem suam tot seculis conservaverant illibatam. Et primò qvidem, non memorabimus, qvoties Conringius, nobilissimus alioqvi scriptor sibi in opere illo *de Hermeticâ Medicinâ* excideri, dum praxeos Chemicæ incuriosior, nunc ad solum judicium suum, nunc ad Hartmannum, Angelumq; Salam Vicentinum, tanqvam oracula provocat; sed ad tribunal Antiqvitatis, in qvo sibi foro triumphare videtur, litem nostram exposturabimus. Primum ergo *Conringii* amentum est: *lingvam Ægyptiacam diluvio posteriorem esse, adeoq; nihil ante diluvium columnis Seriadicis illo idiomate potuisse inscribi.* Acutum telum videtis, *Audit.* sed qvod retundi possit. Initio qvidem non negaverit, sat scio, *Conringius*, qvæ ipsius prudentia est, Ægyptum, tam vicinam Mesopotamiæ & Paradisi pomœriis, tam fœcundam rerum omnium provinciam, freqventatam populis, incultamqve ante illa generalium inundationum tempora; utq; negaret, ab Ursino statim reprimeretur, docente Caini posteros in Ægypto regnum condidisse, & mox ex *Gen.* VI. ante diluvium regnâsse passim in orbe Tyrannos famâ super æthera celebres, adeoq; nihil plausibilius, qvàm proximam primæ hominum officinæ Ægyptum ab iis possessam. Nam qvod Ægyptum diu mari tectam referant qvidam, accumulato demum Nilotico limo increvisse, & caput extulisse undis, id *Conringium*, si urgeret, non tegit; tùm qvòd hoc ad tempora eluviem illam publicam præcurrentia nulla similitudo veri adstringat; tum qvòd ostendat eruditè *Kirckerus* tegmen illud haud qvaqvam de tota capiendum Ægypto, sed de modico illo spatio, qvod delta & mare interjacet. Neq; aliò spectant ista *Strabo-*

à Con-

ringii

specio-

sis

nis

nis l. 1. Geogr. Sed & Ægyptum, inqvit, *constat priscis temporibus mari fuisse inundatam usq; ad paludes, qvæ sunt ad Pelusium, Casiumq; montem & Lacum Serbonidem:* istæc enim omnia infra delta ostenduntur; & ad delta habitatæ olim planities, si non ante, certè Israelitarum genti à Josepho illuc traductæ. Illos ergo diluvio antiqviores Ægyptios locutos utiqve non negaverit *Conringius*. Obducet, *locutos, sed non Ægyptiacè, qvòd lingvarum illud crama diluvio posterius sit.* Agnosco, *Audit.* non locutos primos illos Ægyptios eâ lingvâ, qva posteriores, sed ut docet *Manethon*, lingvâ Sacrâ, qvæ Ægypti incolis tunc fuit Ægyptiaca. Enimvero qvid prohibet Sacram hanc, sive Eberinam lingvam, qvando Ægyptiis universis, hoc est, omnibus terram illam, qvæ pòst Ægyptus appellata, incolentibus familiaris est, Ægyptiacam qvoqvè appellari? sicut Danica nostra, qvæ Norvegiam qvoq; pervasit, ibi qvidem opportunissimè nuncupatur Norvegica; & Sclavonica Pragæ salutatur Bohemica lingva, Varsaviæ Polonica, Moschuæ Russica, cùm nihilo secius eadem lingva sit, & paucis duntaxat dialectorum minutiis distincta. Alterum *Conringii* argumentum, qvantumcunq; aliis videri potest, mihi qvidem ægre satisfacit. *Nonne literæ hieroglyphicæ*, inqvit, *signa rerum sunt, non autem sonorum? qvi potuit itaq; per literas hieroglyphicas vel Ægyptiacè aliqvid scribi, vel Græcè?* Imò verò potuit, *Conringi*, æqvè enim hieroglyphica sonos expresserint, acres: imò per sonos accommodatissimè rem animis repræsentabunt. Verbi gratiâ, si in tabellâ exprimam vultum *Jani Bifrontis*, numero XVIII. inscriptum, significabit figura istæc, hieroglyphicâ Danicâ lingvâ *Athenienses;* nulla alia lingva vim figuræ ex sono asse-

assequetur. Ita si Germanus reddat imaginem *Ursi* in *campo* sese volutantis, cujus jugulo appictum sit *Lugdunum Batavorum*, intelliget sagacior Germanus alius ex solo sono vim hieroglyphici, sc. *Barnefeldium* jugulo passurum: idem *Barnefeldii* fatum exprimeret hieroglyptes Danus *puero pelle* incincto & cum *sandapilâ* tricante. Quod si inter altercantes de religione Theologos subitò in pariete more Belzazaris figura dextræ *forficem* arctè stringentis coruscaret, nemo alius mysterium enodaret, quàm hierophantes Danus, qui evidenter inde colligeret, tenendam firmiter religionem in Saxoniâ per *Lutherum* instauratam. Hoc institutum prosecutus honoratissimus collega *D. Mothius*; jam olim hieroglyphicis Germanicis juventutem in variis Europæ Academiis, historiam universalem, lingvam Græcam, aliasq; disciplinas promptissimè edocuit, cùm Parisini figuras illas inspectantes, audientesq; in stuporem formarentur, rati rhombos esse Thessalicos, aut Magica Canidiæ ad Lunam cœlo deducendam lenocinia. Ita credibile fuerit hieroglyphica Eberina, sive Ægyptiaca diluvio vetustiora, ut magis sacra & diviniora succedentibus illis lingvarum mixturis, non sensus modò, sed & verborum pronunciatorum sonos exprimi voluisse. At enim qui potuit *Mercurius* illa columnarum arcana vertere Græcè statim à diluvio, cùm lingvâ ea nè tum quidem nata esset? Cæterùm repetendum hìc ex *Cicerone lib. III. de Nat. Deor.* jam olim qvinqve numeratos *Mercurios*, qvorum ultimum ante lingvam Græcam natam obiisse qvis probabit? nam qvòd secundum vertisse scribat, illum patrem Tati, in hoc, Mercuriorum numero turbante, hallucinatum Manethonem non diffitebor. Tertiò, in-

objectationibus.

ſtat *Conringius*: *vix probabile videri columnas illas, qvæ doctrinam ſcriptam comprehenderent, à diluvio ſuperfuiſſe.* At qvid mirum, *Conringi*, ſi columnæ æreæ, lapideæqve aqvarum inundationes contempſerint? qvin & palus ligneus in aqvis depactus ad ſecula durat, & non duraret annum unum æs & ſaxum? luculentius profectò eſt *Joſephi Antiqv. Jud. Scriptoris* teſtimonium de columnâ illâ, qvam in Syria diluvio ſuperſtitem collocat, qvàm ut à nuda hodierni ſcriptoris auctoritate elevari, calcariq; debeat. Verba *Joſephi Antiqv. Jud. lib. I. cap. III.* Sethi & *Seth virtutis ſe ſtudiis totum dedidit, & cum ipſe Vir optimus evaſiſſet, etiam Nepotes ſui ſimiles poſt ſe reliqvit: qvi qvòd eſſent omnes bonâ indole præditi, & terram patriam absq; ſeditione incolerent, in perpetua felicitate vitam exegerunt, & ſideralem ſcientiam ejusq; cultiorem tractationem invenerunt.* (σοφίαν τε τὴν περὶ τὰ ἀφάνια καὶ τὴν τούτων μαθησιν εὑρόντων) *Ne autem inventa illa ex hominum memoriâ dilaberentur,* Antiqvo- *ac perirent priùs, qvàm pernoſcerentur, ſcientes Adamum univerſalem rerum interitum prædixiſſe, unum incendio, diluvio alterum, excitatis duabus columnis, utriq; ſua inventa inſcripſerunt: ut ſi lateritiam diluvio contingeret deleri, lapidea ſuperſtes hominibus diſcendi copiam faceret, & qvæ inſcripta continebat, ſpectanda exhiberet: ajunt lateritiam illam ab ipſis poſitam, qvæ & usq; ad hoc tempus du-* rum *rat in terra Syriâ,* μένει δ' ἄχρι δεῦρος καπὶ τῆς Συριάδος. *Serenus* apud *Caſſianum* tradit Sethum naturalium rerum notitiam paternâ qvaſi hæreditate acceptam poſteris commiſiſſe. Eſto tamen, ut ad ſuperiora relabamur, non viderit Syriacam illam columnam Joſephus, ſufficerit vidiſſe illos, à qvibus rem percepit: nec ſaxeam illam *choream Gigantum* (Incolæ & Camdenus Stone-

henge

henge appellant) viderunt omnes, illustre illud in Angliâ Danicæ qvondam potentiæ monimentum, qvod in planitie jam pridem Salisburiensi admirabundi spectavimus, & tamen meâ fide securi esse possunt, qvi Angliam viderunt nunqvam, tale qviddam in Angliâ exstare. Ostenduntur in Bibliothecâ Vaticanâ, si *Ursino* fides, octo columnæ qvadratæ, in qvibus Adami, filiorumq;, & Sethi literæ proponuntur. Atq; ut ego qvidem nec pro antiqvitate columnarum *Adamicarum* puguaverim, nec pro veritate dicti *Anniani illius Berosi: Noham multa naturalia secreta mandasse literis, qvæ solis Sacerdotibus Scythæ Armeni commendant*: ita freqventi lectione convincor vetustissimos qvosq; Heroas & Legumlatores columnis memoriam rerum commendasse; nam ut Herculis ad Gaditana littora omittam columnas, qvid clarius *Diodori Sic.* verbis *lib. I. cap. II. Osiris*, inqvit, *in itinere suo per orbem columnas multis in locis statuit expeditionis suæ testes.* Iterum *Diodorus: Hercules cùm genere esset Ægyptius, postqvam virtute sua magnam orbis partem perambulasset, in Lybiâ posuit columnam. Strabo Geogr. lib. XVII. Sesostris totam permeavit Æthiopiam usq; ad cinnamomiferam progressus regionem, ostenduntur q; adhuc qvædam ejus monumenta & columnæ & inscriptiones*, στῆλαι καὶ ἐπιγραφαὶ. Qvid evidentius *Jamblichi* testimonio? qvi *de Myster. Ægypt. lib. I.* manifestè docet *Pythagoram, Platonemq; varia in Ægypto ex columnis Mercurii didicisse*; item: *columnas ibi refertas esse Mercurii doctrinis.* Qvid clarius oraculo *Procli Lycii*, qvi *commentar. primo in Timæum* in hunc modum differit: *Ægyptiis jam olim facta*, inqvit, *per memoriam semper redeunt nova: memoria autem ex historia est; historia ex columnis, in*

columnæ

in publico

collocatæ.

qvibus paradoxa, & qvæ digna admiratione tum in actionibus, tum inventionibus, descripsere. Qvid illustrius loco *Platonis in Critia: Imperium*, inqvit, *in Atlantide, regebatur secundum Neptuni mandata, ex præscripto Legum, literarumq; à Majoribus in columnâ qvadam orichalceâ, circa medium Insulæ in templo Neptuni descriptarum.* Hæc se *Plato* à *Solone* hausisse fatetur, & *Solon* à Saitico Ægypti Sacerdote. *Galen. lib. I. contra Jul. cap. I. In Ægypto olim*, inqvit, *artium inventum unumqvodq; à communi eruditorum consessu probatum columnis inscribebatur qvibusdam in sacris locis positis, haud appositio auctoris nomine.* Sed qvid inscriptum Sethianis Columnis? scientia rerum cœlestium, si audimus *Josephum*; prognosticon interitus mundi prioris, si *Berosò Annianò* credimus; curiosarum rerum noticia, & maleficæ qvoq; Magorum artes, si fidimus *Sereno* apud *Cassianum*; septem artes liberales in VII. æneis & VII. lateritiis expressæ columnis, si *Petro Camestori in histor. Eccles. Gen. cap. XXXVII.* debemus assensum. Sed *cur non ibi expressa exspectatissima illa humanæ salutis reparatio*, obducit *Ursinus*? qvia, *Ursine*, illa forsan ceu cabbala pretiosa per manus à parentibus sine scripto devolvebatur ad liberos. Et qvid si ille Sethianus *Thoyth* non fuerit ita sollicitus de religione, qvàm de propagandis suis artificiis? qvis coget voluntatem liberam? nam qvæ reliqva sunt *Ursini* momenta contra *Manethonis* columnas, *Exercit. de Zoroastr. Hermete* &c. debiliora sunt ipsis columnis. Qvin & vis ea veritatis est, ut agnoscat postea *Ursinus*, columnas eas verè exstitisse. Ingreditur tamen cum celebratissimo *Jo. Ger. Vossio* controversiam *Ursinus*, & acerbè insurgit. Scripserat *libro de Idolol. Vossius, existimare se Manethonem fide*

Ursinus contra columnas insurgit, & Manethonem

qvidem

qvidem optimè exsripsisse ista, unde profitebatur. Qvod si fefellisset, subjicit, *redarguissent eum Sacerdotes alii, si non ob aliud, saltem ut sic gratiam Regis Ptolemæi Philadelphi sibi conciliarent, nunqvam enim defuisse, qvi sibi bene esse mallent, qvàm alteri.* Ad hæc *Ursinus: qvis spondebit*, excipit, *non refutatum fuisse Manethonem? qvis redarguit Hermappionem? qvi obeliscum post in Circo Romano positum literis hieroglyphicis inscriptum interpretatus legitur apud Marcellin. lib. XVII. & qvidem ut censet Kirckerus, falsissimè.* Bona verba, *Ursine*! tua providè inversa tibi regero: qvis spondebit refutatum *Manethonem*? qvis spondebit non refutatum *Hermappionem?* cui demum mortalium nota esse possunt, universorum, qvi periere librorum argumenta? ut taceam suspectiores esse Italis sagaciori-bus hodieq; *Kirckerianas* illas obeliscorum interpretationes, & Romæ adhuc plus fidei haberi à multis *Hermappioni*, qvàm Germano illi *Athanasio.* Sed ecce decumanum alium *Ursini* fluctum! *Qvin & ratio*, inqvit, *urgentissima docuit cæteros Sacerdotes non obluctari Manethoni, ne conversis jam Bibliis per LXX. Interpretes culina Sacerdotum frigesceret & ara, cognito fuco.* Frigida hæc sunt, *Ursine*, & audaciæ propiora. Primò enim unde colligis versa jam fuisse in Græcam lingvam Sacra Biblia, offerente suum scriptum *Manethone*, cùm diu vixerit *Ptolemæus?* Secundò, *Manethonis* dynastiæ, ut ostenderunt jam antea *Scaliger*, *Vossius*, alii, non adversantur Sacris literis, sed inspiciente rem oculato antiqvario, egregiè, paucis exceptis, concordant. Tertiò, scierant Reges Ægyptii jam ante intima sacrorum suorum penetralia, & omnia arcana Sacerdotum, cum qvibus, ut ex *Diodoro Siculo*, aliisqve evidentissimum est, familiariter con-

vellicat,

sed infe-

liciter.

ver-

versabantur, ut proinde Sacra Scriptura Græcè versa non potuerit frigus inducere Sacerdotum culinis. Et qvis pollicebitur credidisse *Ptolemæum*, scriptum illud sacrum Hebraicum Divinæ fuisse authoritatis? contrarium vel ex eo se manifestat, qvòd nec Ptolemæus ipse, nec Successores longâ serie pretium posuerint Judaicæ religioni, aut illi sese adjunxerint. Qvinimô usq; adeo post versa etiam Biblia florebat Sacerdotum Ægyptiorum auctoritas, ut ad Porphyrii qvoq; ævum sacra durasse Serapidis in Ægypto testis sit locuples *Eusebius Pamphilus*. Non qviescit adhuc *Ursinus*, sed ita speciosè: *Diodorus*, ait, *CCXXX. annis post Manethonem venit in Ægyptum, nec audit ea, qvæ scripsit Manethos, sed ea fere, qvæ annis CLIX. ante Manethonem scripserat Herodotus, regnasse in Ægypto Deos, & Vulcanum* &c. Opportunè hæc, *Ursine*, nam neq; *Herodotus*, neq; *Diodorus* homines Græci, invisiqve, ad arcanos Ægyptiorum libros inspiciendos admittebantur; templis ista reservabantur & Regum tablinis. Græci peregrinatores advenientes plurima hauriebant è fæculentæ plebis lacunis, pauca è Sacerdotibus, & ignobiliora, qvod ex *Strabone*, *Origene*, *Clemente Alexandrino*, *Plutarcho* ostendere proclive foret, si eò nos detruderet necessitas. Qvin nil mirum, si *Manethonis* librum non viderit *Diodorus*; multi Scriptores ducentorum annorum intervallo intercidunt, multi aliò asportantur, multi in Musèis Principum asservantur pauciſſimis inspecti; multi ut vera scripserint, certis de causis in fabularum detorqventur similitudinem: Nec Physicæ Manethonis meminit *Herodotus*, fuisse tamen constat ex *Diog. Laërtio*, qvi in proœmio, Manethonis φυσικῶν ἐπιτομῆ usum sese ostendit. Nec *Apotelesmatum*

Librumné Manethonis viderit Diodorus.

tum Manethonis meminit vel *Diodorus*, vel *Herodotus*, superesse tamen hodieq; docuerit Bibliotheca Medicæa, ex qva fragmentum *Manethonis* περὶ Νόσων Florentiæ jam pridem descripsit honoratissimus Collega *Erasm. Bartholinus*, cujus initium:

Νῦν δ' ἄγε μοι κάρη λιθηθείασ εἶνεπε Μῶσα,
Ὅσσα φέρει νούσοις ἀλγήματα δία Σελήνη.

Qvin & *Manethon* laudatus *Tertulliano*, in *Apologet*: *Referanda*, inqvit, *antiqvissimarum etiam Gentium archiva; Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum, per qvos notitia submini-strata est, aliqvi, Manethon Ægyptius & Berosus Chaldæus, sed & Iromus Phœnix Tyri Rex.* Appositè *Philo Byblius* apud Eusebium conqveritur Sacerdotes Ægyptios tenebras offundere historicæ veritati, & qvanqvam *Sanchuniathonem* sciant veracissimum esse Scriptorem, nihilominus eos operâ ejus insuper habitâ iterum ad fabulas recurrisse; & istud in causâ esse docet *Byblius*, cur Græci ignorato verborum Ægyptiacorum sensu mystico circa fabularum interpretationem industriam suam occupaverint, dispari sæpè succesſu. Idem ergo *Manethoni & Sanchuniathoni* fatum. Atq; utinam tam certos nos redderet de fide hodiernorum plerorumq; Historicorum experientia, qvàm reddit de fide Manethonis *Eusebius*, atq; *Josephus*; *Eusebius* docet Manethonem alia ex columnis Seriadicis antiqvissimis descripsisse; *Josephus* alia ex Sacris libris, i. e. Sacerdotum Manuscriptis vetustissimis in fanis utiqve asservatis; unde sua depromant Historici, in unico facto enarrando toties discordiosi, ipsi viderint, dum ego ex *Strabonis* Geogr. lib. XVII. *Manethoni* succurro: *Sacerdotes Ægyptii*, inqvit, *in libros sacros referebant* (εἰς τὰ ἱερὰ γράμματα) *& confirmabant*,

Sanchuniathon Scriptor verax.

Et verax Manethō.

mabant, qvæ subtilioris aliqvid habebant cognitionis. Ecce fontes apertos, unde hausit *Manethon*! Sed qvæ admirabilis fuit *Manethonis* ingenuitas, ipse tradente *Josepho lib. I. contra Apion.* confessus est se qvædam è fæce hausisse; verba *Josephi: Ea verò qvæ Manethon non ex Ægyptiis literis, sed sicut ipse confessus est, è fabulis qvorundam sine nomine addidit, particulatim adjiciam.* Sed pænè ultrà institutum nos provexit animosa *Conringii, Urſiniq;* Antiqvis contradicendi vehementia; in viam redeamus.

Chemia in Chami familiâ diu hospitata.

Diximus in Chami familiâ jam olim domicilium elegisse *Chemiam*, hoc est, in Ægypto Chamigenarum patrimonio; id ut evincatur, initiô observandum, Ægyptum ipsam jam olim non tantùm in *Psalm. Davidis CV. terram Cham* nuncupari, sed hodieq; Coptitis *Chemi*, do-*Bocharto*; qvin & jam olim *Plutarcho in Iside & Osiride, Chemiam*, qvasi *Chamiam.* Neq; in obscuro ratio est, enimvero postqvam Chami filius *Mizraim* Ægyptum possessor invaserit ex *Genes. XI.* nil mirum, paternarum qvoq; artium qvædam apud ipsum remansisse vestigia, Ægyptumq; ex nomine Patris illius, *Chamiam, Chemiámve* appellatam. Hæsisse autem in animo *Mizraimi* qviddam scientiæ paternæ, inter alia patet ex *libr. IV. Recognit. Clementis Romani*, qvi ita disertè: *Ex liberis Noæ unus Cham*, inqvit, *cuidam ex filiis, qvi Mizraim appellabatur, à qvo Ægyptiorum, Persarumq; genus ducitur, malè compertam tradidit disciplinam. Hunc gentes qvæ tunc erant, Zoroastrem appellarunt.* Hæc *Clemens.* Qvanqvam autem ille ad Magicas artes *Mizraimi* sive *Zoroastris* disciplinam detorqveat, illustris tamen *Naudæus* luculento Opere magna illa ingenia *Zoroastrem, Hermetem, Pythagoram, Virgilium, Paracelsum, Cornelium Agrippam,*

Magna ingenia à Magiæ suspicione vindicata

Roge-

Rogerium Baconem, *Petrum Aponensem*, cæterosq; Magiæ infamis ab imperitâ eruditorum plebe postulatos, ita masculè ab intentato vindicavit crimine, ut *Del Rio* cum sociis aqva hæreat, & hæsura sit. Accedamus *Chemiæ* incunabula propiùs. Prodeat ergo in scenam *Eusebius*, *Pamphilus*, & ex antiqvo Scriptore ita peroret: Δημόκριτος Ἀβδηρίτης φυσικὸς φιλόσοφος ἤμαζεν ἐν Αἰγύπτῳ, μυηθεὶς ὑπὸ Ὀσθάνε τοῦ Μήδε σταλέντος ἐν Αἰγύπτῳ παρὰ τὸν τότε καὶ τὰ βασιλέων Περσῶν ἄρχειν τῶν ἐν Αἰγύπτῳ ἱερῶν, ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Μέμφεως, σὺν ἄλλοις ἱερεῦσι καὶ φιλοσόφοις, ἐν οἷς ἦν καὶ Μαρία τὶς Ἑβραία σοφὴ καὶ Παμμένης. Συνέγραψε περὶ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου, καὶ λίθων καὶ πορφύρας λόξως. Ὁμοίως ἡ καὶ Μαρία, ἐπλουτήθησαν παρ' Ὀσθάνε, ὡς πολλοῖς καὶ σοφοῖς αἰνίγμασι κρύψαντες τὴν τέχνην. Gemella his tradit *Synesius*, & qvod superat, antiqvus ille *Zosimus Panopolites*, qvod pluribus in luculento Auctore expressum ostendit se mihi in Regiâ illâ Bibliothecâ Parisinâ, ut neq; pro laciniis *Syncelli*, *Panodorive*, qvò inclinant frustra *Scaliger* & *Conringius*, haberi qveat. *Michael Psellus* celebrati nominis Scriptor epistolâ ad *Xiphilinum* Patriarcham clarissimè: *Democritus Abderites*, inqvit, *postqvam in Ægyptum perveniſſet*, *sacris initiatus est à Magno Osthane in templo Memphitico simul cum aliis Ægypti Sacerdotibus*: & post pauca: *Scripsit autem Democritus de tinctura Solis & Lunæ, deq; pretiosis lapidibus & purpurâ.* Is ipse *Democritus* primus in Græciam invexit auream illam sententiam: Ἡ φύσις τῇ φύσει τέρπεται, ἡ φύσις τὴν φύσιν νικᾷ, ἡ φύσις τὴν φύσιν κρατεῖ; nam *Democritum* primùm hæc scripsisse non sustinebo, memor me in *Manuscripto Isidis* Lutetiæ Parisiorum notâsse, hæc ipsa verba sed sacris characteribus interiori sacrario delubri Memphitici inscripta

Democritus & Osthanes antiqvi Chemici.

qvondam radiâſſe. Qvòd *Oſthanem* hic vellicat *Scaliger*, ut *Democrito* haud qvaqvam σύγχρονον, id aliqvid nihil eſſe putamus, qvòd plures haud dubiè numeraverit Media *Oſthanes*, ut plures Verona *Scaligeros*. De alio *Euſebius præp. Evang. lib. I. cap. X. Eadem inſuper Oſthanes de Deo tradit in eo, qvod octateuchum inſcripſit volumine.* Certè & primi Oſthanis & ſecundi meminit *Plinius lib. XXX. cap. I.* Vixiſſe autem in Ægypto *Democritum* manifeſtè oſtendit *Diodorus Siculus lib. III. cap. VI. & lib. II. cap. VI.* hæc adjicit: *Exiſtimant Democritum qvinqve illis annis, qvibus in Ægypto vixit, plurimùm in Aſtrologia profeciſſe.* Hic ne hallucinemur, intuendum, Aſtrologiam jam olim duplicem fuiſſe, ſuperiorem illam ex ſtellarum cœleſtium deportatis in terras radiis petitam, inferiorem autem ex lucentibus illis magnæ matris telluris ſyderibus, hoc eſt, ſplendidis metallorum glebis derivatam; & hoc eſt, qvòd modò ex *Pſello* obſervatum nobis, *Democritum* ſcripſiſſe de Tinctura Solis & Lunæ, id eſt, ut expreſſiori nomenclaturâ reddam, de ſubtili, coloratoq; ex auro, argentoq; liqvore. Sed qvando minuti qvidam Ariſtarchi, & in meliori antiqvitate hoſpites, ut invidiam creent ſaluberrimæ Arti, freqventer obſtrepunt, vocabulis ludere Chemicos, & aſtrorum titulis metalla ſalutare, inuſitato veteribus exemplo, invento *Paracelſico*, utq, longiùs proſpiciat, *Lulliano*, agedum ex Antiqvis craſſam illam, ignorantemq; temeritatem expugnemus. Prodeant ergo in lucem vetuſta Perſarum ſacra, de qvibus *Origenes lib. VI. contra Celſum* ita diſertè: *Deinde ut in libro contra nos ſcripto Celſus variam eruditionem ſuam oſtendat, Perſica qvædam inſerit Myſteria, ubi dicit: Hæc indicat & Perſarum doctrina & Mithræ*

Aſtrologia duplex, alia cœleſtis, alia metallica.

Aſſeritur antiqvitas Aſtrologiæ

thræ ſacrum iis gentile: eſt enim in eo duarum cœli revolutionum ſignificatio, tum ejus, qvâ ſtellæ fixæ feruntur, tum ejus qvâ planetæ, & animæ per eas tranſitûs tale ſymbolum: ſcala eſt in altum aliis ſuper alias portis ſurrecta usq; ad ſummum octavæ portæ fornicem: prima portarum plumbea eſt, ſecunda ſtannea, tertia ahenea, ferrea qvarta, qvinta miſti nomismatis, ſexta argentea, ſeptima aurea. Primam faciunt Saturni plumbo notantes tarditatem ejus ſyderis; ſecundam Veneris comparantes ei ſtanni ſplendorem & mollitiem, tertiam Jovis æratam & ſolidam, qvartam Mercurii, eſt enim laborum patiens & negotiator, aqvè ac ferrum celebratus hominibus, qvintam Martis propter miſturam inæqvalem & variam, ſextam Lunæ argenteam, ſeptimam Solis auream, coloribus ſuis ea ſydera referentes. In qvem *Celſi* locum manifeſtus is error librariorum culpâ deprehenditur irrepſiſſe, qvòd portam ſecundam, qvæ primò ſtannea appellabatur, mox ab artis ignaro appelletur Veneris, ita enim ex artis præceptis refingendus *Celſi* locus: ſecundam faciunt Jovis, comparantes ei ſtanni ſplendorem & mollitiem; tertiam Veneris æratam & ſolidam; qvartam Martis, eſt enim laborum patiens, æqvè ac ferrum celebratus hominibus; qvintam Mercurii propter miſturam inæqvalem & variam, & qvia negotiator eſt; ſextam Lunæ argenteam; ſeptimam Solis auream. Sed cur in Mithræ ſacris planetæ illi metallici inducuntur? Mithram nullum alium fuiſſe qvàm Mizraimum, corruptâ à Perſis voce non inconvenienter probat *Kirckerus in Obeliſc. Pamphyl.* proinde cùm *Hermes* ſive *Chanaan*, ille *Chemiæ* pater, fratri *Mizraimo* amore junctiſſimus metallorum haud dubiè arcana varia aperuerit, non mirum myſticam ejus rei in ſacris *Mizraimi*, ſeu

Metallicæ

è variis

Scriptoribus.

Profani

Celſi

error.

Mithræ factam mentionem. Qvanqvam non abnuendum, postea, ut alia omnia, ita vocem Mithræ ad aliud qviddam significandum sese accommodasse, & pro sole tandem usurpatam: hinc antiqva apud *Gruterum* inscriptio: SOLI MITHRÆ. & mox: OMNIPOTENTI DEO MITHRÆ PISONIANUS PATER PATRATUS. Idem Serapidi sive Sarapidi contigisse certum est, qvæ nomenclatura initio Regi Ægyptio, post Deo Ægyptio, tandem Soli attributa, unde legere est apud eundem *Gruterum*: ΔΙΙ ΗΛΙΩ ΜΕΓΑΛΩΙ ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΣΥΝΝΑΟΙΣ ΘΕΟΙΣ. Qvin & pro Sole vox auri jam olim publicè substituta in Inscriptione Gruteriana: DEO INVICTO AURO SECUNDINIUS DONATUS FRUMENTAR. Unde non mirum in illâ ultro citroq; commeantium freqventiâ ad Indos qvoq; partem illius astrologiæ metallicæ penetrasse, id qvod vel ex *Philostrato* conficiemus: *Apollonius*, inqvit, *cum Iarchâ Brachmane secretò philosophatus muneris loco ab eo tulit annulos septem, totidem planetarum dictos nominibus, qvos singulos gestaret per subjectos planetis dies; sc. ut annulum aureum gestaret die Solis, argenteum die Lunæ, ferreum die Martis, hydrargyrinum die Mercurii, die Jovis stanneum, æreum die Veneris, & plumbeum die Saturni, qvod singulis planetis singula respondeant metalla.* Probè Didymus in Iliad. ε. Ἐπεὶ καὶ ὁ Ἄρειος ἀστὴρ, ὁ σιδηρῶδης καλούμενος. sc. stellam Martis ferream appellat. Apparet eodem qvoq; *Plato* in *Critia* respexisse: *Muri*, inqvit, *urbis Atlanticæ exteriorem superficiem omnem ære tenui vestierunt, interiorem stanno, ejus deniq; qvi arcem circumdabat, orichalco igneo fulgore coruscо: Regia vero contra arcem constructa ita: in medio sacrum & in-*

accessum

acceſſum Clitonis Neptuniq; templum aureo ambitu circumdatum. Exteriora templi Neptuni faſtigia argento omnia exornavere, culmina ipſa & apices auro. Antea dixerat: *habitabant ſuperiora ejus Milites ſoli prope Minervæ, Vulcaniq; templum: loca ejus ad Boream verſa colebant.* In qvem locum ita jam olim eruditiſſimus *Marſil. Ficinus: commemorat*, inqvit, *& Plato metalla, ut per ſeptem illa metalla, ſeptem planetarum intelligamus influxus generationem omnium rerum moderantes. Aurum qvidem Soli, argentum Lunæ, plumbum Saturno, electrum Jovi, ferrum & æs Martì, Veneri orichalcum, Mercurio ſtannum Platonici tribuunt.* Ne autem hæc *Platonica* aliunde hauſta exiſtimemus, qvàm ab Ægyptiis, *Plato* ipſe in *Critiâ* anteqvam deſcriptionem inſulæ Atlantidis moliatur; *ſi ſatìs*, inqvit, *meminerimus, renunciaverimusq; nunc vobis, qvæ qvondam à Sacerdotibus* [ſc. Ægyptiis] *tradita, à Solone huc fuere advecta, videbimur theatro huic, ut arbitror, ſatìs officio noſtro functi.* Et mirum qvàm hîc omnia de Vulcani templo, de incolarum ædibus Arcton reſpicientibus cum Herodoto conſpirent. Id unum hîc noto, Solonem per Memphiticas illas occultandi artes eò usq; non potuiſſe penetrare, qvò poſt apud Iarcham *Apollonius Thyanæus*, qvi convenientiſſimè ſtellas ſuperiores ſtellis inferioribus accommodat, utcunq; aliis de cauſis apud *Euſebium*, *Tortoletumq;* & meritò vapulet. In eo enim lapſi cum *Solone Platonici*, qvòd Veneri ſolùm adſcribant orichalcum, qvòd electrum Jovi, qvòd Mercurio ſtannum, cùm ex Ægyptiorum per *Arabas* jam notâ praxi, Veneri æs debeatur, plumbum candidum Jovi, hydrargyron Mercurio, neq; enim orichalcum aliò ſpectat qvàm æs, cùm aliud nihil ſit qvàm æs jam in venâ ſuâ cadmiæ fuligi-

Platonicorum error in Aſtrologiâ Metallicâ.

liginibus penetratum, qvod apud Darienem contingit; jam ab artificibus cadmiâ admistâ fulgidius redditum: Electrum autem ſpecies metalli non eſt, ſed mixtura ex qvatuor auri, & unicâ argenti portione, ſive per artificium, ſive naturæ ſponte compacta, docente inter alios *Plinio*. Hinc cùm ex *ſtrom. V. Clem. Alexandrini*, Ægyptii hieroglyphico charactere ſolem expreſſuri circulum forment, cùm Lunam reddituri, figuram Lunæ cornuum præ ſe ſpeciem ferentem effingant, illi ipſi characteres hodie ad aurum, argentumqve notandum etiam vulgò freqventantur. Hinc ex myſtica illâ *cruce Iſiacâ* (qvam *Hermeticam* alii vocant, alii, qvod idem eſt, *Thauticam*) in omnibus pæne Ægyptiacis ſimulacris hodieq; ſpectatâ, jam olim alii, & inter eos *Franc. Deé* Londinenſis, & nuper *Kirckerus* in *Oedipo*, *Kriegsmannusq;* opportuniſſimâ enodatione omnes planetarum cœleſtium & terreſtrium figuras elicuere. Qvin ex Auguſtei ſeculi *Manilio* conſtat creditum, partes humani corporis qviddam cum cœleſtibus aſtris habere cognationis; hinc ſingulis duodecatemorii ſignis ſingulas attribuit corporis partes, tauro cervicem, geminis humeros, cancro pectus &c. Imò pæne ab omni ævo illa cœli & terræ, planetarum ſuperiorum & inferiorum conjugia ſapientibus videntur fuiſſe perſpecta. Appoſitè *Elluchaſen Arabs libr. de Ritib. Ægypt. Philoſophi Ægyptii*, inqvit, *qvemadmodum in hiſtoricis eorum inveni, ſummo ſtudio inqviſivere catenam illam magnam, qvâ mundus ſuperior inferiori colligatur, id eſt, explorare conati ſunt vinculum illud, qvô mundus Angelicus mundo jungitur ſydereo, id eſt, duodecim ſignis Zodiaci, & ſeptem planetis, & qvomodo hic mundus mundo elementari connectitur, & ex omnibus,*

Crux Iſiaca qvid reſoluta portendat.

Conjugium cœli & terræ.

bus, qvæ ei subjecta sunt, rebus, ex mineralibus, lapidibus, herbis, plantis, animalibus, proprietatibus, & omnibus eorum operationibus cognovere tandem longo usu & experientiâ, & ratiocinio, omnes formas & similitudines inferiorum jungi formis, & similitudinibus superiorum; & hoc pacto multa, eaq; admirabilia in usu Medico præstiterunt. Paucis eadem olim expressit *Jamblicus de Myster. Ægypt. Mundus*, inqvit, *unum animal est, in qvo partes qvamvis loco distantes, propter naturam tamen unam ad se invicem feruntur.* sc. ut Sol, cor, & aurum sibi in multis respondeant, ita Luna, cerebrum, & argentum &c. Eant nunc atrati *Chemiæ* obtrectatores, & nudius tertius nata tum ejus principia, tum vocabula imperitè vociferentur. Eat *Conringius*, negetq; ex sulphure & Mercurio composita fuisse metalla ante *Paracelsi*, aut, ut spatiosissimè, ante *Isaaci Hollandi*, *Lulliiq;* ætatem. Qvid adhæc *Hesiodus?* qvid *Pindarus?* qvid *Diodorus Siculus* responderent, si hausta ab Ægyptiis probè assequerentur? *Hesiodus* sanè *in Theogon.* narrat Thejam cœli filiam ex Hyperione Solem & Lunam progenuisse. Similia tradit *Diodor. Sic. lib. IV. Antiqvit. cap. V.* Expressiùs tamen profundorum sensuum architectus *Pindarus*; qvi cùm statim initio abrupti operis exclamasset: ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δ' χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ, adeoq; pressiùs omnia scrutantibus per ὕδωρ ἄριστον hydrargyron insinuasset, per αἰθόμενον πῦρ sulphur inardescens, tanqvam intima auri principia, tandem in Isthmiis clariùs adhuc rem prosequitur: Μᾶτερ, inqvit, ἀλίᾳ πολυώνυμε θέα, σέο γ' ἕκατι καὶ μεγασθενὴς νόμισται χρυσὸν ἀνθρώποις περίσσιον ἄλλων. h. e. Mater Solis celeberrima Theja, tui causâ etiam homines existimarunt aurum præpotens præ cæteris metallis. Scilicet per Thejam,

Metalla ex sulphure & Mercurio etiam Antiqvis composita.

qvi acutiùs vident, τὸ θεῖον metallorum perſpiciunt, hoc eſt *ſulphur*, per hyperionem verò, *Mercurium;* qvid enim citiùs alta ſcandit Mercurio, ſi vel modeſtiſſimum ſubjeceris ignem? Enimvero *Aud.* non fabulæ ſunt antiqvorum fabulæ, ſed arcanorum naturalium promi condi. In hanc rem *Plutarchus de Phyſicâ Græcorum Theologiâ:* ὅτι μὲν ἦν, inqvit, ἡ παλαιὰ θεολογία καὶ παρ' ἕλλησι καὶ βαρβάροις λόγος ἦν φυσικὸς ἐκκεκαλυμμένος μύθοις i. e. Antiqva & Græcorum & Barbarorum Theologia Phyſicus ſermo erat obvelatus fabulis. Mox inſtitutum perſeqvens per *Latonam* explicat noctem, per *Junonem* terram, per *Apollinem* Solem, per *Jovem* calorem. Et paucis interjectis: *Ægyptii*, ſubjicit, *Oſiridem Solem eſſe ajunt, Iſidem Lunam, Jovem Spiritum cuncta permeantem, Vulcanum ignem &c. qvæ Manethon omnia fuſiùs proſeqvitur.* Ita opportunè *Tzezes* Perſei fabulam de Sole & exhalationibus aqvæ interpretatur. *Euſebius* qvidem ut ſacris intentus negotiis ægrè concoqvit fabulas veterum ad naturam rerum explicandam adhiberi, ſed condonandum venerando Patri, qvòd oſtendat ſe hic parum obſervâſſe illud *Senecæ*: *In eodem prato à bove inveniri gramina, à cane leporem, à ciconiâ ſerpentem. Qvodſi*, inqvit *Euſ. Præp. Ev. lib. III. cap. XIII. Æſculapium Solem eſſe velint, qvomodo is, ob turpem qvæſtum & infamem Jovis fulmine conflagravit*, ut cecinit Pindarus? Non urgebo plures fuiſſe Æſculapios, qvod ex *Cyrillo* & *Clemente Alexandrinis* promptum oſtenſu; Græcum illum Æſculapium cum Dioſcuris expeditioni Argonauticæ interfluiſſe diſcimus ex *Apollonio Rhodio:* Ægyptium autem alium Memphitanum inducit *Clemens Alexandrinus ſtrom. prim:* qvem eundem *Admonit. ad Gent.* fulmine ictum ex *Pindaro*

Fabulis olim velabantur Naturæ arcana.

Euſebius notatur ut in fabulas obliqvus.

daro docet, in Cynosuridis jacere. Sed qvod ad rem facit, Sacerdotes Ægyptii, docente *contra Celsum Origene lib. I.* populum fabulis pascebant, *ipsi sub nominibus Deorum patriorum philosophabantur.* Neq; verò necesse est fabulas per omnia respondere; neq; difficile fuerit illam Solis sive Phaëthontis deflagrationem commodè ad naturæ leges interpretari, si huc vocârit necessitas. Sed instat rursus *Eusebius lib. II. cap. VIII. Ex qvo intelligimus*, inqvit, *Romanos novam istam Græcorum in fabulis Deorum evolvendis Physiologiam probare nusqvam voluisse.* Sed qvid Romanis, Martiis illis pullis, cum interiori Naturæ sacrario? Fortia & facere, & pati Romanorum erat, ingeniosa & subtilia, Nationum aliarum: hinc ad curiosa omnia, Græcorum ingenio & manibus utebantur.

Hactenus ex *Zosimo*, *Syneso*, *Psello*, aliisq; vindicata *Chemiæ* antiqvitas, & Ægypto primi ejus natales adscripti; juverit tamen expressam pæne invito *Conringio* audire confessionem: *Omnino tamen*, inqvit, *& ipse existimo Ægyptiorum hierophantas, omnium mortalium Principes* χυσοποιΐαν *jactitasse, & ab his Chemiæ prosluxisse exordia.* Hæc *Conringius*, qvi post tamen qvasi oblitus sui, & Ægyptiorum, Chemicorumq; odio exæstuans, omnem Ægyptiorum sapientiam elevat, obterit, pessumdat, utcunq; in *Mose* & *Salomone* à Spiritu Dei deprædicatam: *Venere ab Ægyptiis*, inqvit, *ad Græcos ea tantùm, qvæ ad Religionem, magiam, leges civiles, & Mathematicas pertinent disciplinas*, item: *omnem in universum Ægyptiorum sapientiam & tenuem fuisse, & impiæ superstitionis plenam, nec cum Græcorum studiis conferendam.* Qvò ergo refers, *Conringi*, ea qvæ sequuntur Ægyptiorum inventa? Panopolin, illam λιθεργῶν κατοικίαν παλαιάν ex *Strabone lib. XVII.*

Conringius Ægyptiis Chemiã tandem concedit.

Conringius Ægyptiorum scientiam vellicat

sed frustra, Exemplis aliis omnia ostendentibus.

XVII. Qvò refers illud *Epiphanii ad finem Panarii? Erant*, inqvit, *ex Ægyptiis qvi faciem certis inunctam succis in ahena ferventia citra noxam immergerent.* Qvò refers moly & nepenthes *Homericum*, ab Ægypto accersitum? Qvò refers sex illos libros Medicos Hermetis, *Clementi Alexandrino* collaudatos? Qvò refers immigrationem animarum in alia corpora? qvam ex *Diodoro Siculo lib. II. cap. VI.* certum est *Pythagoram* in Ægypto didicisse, cùm Sacerdotum acutiores haud dubiè metempsychosin illam ad nobiliorum metallorum animas in viliora plumbi, ferriq; corpora introducendas ista docendo tacitè reflexerint. Qvò refers artem ex albo illo in Ægypti finibus marmore aurum extrahentem ab antiqvis Regibus inventam? de qva operosè *Diodorus Siculus lib. Antiqv. IV. cap. II.* Qvò refers illam nitri ad Momemphim conficiendi rationem ex *Strab. Geogr. lib. XVII*? Qvò refers artem cædendi, conficiendi, erigendi tot pyramides, tot obeliscos, tot labyrinthos, mausolea, colossos, fana, sphinges saxeas? qvæ omnia in Ægypto freqventissima, & cæteris nationibus præ desperatione successuum intentata? Cui usui ex lapide illo nigro ad Memphim tot confecere mortaria ex *Strabonis lib. XVII?* Qvò refers artē Medicā, qvæ in Ægypto adeo familiaris, ut *Laërtius* scripserit Ægyptios omnes esse Medicos? Qvò refers Ægyptiam gallinarum pullitiem? de qvâ pulchrè *Diodor. Sicul. Antiqv. lib. II. Qvi aves*, inqvit, *& anseres nutriunt, præter earum, qvæ apud homines alios habentur, procreandi naturam, adeò illis indulgent, ut in numerum avium dictu mirabilem abeant. Non enim ovis incubant aves, sed ipsi ingenio, & naturali arte ex ovis præter cæterorum consvetudinem educunt fœtus.* Apparet hîc *Diodorum* non omnia,

omnia, qvæ ad pullitem illam faciebant, per invidiam gentis, penetrâſſe, alioqvin vel verbulo furni illius excluſorii meminiſſet. Qvò refers mumias Ægyptias, & rationem balſamo condiendi cadavera, Ægyptiis utiq; ante *Moſis* ætatem conſvetam? Qvò refers cœruleum illum colorem delicatiſſimum à Regibus Ægypti inventum, auctore *Theophraſto lib. de lapidibus.* Qvò refers tot machinas mechanicas, tot horologia, tot lucernas inexſtingvibiles, tot chordas Memnonis in Ægypto celebres? *Eben Rhodam Arabs tractatu de Medic. Ægypt.* narrat Ægyptios olim minutim ſecuiſſe mumias ſuas, addidiſſe frumentum, vinum, myrobalanos, auri folia, ſimiliaq; catholica medicamenta, totaq; maſsâ intra vas Chemicum conclusâ inde vel ſalem elicuiſſe, vel liqvorem, omnium morborum panaceam. Hæc *Eben Rhodam* ex fide *Kirckeri.* Qvò refers illa? Qvò refers Anatomen Ægypti Regibus ex *Plinio* familiarem? Qvò refers ſtatuariam, ab Ægyptiis ad Græcos derivatam? de qva iterum *Diodorus: Conſtat*, inqvit, *omnes qvantivis pretii ἀγάλματα Ægyptum freqventaſſe, & inter alios Teraclem & Theodorum, qvi Samiis illud Apollinis Pythii ſimulacrum perfecere.* Claudamus hanc ſcenam verbis *Diodori Sic. Antiqv. lib. II. Artes qvoq;*, ait, *apud Ægyptios videmus admodum excultas, & ad ſummum perductas.* Viderat autem *Diodorus* ipſe Ægyptum, Julio, & Octavio Auguſtis, Romanum orbem florentiſſimo rerum, & artium ſtatu temperantibus. Excutiat qvæſo hæc & ſimilia magnus *Conringius*, ut aliud aliqvid in Ægypto præter Politica, Mathematica, religioſa & Magica delituiſſe agnoſcat, videatq; qvantumcunq; reluctetur, Ægyptiorum ſapientiam Græcanicâ fuiſſe illuſtriorem. Clariſſimè *Diodorus*

lib. II. cap. VI. Profectus est, inqvit, *in Ægyptum Orpheus, Musæus, Dædalus, Homerus, Lycurgus, Solon, Plato, Pythagoras, Eudoxus, Democritus Abderites. Hi in Ægypto certè perceperunt omnia, qvæ illos apud Græcos fecere admirabiles.* Et tamen hi Græci, non nisi lacinias & pæne crepundia Ægyptiorum percepere, multo maxima retinentibus sibi Barbaris, ut ex *Strabone*, aliisq; convincitur. Et qvid Græcos adeo extollit *Conringius?* homines laboriosos illos qvidem, sed ab aliorum pendentes nutu, ab aliorum ingeniis mutila etiam carpentes, & patriæ suæ obtrudentes tanqvam miracula, cùm integra, vera, & solida rarò possent. Hinc Saïticus ille Ægyptiorum Sacerdos, ut est in *Platonis Timæo; O Solon, Solon*, inqvit, *vos Græci pueri semper estis, neq; Senex est vestrum qvisqvam, neq; canum apud vos ullum disciplinæ genus.* Hinc *Euseb. Præpar. Evan. lib. X. Vetustissimos*, inqvit, *Græcos semotas regiones laboribus maximis oberrando ab emendicatâ doctrinarum, qvibus florebant Barbari, stipe suam illam Theologiam conflâsse deprehendimus.* Atq; hinc est, qvòd non temerè legamus, vel Pythagoram, vel Solonem, vel Platonem, vel alios Græcorum antiqvissimos hieroglyphica Ægyptiorum intellexisse, utcunq; omnium oculis in tot obeliscis conspicua. Benè *Diodorus lib. IV. Literas, qvas sacras appellant* (i. e. hieroglyphicas) *soli Sacerdotes norunt à parentibus suis privatim acceptas.* Cæterùm obducet animosior aliqvis, parum videri simile veri *Chemiàm* jam olim in Ægypto floruisse, alioqvin enim & *Platonem*, & *Solonem*, & *Pythagoram*, & *Diodorum*, & Græcorum pæne infinitos Ægyptum qvondam sollicitis itineribus circulantes deprehendisse aliqvid istorum mysteriorum, eorumq; in scriptis suis qvædam dubio procul

Græcorũ scientia Ægyptiis debet originem

Græci non nisi rudiora Philosophiæ Ægyptiacæ obtinuere.

Cur antiqvi Græci pauca Chemicain Ægypto notaverint?

cul reliqvìſſe veſtigia. Excipiet ictum hunc in mei gratiam *Strabo*, & ſpecioſum telum infringet: *Eudoxus*, inqvit, *Geogr. lib. XVII. cum Platone in Ægyptum profectus eſt, & ambo cum Sacerdotibus XIII. annos converſati ſunt, ut tradidere nonnulli. Iidem Sacerdotes cùm ſcientiâ rerum cœleſtium præſtarent, ſed ſervarent eam in arcanis, neq; cum qvoqvam dignarentur communicare, tempore tamen & obſeqvio victi nonnulla aperuere præcepta, Barbaris interim plurima omnino occultantibus.* Scilicet *Aud.* inter profanum vulgus æſtimati Græci, qvos à ſacris ſuis arcet Eleuſis; & tamen ſagaciſſimi hi Græci viſi ſibi ſunt intimæ admiſſionis amici Ægyptiorum. Hinc apud *Clem. Alexand. ſtrom. I. Pythagoras* Diſcipulus traditur Sonchedis Archiprophetæ Ægyptii, *Plato* Diſcipulus Sechnuphidis Hieropolitani, *Eudoxus* Conuphidis Ægyptii. Proinde non mirum qvòd *Strabo Geogr. lib. XVII.* in hanc rem diſſerat: *Heliopoli domos amplas vidimus, in qvibus Sacerdotes habitaverant, homines Aſtronomiæ & Philoſophiæ dediti, oſtendebantur & ædes in qvibus Eudoxus & Plato egerant.* Platonem tamen non Ægyptios tantùm, ſed & Hebræos agnoviſſe Magiſtros oppidò veriſimile. *Euſebius* enim *Præp. Ev. lib. XI. cap. VIII. Certum*, inqvit, *apud Ægyptios tum temporis degiſſe Platonem, cùm Hebræi patriâ ſecundò pulſi Perſis dominantibus in Ægypto verſarentur.* His adjice præclara illa *Origenis lib. I, contra Celſum: Videtur*, inqvit, *mihi idem facere, ac ſi aliqvis in Ægypto peregrinatus (ubi ſapientes Ægyptiorum eruditi literaturâ domeſticâ, multa de Diis patriis philoſophantur; plebeji verò fabulas audientes, qvarum ignorant rationem, vehementer nihilominus ſibi placent earundem cognitione) putet omnem ſe Ægyptiorum exhauſiſſe ſapientiam ex vulgi colloqviis, cum nemine*

mine Sacerdotum converſatus, nec à qvoqvam Ægyptiorum de talibus myſteriis edoctus. Clem. Alexand. ſtrom. V. Ergo, inqvit, *omnes, ut ſemel dicam, qvi de rebus Divinis* [hoc eſt magnis, admirabilibus] *egere tam Græci, qvàm Barbari, rerum qvidem occultavere principia* (τὰς ἀρχὰς τῶν πραγμάτων ἀπεκρύψαντο) *veritatem autem ænigmatis, ſignis, ſymbolis, allegoriis, metaphoris, tropis tradidere.* Qvadrant huc illa *Diodori Siculi: Qvæ Sacerdotes* inqvit, [ſc. Ægyptii] *cognita in arcanis habent, nolunt, ut veritas ignota ſit, ad multos manare, pœnâ iis etiam adjectâ, qvi ea prodant in vulgus.* Ergo peregrinatores Græci prohibebantur ab interiori arcanorum Ægyptiacorum cognitione, ut, lingvâ, animo, relligione diffidentes, ut inconſultâ garrulitate infames, qvanqvam aliqvid ſucci inde traxiſſe perſpicaciores, qvi vel *Orphei* apud *Clem. Alex.* aliosq; *fragmenta*, vel *Pindari Lyrica*, vel *Homeri* beſtias nigras, campumq; nigrum inauratum, eruditiſſimè attactum *Blaſio Vigenerio* in *Philoſtratum*, vel *Pythagoræ* femur penitiùs intuentur, remoto fabulæ velo, neqveant dubitare. *Plato* eqvidem, ut nihil attulerit aliud poſt XIII. annorum moleſtias, unam ſecum in Hellada revexit ſententiam in *Sympoſio* ſuo deſcriptam, ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πλάζει, ignobilem illam qvidem, ſi plebejis inſpiciatur oculis, ſi lyncéis autem, admirandam totius ſcientiæ Chemicæ matrem, omniumq; ſublimationum, volatiliſationum, fixationum, reverberationum, filtrationum, præcipitationum [venia ſit vocabulis Artis] ſolidum, unicum & ſuffecturum fundamentum, in qvo pleniùs aſſeqvendo ſi Naturæ conſulti plus operæ impenderent, qvàm infructuoſis privationum, formarum, nugarumqve univerſalium com-

Occultavere Philoſophiæ ſuæ arcaniora Ægyptii.

Traxêre tamen Græci aliqvid ſucci Chemici ex Ægypto

Fundamentum Chemiæ.

commentis adstruendis, nudam tandem aliqvando spectarent Dianam, qvàm ipsi novis qvotidie generalium dissertationum tenebris reddunt vestitissimam. Neq; hoc *Platonis* aliud est, qvàm arcanior illa ante attacta sacrarii Memphitici inscriptio: *Natura naturâ gaudet, natura naturam retinet, natura naturam vincit.* Neq; inde abludit illud Divini *Hippocratis lib. de Diætâ: Concors concordi adhæret, discordia rebellant.* Qvas igitur veluti sapientiæ Ægyptiæ plumas invenerunt scrutantes Græci, magno nihilominus ipsis stetere. *Pythagoras*, verba sunt *Clementis Alex. strom. I. circumcidi se passus est, ut adyta Ægyptiorum ingrediens mysticam disceret Philosophiam. Plato non inficiatur se ea, qvæ in Philosophiâ sunt præstantissima, mercatum esse à Barbaris.* Similia tolerasse *Anaxagoram* credibile est, anteqvam eò provectus fuerit sapientiæ, ut putealem limum contrectans tremores futuros terræ certò prædiceret, notante *Marcellino lib. XX. cap. XLIII.* Sed qvid *Moses* ex Ægypto secum retulit? respondet Martyrum Antesignanus *Act. VII. Mosen omnem Ægyptiorum calluisse sapientiam.* Interpretatur rem *Philo Judæus lib. I. de vita Mosis: Didicit*, inqvit, *Moses ab Ægyptiis Arithmeticam, Geometriam, Rhythmicam, Metricam, Harmonicamq; theoriam, & omnem Musicam, tum Symbolicam Philosophiam, qvam literis sacris describunt: reliqvas liberales artes Græci docebant. Ex propinqvis autem regionibus evocati Assyrii suas literas, Chaldæi sideralem scientiam; hanc & ab Ægyptiis didicit, Mathematicæ cum primis deditus.* Cæterùm utcunq; Ægyptios Musicam respuisse tradat *Diod. Sicul.* ut noxiam, effæminatamq; disciplinam, nihil hoc officit verbis *Philonis*, qvòd in Aulis Principum qvandoq; tradantur, discanturqve

Moses qvid in Ægypto didicerit?

Moses an Musicus?

etiam mollicula, pathica, & oculos, auresq; morantia, qvæ plebeji usus nec sunt; nec esse merentur. Nam personatus ille *Justinus Martyr*, *Auctor qvæst. & respons. ad orthodox.* cùm docet Mosen Astrologiam, & Geometriam, ut proletarias artes ab Ægyptiis neqvaqvam hausisse, sed mathemata duntaxat hieroglyphica, solis initiatis in adytis secretioribus propinanda, vehementer hallucinatur, tum qvòd Astrologia, & Geometria neutiqvam inter plebejas Ægyptiorum artes numerentur, solis Regibus, Sacerdotibusq; penetratæ, ut ex *Diodoro*, *Plinio*, aliis liqvet. Probè *Origenes comment. ad cap. III. Rom.* *Apud Ægyptios*, inqvit, *nemo Astrologiæ secreta rimatur, nisi susceptâ circumcisione. Literas hieroglyphicas nemo discit nisi recutitus*; tum qvòd vana illa qvæ Astrologiam comitari solent syrmata, scisse nemini vitio vertatur, sed exercuisse, ut proinde cognitio artium profanarum in *Mose* vituperari neqveat, cùm usum earundem nemo ipsi jure exprobraverit. *Clem. Alex. lib. I. strom.* scientiam Mosis Ægyptiacam ita pleniùs definit: *Cùm autem jam esset ætate grandior, Arithmeticam & Geometriam, Rhythmicam & Harmonicam, & præterea Medicinam simul & Musicam ab iis edoctus est, qvi inter Ægyptios erant insigniores; & præterea eam, qvæ traditur per symbola & signa Philosophiam, qvam in literis ostendunt hieroglyphicis. Alium autem doctrinæ orbem tanqvam puerum Regium Græci eum docuere in Ægypto, ut dicit Philo in vita Mosis. Didicit autem literas Ægyptiorum, & rerum cœlestium scientiam à Chaldæis & ab Ægyptiis. Unde in ejus gestis dicitur eruditus fuisse, in omni Ægyptiorum sapientiâ. Eupolemus verò in libro de Judæa Regibus dicit, Mosen primum fuisse sapientem, & Grammaticam primùm tradidisse Judæis, & Phœni-*

an Astrologus?

an Grammaticus?

ces

ces accepisse à Judæis, Græcos autem à Phœnicibus. Non possum hic satis demirari *Joh. Henr. Ursini* genium, qvi, ut, qvod intendit, doceat *Mosen* nihil adeo ab Ægyptiis didicisse præter gubernandi artes, & ex *Ezechielo Tragico* παιδεύματα βασιλικὰ, inter alia *libro suo de Trismeg.* &c. *Cùm hunc Philonis locum*, inqvit, *recitasset Clemens Alexandrinus, virgulam ex Eupolemo addit censoriam.* Primò enim non adducit *Clemens* Philonis verba simpliciter, sed ex aliis addit: Μωσῆς ἐπὶ ᾧ ἰατρικὴν ἅμα καὶ Μουσικὴν παρὰ τῶν Ἀλεξανδρέων Αἰγυπτίων ἐδιδάσκετο; qvæso agnoscat in posterum *Ursinus* Mosen qvoq; in Medicis numeratum fuisse. Secundò, neutiqvam inficiatur *Clemens* Mosen ea didicisse omnia, qvæ narrat *Philo*, sed verò encyclopædiam artium à Græcis doctum fuisse Mosen, id demum est, qvod ex *Eupolemo*, & providentissimè negat, satis gnarus Græcorum literas à Phœnicibus derivatas. (*Joseph. lib. I. contr. Apion. Græci antiqvissimum literarum usum habuisse creduntur à Phœnicibus & à Cadmo se didicisse gloriantur*) Phœnicum à Judæis, Judæorum à Mose, Mosis ab Ægyptiis, Ægyptiorum à Chaldæis & Abraamo [qvi judice *apud Eusebium Artapano* primus docuit Ægyptios Astrologiam] Abraami à posteris Noachi, Sethiq; : horum ab Adamo, illius à Deo. De Abraamo disertè *Josephus Antiqv. lib. I. cap. IX. Rex donato magnâ pecuniâ Abraamo potestatem fecit congrediendi cum præstantissimis qvibusq;, doctissimisq; Ægyptiis: qvò factum ut virtutis nomine, in maximam æstimationem veniret. Nam cùm ea gens in diversos ritus, opinionesq; scinderetur, & per mutuum contemptum atq; insectationem infensis inter se animis ageret, collisos inter se de eorum religione sermones, & à seipsis confutatos vanissimos esse, nihilq; prorsus veritatis*

Ursinus notatur.

Moses Medicus.

Moses nihil à Græcis didicit.

Abraamus conjutat Ægyptios.

Ab Abraamo Ægyptii Arithmeticam & Astronomiam didicere.

ritatis habere declaravit: ob has dissertationes in pretio habitus, ut qui magnam tam intelligendi, quàm eloquendi, docendiq; facultatem præ se ferret, & numerorum scientiam & syderum benignè illis communicavit; nam ante Abraami ad se adventum Ægyptii rudes erant hujusmodi disciplinarum, quæ à Chaldæis ad Ægyptios profectæ, hinc ad Græcos tandem pervenerunt. Eupolemus apud *Eusebium præp. Ev. lib. IX. cap. XVII. Abraam Camarinæ, quæ Babyloniæ civitas est, quamq; Urien nonnulli appellant, Græci Chaldæopolin, natus, cùm sapientiâ omnibus anteiret, tum verò Astrologiam & Chaldaicam invenit, Solis & Lunæ conversiones & reliqua id genus omnia Phœnices edocuit.* Idem mox: *Cæterùm cùm apud Heliopolin Abraamus Ægyptiorum Sacerdotum consuetudine plurimum uteretur, multa ipsos, nec non Astrologiam, quæq; ad eam pertinent omnia, illo docente didicisse tradit.* Mox iterum: *Sic tamen illorum inventionem Babyloniis atq; Abraamo tribuit Eupolemus, ut principem illorum Auctorum Enochum fuisse statuat, quippe qui primus omnium Astrologiam invenerit, non autem Ægyptii.* Et mox: *Græci Atlantem Astrologiæ inventorem esse volunt, sed nimirum Atlas idem est, qui Enochus, qui Methusalem patrem habuit: hic ab Angelis omnia didicit, quæ tandem ad nos, cognitionemq; nostram pervenere* Hæc Eupolemus. Similia pæne de Abraamo tradi ab Artapano fidem facit *Euseb. præp. Evang. lib. IX. cap. XVIII. Artapanus*, inqvit, *in rerum Judaicarum historiâ scribit Abraamum in Ægyptum cum tota sua familia venisse ad Regem Ægyptiorum Pharetonem* (ut agnoscamus Pharaonem) *quem cùm Astrologiæ præceptis instituisset, ac XX. continuos annos ibi transegisset, in Syriam denuo remigrâsse, pleriq; suorum ob regionis ubertatem in Ægypto remanentibus.* Qvin & Phœnicibus

Enoch primus Astrologus.

nicibus Astrologiæ præcepta ab Abraamo instillata esse Autores sustinuere. *Euseb. præp. Evang. lib. IX. cap. XVIII.* *Incerti*, inqvit, *Auctores tradunt Abraamum Astrologiam optimè callentem primùm in Phœniciam, ubi Phœnices eadem scientiâ imbuerit, ac deinde in Ægyptum migrâsse.* Sed nos ad Mosen postliminio regrediemur. Verùm enimvero *Ursine* præter Καπλικὰ illa παιδεύματα [& Καπλικὰ erant Geometria & Astrologia] scivit & alia Moses. *Euseb. præp. Evang. lib. IX.* Μωσῆς ϑ', inqvit, καὶ λίθων δυνάμεις εὖ μάλα ἐξεπεύρεν & ἀκριβῶς ἦδει τῆς τὰ Ἀρχιερέως στολῆς, τῇ τέτων κέχρητο ϑεωρίᾳ i. e. *Et sanè Moses, qvi lapidum etiam vires apprimè callebat, non obiter, cùm de summi Sacerdotis cultu differeret, in eorundem consideratione versatus est.* Et nè in mechanicis auri, argentiq; hospitem fuisse arbitremur, non incommodum fuerit expendere Deum qvidem *Exod. XXXI.* excitâsse Beseleelem ad excogitanda varia in auro, argento, & ære artificia, eundem tamen Deum optimum maximum abundantiori spiritu ad eadem gubernanda implêsse Mosen. Ut non frustra *Philo Judæus lib. II. Alleg. Leg:* *Vocavit Deus Mosen & Beseleelem, sed invenies tabernaculum & vasa ejus omnia priùs à Mose, deinde à Beseleele delineata & parata. Moses enim est exemplarium artifex, cæterùm Beseleel imagines eorum exprimit.* *Artapanus apud Eusebium præp. Evang. lib. IX.* *Mosi*, inqvit, *& navigiorum, & machinarum, qvibus adducti sursum lapides inter se postea conjungantur, & armorum Ægyptiacorum, & instrumentorum partim hauriendæ vel deducendæ aqvæ, partim bello necessariorum, ipsiusq; adeo Philosophiæ inventionem acceptam referunt. Qvibus ipse rebus non modò populorum sibi amorem conciliavit, verùm etiam parem superis honorem à Sacerdotibus qvi Ἡφαιστῖν illum ob*

Phœnices docuit Astronomica Abraamus.

Moses gemmarius,

Magister fabricæ auri, argentiq.

Moses Mechanicus.

ob sacrarum literarum ἑρμηνείαν appellârunt, facile impetravit. Sed verò qvas tum literas sacras interpretatus est Moses, cùm nullæ essent? an hieroglyphicas? non pugnaverim. Id tamen satis concoqvere nescio, *Mosen* à Sacerdotibus vocatum *Hermetem*; obstat enimverò *Mosis* ætas *Hermete* recentior; id qvod postea, spero, clarè elucebit. Ut taceam *Isidem* Ægyptiis dici Medicinæ inventricem, illam ipsam tamen ab *Hermete* fuisse edoctam monente pluribus *Diodoro Siculo*; hæc autem ante Mosis tempora contigisse, qvòd Medicina Ægyptiorum *Mose* fuerit antiqvior, advocatis ad condiendum balsamo Jacobum Medicis. Verba *Genes. L. Præcepit Joseph Ministris suis Medicis, ut aromatibus condirent Patrem.* Nisi forsan Sacerdotes *Mosen* vocaverint *Hermetem* alterum, id qvod nihilominus odia Ægyptiorum adversus Israelitas internecina vix permiserint. Credibilius fortassis Judæorum Sacerdotes ita appellasse *Mosen*, ad imitationem Ægyptii illius *Hermetis*, antè, cùm in Ægypto viverent, auribus suis toties occentati. *Plinius lib. XXX. cap. I.* Magum facit Mosen, sed hæsitat, dum cum Jamne componit. *Philo Judæus de eo, qvòd deterior potiori soleat insidiari*; docet *Mosen* non priùs descendisse in Ægyptum cum sophistis conflicturum, qvàm postqvam egregiè meditatus esset differendi facultatem. Cæterùm nè longiùs abeamus, agnoscunt *Rabbini* in capite primo Mosaicæ Geneseos plus mysteriorum naturalium, qvàm in omni Barbaricâ Philosopiâ, tantum subtilitatis, ut nemini suorum ante annum ætatis trigesimum lectionem ejus judicent temere indulgendam. Sed utrum Chemica qvoq; scierit, tractaveritq; *Moses*, in suspenso relinqvimus, nisi qvòd parùm adhuc cum *Conringio*

Moses qvomodo vocatus Hermes.

Moses Orator.

Moses an Chemicè?

ringio fabulari libeat. Ita ergo ille: *Multo minus est*, inqvit, *qvòd moremur nonnullorum fabulas, qvasi Moses vitulum aureum comminuens, Chemicum egerit.* Cur autem hæ fabulæ Conringi? spondere ausim neminem, nisi nobilem Chemicum id præstiturum, qvod Mosen hîc præstitisse docent verba Spiritus Dei, si, ut jacent, interpretanda sint; Audiamus *Exod. XXXII. Cepit Moses vitulum illum aureum, qvem fecerant, combussit igne, & comminuit tenuiter, inseminavitq; aqvæ, deditq; filiis Israël potandum.* Audiamus *Deut. IX. Cepi*, inqvit Moses, *vitulum, cremavi igne, valde divisi tenuiter, donec instar pulveris esset, qvem projeci in fluvium ex monte profluentem.* Hinc fuere, qvos pungit *Conringius*, qvi colligerent *Mosen* Chemicâ arte aurum ita divisisse, ut in pulviſculum in aqvis dissolubilem attenuaretur, neqve enim aurum ullo modo vel per se in pulverem comburi, vel pulverem ejus ita in aqvâ profluente fatiscere, aut bibi possit. *Sennertus de Cons. & Diff.* subjicit vocem שָׂרַף non solùm notare *comburere, sed & fundere, liqvare, & qvocunq; modo in pulverem comminuere.* Demus hoc *Sennerto* [qvanqvam non tantùm LXX. *Interpr.* tum illud *Exod. XXXII.* disertè reddant, κατέκαυσεν αὐτὸν ἐν πυρὶ, tum *Deut. IX.* κατέκαυσα αὐτὸν ἐν πυρὶ, & *Buxtorffius*, aliiq; explicent, *exurere, incendere*,] adeo tamen id nodum non solvit, ut liget arctiùs: neq; enim qvisqvam fundendo, eliqvando, urendo, simplici igne, ita intima auri viscera exenteraverit, ut poculentum evadat, & non statim projectum in fluvium, fidat in fundum, nisi Chemiâ & qvidam arcaniori Duce. Reddatur, si vacat, pulvis ille auri tenuissimus sive elimando, sive tundendo, terendóve; uratur vel decies, mox aqvæ infundatur, petet e

vesti-

vestigio fundum *Aud.* & hiatum potantis eludet. Non adducam illud *Nicolai Lyræ* testimonium, qvi in hunc Exodi locum commentando refert tradere Doctores Hebræos, reos filiorum Israel bibentes hanc aqvam pulvere vituli infectam in barbis postea colorem aureum retinuisse, alios non item; hoc enim si verum, miraculum spirat, non opus Chemiæ. Posse autem aurum corrumpi, & à suis velut annellis exire, ut reclamaret tota Pyracmonum cohors, nihil efficeret, docente ipso Dei Spiritu 1. Pet. I. v. VII. & v. XVIII. aurum esse φθαρτὸν & corruptioni subjectum. En verba: Εἰδότες ὅτι οὐ φθαρτοῖς, ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ ἐλυτρώθητε. item ἁμιώτου χρυσίου τοῦ ἀπολλυμένου. Qvod si qvis minùs dictum propriè existimet, sciat, idem tridui experimento posse demonstrari. Alii ex svaveolenti, & odoratissimo illo halitu, qvem non ita pridem inventum in monte Nebo *Mosis* sepulcrum exspiravit, si *Hornio in Hist. Eccles.* fides, Chemicum aliqvid laborarent extorqvere, qvod similes pæne odores polliceatur *Chemia*, sed nostrum non est vel hariolari, vel morosiùs indulgere conjecturis: sufficerit nobis illud *Philonis de mund. opific. Moses Philosophiæ assecutus fastigium, & oraculo de præcipuis Naturæ arcanis edoctus.* Ad summam, efficiat alius non Chemicus qvæ hìc præstitit *Moses*, & *Mosen* non fuisse Chemicum agnoscemus; dicturi tum demum clariùs cum *Philone de præm. & pœnis: Hunc solum* [Mosen] *memoriæ proditum est sine auro, argentoq;, ac reliqvis opibus regnum administrâsse.* Sed qvando aurum sustinemus φθαρτὸν esse, & corruptioni obediens, non ab re fuerit, utcunqve præter institutum, illud *Conringii* de *Herm. Med.* demirari: *Constat*, inqvit, *à nullo denig; animali, lapides, metalla,*

Aurum potest corrumpi.

talla, & metallicos ſuccos corrodi. Qvid adhæc *Jul. Obſeqvens Obſerv. XLIV. Servilio Cepione*, ait, *& Servilio Gemino Coſſ. aurum in Capitolio corvi roſtris non tantùm devorârunt, ſed comederunt etiam.* Item, *Mures Antii coronam auream arroſerunt.* Idem *Obſerv. XXXIX. Mures in æde Jovis aurum roſerunt.* Idem *Obſerv. LXXIX. P. Africano & Lælio Coſſ. Fruſinone aurum ſacrum mures arroſerunt.* Æſtimaverit hæc inter oſtenta ſuperſtitioſorum credulitas, nos didicimus non temere Deum è machinâ advocandum. In hanc rem *Borellus Hiſt. & Obſ. Med. Cent. III. Obſ. LXXXV. Dominus la Pierre*, inqvit, *nobilis Caſtrenſis dum machinarum bellicarum cuſtos eſſet, & director narrat mures ſupra centum libras globulorum plumbeorum pro tormentis bellicis deſtruxiſſe, & voraſſe.* Fatetur idem *Borellus* vas ſtanneum ſibi à muribus corroſum tempore peſtis. Qvòd ferri ſuperficiem ſubigat tandem ventriculus Struthionis, Florentiæ animadverſum. Ita legimus & argenteos clypeos à muribus Lavinii arroſos, & ferrum in officinis ferrariis apud Chalybas. Exiſtimare libet ſingularem illam dulcedinem, qvam in plumbo & ſtanno [de cæteris metallis res incomperta ferè] etiam ſine acidorum miſturâ deprehendit ignis Chemicus, murium palato ſapere, cùm hominibus, ſi ore copioſiùs aſſumatur, veneni more vitæ minetur periculum. Tacebo non omne aurum dentibus ita malè morigerum eſſe, ut Europæum noſtrum. Appoſitè oculatus teſtis *Flacurtius Hiſt. Inſul. Madagaſcar: Ce qui eſt de remarquable*, inqvit, *c' eſt qu' il n' y a nul Grand dans toute cette Iſle, qui n' aye de l' or de ſes anceſtres, & cet or n' eſt en aucune façon ſemblable a l' or que nous avons en Europe, eſtant plus blaffard, mais*

preſque auſſi doux à fondre, que du plomb. Et paulò poſt: *Les orfeuvres du pais de Madagaſcar ne ſçauroient employer noſtre or, diſans qu' il eſt trop dur à fondre.* Et rurſus: *L' or de Madagaſcar eſt tres facile à fondre, dont il y en a trois ſortes, ſçavoir celuy qu' ils appellent or de Malacaſſe, qui eſt blaffard, & ne vaut pas plus de dix eſcus l' once: & eſt un or qui eſt fort doux à fondre & preſque auſſi aiſé que le plomb. Il y a de l' or de la Mecque, qui vaut bien l' or de ſequin, & le troiſieſme eſt celuy, qu' ont apporté les Chreſtiens, qui eſt à leur façon de fondre plus dur.* Sed contrahenda jam vela iſtæc.

Hermes auctor Ægyptiacæ Medicinæ.

Verùm qvo auctore cœperit primùm in Ægypto *Chemia*, opportunè aliqvis percunctabitur. Eqvidem nil dubitamus *Hermeti* ſive *Mercurio* tum Medicinæ, tum Chemiæ adſcribere originem, qvicqvid etiam de utroq; reluctetur *Conringius*, eò qvoq; in *Hermetem* provectus odio, ut in medio relinqvat, *fuerítne aliqvando Hermes qvidam humani ſanguinis, an verò Dæmon aliqvis*, &c. Usq; adeo & ſupera & infera movenda, ut color qværatur indignationi. Sed nos provehimur. Repertorem diſciplinarum & artium omnium Ægyptii Sacerdotes agnoſcebant Hermetem *ex Diod. Siculo lib. II. cap. I. & ex Strabon. li. XVII.* at Medicinam & Chemiam inter artes Ægyptiacas eſſe jam ante oſtenſum; & demonſtravit operosè *Kirckerus in Oedip. Ægyptiaco.* Iterum *Diodorus lib. Antiqv. I. cap. II. Mercurium Ægyptii honorant ut repertorem rerum plurimarum, qvibus vitæ hominum conſuleretur. Is imprimis obſervator aſtrorum curſus fuit, & vocum harmonias adinvenit. Paleſtræ etiam, numerorumq;, & ad corpora curanda Medicinæ artis inventorem volunt.* Καὶ παλαίστρας δέ φασιν ὑπάρξαι, καὶ τῆς περὶ τὸ σῶμα περιττῆς πλά-

πλάσεως ἐπιμεληθῆναι; nam certè περὶ τοῦ πλάσαι σώματος Medici operis est. Idem *Diod. lib. I. cap. II. Asserunt & Ægyptii*, inqvit, *Isidem plurium ad morbos medicamentorum fuisse inventricem*; at unde hausit scientiam suam *Isis?* respondet *Diodorus: tradi, exstare in Nysâ Arabiæ sepulchra Isidis & Osiridis, esse autem utriq; dicatam columnam sacris literis inscriptam, in columnâ autem Isidis hæc legi: Ego Isis sum Ægypti Regina à Mercurio erudita*, &c. scilicet in illa ingenii magnitudine parum sibi subtrahere visus est *Hermes*, si Reginæ, ut inclarescceret illa qvoqve, partem aliqvam scientiæ suæ, qvæ ad Medicinam spectabat, relinqveret; non ignarus in hoc etiam mustaceo laureolas qværere seqviorem sexum. Secutæ *Isidem* illo laudis thyrso percussæ, *Cleopatra* in Ægyptô, in Cariâ *Artemisia*, in Palæstinâ *Maria* qvædam [cujus scriptum Parisiis mihi ostensum, qvanqvam forsan suppositititium] ut taceam recentiores, Italorum *Isabellam Cortesiam*, Gallorum *Aigvillontiam*, Britannorum *Kentiam*, Danorum *Bertam Frisiam*, *Annam* Wecheriam Germanorum, & alias infinitas maritorum, & familiarium beneficio in re Medicâ inclytas. Sed nos ad *Mercurium*. Disertè *Jamblichus de myster. Ægypt. Scriptores*, inqvit, *Ægyptii putantes omnia inventa esse à Mercurio*, [ergo & Chemica] *libros qvoq; suos Mercurio inscripsere*. Ad rem *Julius Matern. Firmicus lib. III. cap. I. de Petosiri & Nicepso: Mundi*, inqvit, *genituram esse voluerunt, secuti Æsculapium & Anubium, qvibus potentißmum Mercurii Numen istius scientiæ secreta commisit*. Hinc discimus, *Æsculapium*, qvi inventor Medicinæ habetur, scientiæ Orgiis à *Mercurio* imbutum fuisse, [sive hîc vivam vocem urgeas, sive scripta, disqvirere nunc alienum est] adeoq; *Mercurii* discipulum: nam

Hermes antiqvior Api, Apolline, Æsculapio.

nam de *Apolline* qvem itidem primum Medicinæ agnoscunt Magistrum, res certa est, clarissimè enim *Diodorus Siculus: Isis*, inqvit, *Horum filium à Titanibus occisum, inq; aqvis inventum non restituit tantùm vitæ, sed immortalem reddidit. Qvem qvidem Horum, Apollinem interpretantur, ac medendi, divinandiq; artem à Matre Iside edoctum multum hominibus tum oraculis, tum medelis emolumenti attulisse.* Horus ergo sive Apollo [unde scriptor hieroglyphicorum *Horapollo*] Medicinam hausit ab *Iside*; *Isis*, ut ante monitum, à Mercurio. Usq; adeo evidens est, non duntaxat, qvod *Clemens Alexand.* pulchrè demonstrat, *Mosen* plerisq; Græcorum Diis antiqviorem esse, sed & *Mercurium* aliis Medicinæ inventoribus antiqviorem, eorumqve Magistrum salutandum. Nam & Api vetustiorem Hermetem nemo dubitavit. Docet qvidem *Clemens Alexand. strom. prim. Medicinam primùm ab Api qvodam Ægyptio inventam, deinde ab Æsculapio auctam esse ferunt.* Sed illud explicandum eadem ratione qvâ ista ejusdem *Clementis: Noricos conflandi æris, ferriq; purgandi rationem primos tenuisse*: nimirum salvâ Tubalcaini, & Hermetis, tanqvam primorum omnium auctoritate. Ipse *Clemens Alex. strom. primo* ex *Arcadicis Aristippi* docet Apim illum Argorum Regem Memphim ædificasse, ut inde qvoq; Hermetem, sive Chanaanem, qvippe Memphi, & qvod consequitur, Api longè antiqviorem esse convincatur. Scripsisse & Medica *Hermetem* inter alios tradit *strom. VI. Clem. Alexand. Sunt ergo*, inqvit, *XLII. libri Mercurii valdè necessarii, ex qvibus XXXVI. qvidem, qvi omnem Ægyptiorum Philosophiam continent, discunt ii, qvi ante dicti: reliqvos autem sex* οἱ Παστοφόροι, *ut qvi pertineant ad Medicinam, nempe de constructione*

ctione corporis, de morbis, de instrumentis, de medicamentis de oculis, & postremò de mulieribus. Chemiam autem Hermeti debere primordia non inde modò conficitur, qvòd Ægyptiis ipsis, docente *Kirckero*, sapientia Hermetica appelletur, sed & ex inscriptione illâ Copticis literis saxo prope Memphim insculptâ, qvam inde descripsit *Michaël Schatta* Coptita Memphitanus, non difficulter colligitur: reddita Latinè verba ita se habent: *Cœlum sursum, cœlum deorsum: astra sursum, astra deorsum: qvod sursum, omne id deorsum: hæc cape, & beaberis.* Hæc enim verba *tabulæ Hermetis smaragdinæ* tam similia sunt, qvàm ovo ovum, adeo ut ex illâ in saxum translata videantur. Sed de *tabula Smaragdinâ* mox plura. Nos Hermetem in cæterâ ingenii magnitudine auri qvoqve calluisse naturam vel ex *Chronico Alexandrino* conficiemus: *Jaunum* inqvit, *à Pico Jove, Italiæ & Occidentis Rege natum affirmant: huic à planetâ Mercurii nomen fuisse inditum; reperisse aurum, ejusq; conflandi rationem, convasatisq; rebus suis, & multo auri pondere in Ægyptum fugisse, ubi à Misremo* (i. e. fratre Misraimo) *Rege Chamigenâ receptus, cùm propter sapientiam, & artes varias in magno versaretur honore, defuncto tandem successisse.* Cæterùm qvid dubitamus ex *Homero* Chemiam *Hermeti* vindicare? Hic nè nugari semper existimemus fabulatorem Melesigenem, initio ex *Diod. Sic. lib. I. cap. II.* monendum, *Homerum ad Ægyptios profectum multa ab eorum Sacerdotibus percepisse.* Percepit enimverò non solùm mysticum illum Martis & Veneris in Odyss. ϑ. concubitum; non solùm profundas illas de bestiis nigris, & campo nigro aurato subtilitates, à solo Chemico ad oculum demonstrandas,

Hermes auctor Ægyptiacæ Chemiæ.

sed & illo occultissimi sensûs hymno, qvo Mercurio supplicat, ista percepit:

Ex Homero vindicatur

— — Ἑρμῆς πυκὸς δ' ἅπεμαίετο τέχνῃσι

& mox: Ἑρμῆς τοι πρώτιστα πυρήια, πῦρ τ' ἀνέδωκεν.

Dices, qvid inde seqvitur? seqvitur, opinor, qvod qværitis, Auditores. Paulò post enim, ubi Apollo aëreum Hermetis hujus antrum ingressus penetralia tria clave lucente reserâsset, spectatus in antro

Πολλὸς δ' χρυσός τε καὶ ἄργυρος ἔνδον ἔκειτο.

Hermeti Chemia.

& qvæ adduntur reliqva, manifestissima, nisi cæcutiamus, *Chemiæ* vestigia. Hìc nè qvis instet, dubium esse, utrum Homero debeant natales assuti illi Homerico operi Hymni, mihi qvidem hoc loco satis erit pro Homericis à plerisq; haberi, & antiqvissimos esse; qvænam enim præcisè Homerica sint, etiam in *Odysseâ & Iliade*, neminem hodie mortalium scire posse, & nè olim qvidem in Græciâ fuisse satis perspectum; neq; hìc vacat ex *Laërtio*, aliisq;, pleraq;, etiam *Aristotelica* scripta in suspicionem adduxisse, & collocâsse inter spuria. Verùm missis Homeri hymnis, si vel primum *Odysseæ ω*, versiculum attento lumine intueamur

Ἑρμῆς δ' ψυχὰς Κυλλήνιος ἐξεκάλεῖτο

Ἀνδρῶν μνησήρων, i. e. *Mercurius procorum masculorum animas evocat*, nihil χημικώτερον dici potuisse deprehendemus. Enimverò si præparatis metallorum masculis ingeniosè jungatur Mercurius, animas eorundem prævià sublimatione facilè evocat, secumq; attollit. Conspirat amicè illud vinculũ, qvod Marti injecere Otus & Ephialtes Aloëi filii *Iliad. ε.* à cujus nexu post totos demum tredecim menses vindicatus est, sed non nisi beneficio Mercurii; *tandem*, inqvit Poëta, *Martem furatus est Mercurius*, i. e. in altum extulit. Hinc Pythagoræ, teste *Laërtio* Mer-

curius appellatur πομπὸς τῶν ψυχῶν, idq; nisi fallor, convenientissimè, & Homero *Odyss. κ.* χρυσόῤῥαπις. Propterea illud *Servii in I. Georg. Virg. Sciendum sanè de planetis qvinq;, duos esse noxios, Martem & Saturnum, duos bonos, Jovem & Venerem, Mercurius verò talis est, qvalis ille, cui jungitur, unde & fingitur Deorum minister, qvòd eorum obtemperet potestati*, neqvaqvam de solis planetis cœlestibus capiendum, sed accommodatissimè qvoq; de terrestribus. Sed hæc aliàs. Qvantus autem fuerit Heros Ægyptius ille *Hermes*, vel ex eo judicare est, qvòd ipsa qvoq; Ægyptus Stephano Byzantino in voce Αἰγυπτος appelletur Ἑρμοχύμιος, sive ut prudenter emendat *Vossius de Idol.* Ἑρμοχήμιος. Accedit & aliarum gentium de *Hermete* judicium. *Galli*, ex *Jul. Cæs. Comment. VII. bell. Gallici: Mercurium Deum maximè colunt, hunc omnium inventorem artium ferunt.* Unde hæc Galli? an rarus ex oppressi reliqviis Brenni nuncius reversus Gallias illâ Hermetis imbuit reverentia? an à reliqviis Gallorum è Galatiâ redeuntibus hausere Druidæ? Et in Græciâ cultus Mercurius. *Strabo lib. VIII.* Ad Olympia crebra sunt in viis Mercurii donaria i. e. Ἑρμαῖα. Hebræi proverbio qvoq; jactant, spargere lapides in Merkolis, *hoc est*, in honorem Mercurii, de qvo *Drusius.* Qvò & *Salomonis* illud *Proverb. XXVI. sicut qvi projicit lapidem in acervum Margemah*, creditur respexisse. Illam projectionem Indis qvoq; familiarem esse, in honorem *Mercurii* testis est *Vincentius Bellovacensis lib. IV. Specul. Histor.* Saxones *Hermeti* columnã erexere Irmensul, qvasi Hermens Seul/ à Carolo Magno, capto Eresburgo, destructam. Gandavenses *Hermeti* struxere aram, referente *Theodorico Abbate S. Trudonis*; Walachria Zelandiæ dedicavit ei ido-

Hermes.

Gentibus

adoratus.

idolum, ut est in *Chronico Zelandiæ*. De causis conjectorum ad statuas Mercuriales lapidum, utcunq; non inconvenienter commentetur tum *Cornutus de natur. Deorum*, tum *Sarisburiensis in Polycratico*, rectiùs tamen haud dubiè sese expediissent Chemiæ beneficio. Hic cum aras, columnas, statuas Mercurio erectas tradant Auctores, ansam captavit *Conringius* dubitandi: *homone fuerit olim, an ex Dæmonum phalange*; qvanqvam dubium omne discutiat *Plutarchus*, *Diodorus*, alii, hominem videlicet fuisse cœlestissimi ingenii, & benefici, Osiridis notarium sacrorum, Isidis Magistrum, brachio qvidem breviorem, qvemadmodum Typhonem rufum, Martem candidiorem, Osirim nigriorem, &c. Meretur & audiri *Clemens Alexandr. strom. prim. Qvin etiam ex iis*, inqvit, *qvi aliqvando fuere homines in Ægypto, opinione autem hominum Dii, fuerunt Hermes Thebanus & Æsculapius Memphitanus, & rursus Tiresias, & Manto Thebis.* Item *Augustin. lib. VIII. de Civit. Dei: Non attendunt, in omnibus literis paganorum, aut non inveniri, aut vix inveniri Deos, qvi non fuerint homines.* Plato in Philebo: *Postqvam intentatam vocem excogitavit sive Deus aliqvis, sive homo Divinus, qvalis apud Ægyptios Theuth qvidam fuisse fertur.* Hermes ergo, sive Mercurius *Clementi* Thebanus, sc. Thebis Ægyptiis natus creditur, *Sanchuniathoni* apud *Eusebium* Phœnix, aliis Græcus; qvæ diversitas pronum ad siniisteriora judicia *Conringium* eò deniqve perpulit, ut scriberet confidenter: *nè qvidem securè credi posse, fuisse apud Ægyptios aliqvem Hermetem Trismegistum, auctorem multæ apud illos sapientiæ.* Itáne *Conringi* optime, vocandum erit in dubium, fueritne in rerum Naturâ *Homerus*, qvòd de ejus patriâ disceptârint Græcæ civitates

Homo tamen fuit Hermes.

Smyrna,

Smyrna, *Rhodos*, *Colophon*, *Salamin*, *Ios*, *Argos*, *Athenæ*. Itáne existimandum, nullum vixisse *Thomam à Kempis*, qvòd de Patriâ Scriptoris ejus adhuc pugnetur? Itáne nullum *Petronium Arbitrum*, qvòd *Valesius* nuper Massilienſem eum faciat, omnibus hactenus contraria opinantibus? Itáne nullum Cadmum viderunt ſecula? cùm Diodorus eum Thebis Ægyptiis ortum memoret, cæteri in Phœniciâ: ſcilicet, qvia *Hermes* non ita multò poſt diluvium floruit, qvâ tempeſtate rari ubiq; vel nulli ſcriptores, non mirum de ejus Patriâ à poſteris Ægyptiorum diverſas foveri opiniones. Nos cùm momentis poſt adducendis moti Hermetem arbitremur non fuiſſe alium, qvàm Chanaanem, rogamus *Conringium*, ut præcisè nobis Chanaanis natale ſolum definiat, & nos iterum pollicebimur nos *Hermetis* patriam ad amuſſim definituros. Sufficerent jam dicta evertendis *Conringii* rationibus, docendoqve tam Medicinam qvàm Chemiam Ægyptiam ab Hermete profectam eſſe; mantiſſæ tamen loco pauca adjiciemus: *Tertulliano* Hermes Phyſicorum Magiſter eſt, *lib. de Anim. cap. II. & adverſ. Valentin. cap. XV. Diodoro Siculo cap. XVI.* oleæ inventor. Et qvando edocta à Mercurio Iſis pharmaco Ἀθανασίας filium Horum vitæ reſtituit, conſeqvitur inde manifeſtò, *Mercurium* illius pharmaci primum fuiſſe architectum. Nec immeritò existimari poteſt, ab Hermete profectum initiò, medicamentum illud, qvod ſuâ qvoq; ætate uſurpatum Dioſpolitanis Ægypti mulieribus tradit *Diodorus*, qvod & olim Helenæ ex Ægypto transmiſſum, νηπενθὲς illud & ἄχολον *Homero* deſcriptum. Vox *Diodori lib. II. cap. VI. Homerum in Ægypto fuiſſe tum alia multa indicia feruntur, tum maxime potio ab Helena in*

Hermes cujas fuerit.

Nepen- *præteritorum oblivionem Telemacho data. Nam potionem ad abolendum luctum, qvam Poëta Helenam composuisse scribit, Thebis Ægyptiis à Polydamnâ Thonis uxore factam constat, ubi nunc qvoq; mulieres hoc medicamine utuntur. Apud so-*

thes unde *los verò Heliopolitanos qvoq; olim inventa tradunt & iræ & doloris pharmaca.* Nullius hîc superstitionis indicium. Credibile Diospolitanas mulieres sulphur illud narcoti-

allatum. cum opiatorum cicurare rectiùs potuisse, qvàm hodiernos pharmacopœos. Nec est, qvòd autumet *Conringius: nepenthes illud vi supra naturæ potestatem assurgente egisse*; ut enim mittam Poëtarum institutum, omnia in majus extollere, & in præconiis non minùs qvàm vituperiis excedere mediocritatem, adeoq; ex muscâ Libycos sæpè formare elephantes; certè hodieqve narcotica sunt, qvæ tantùm non id omne præstant, qvod à nepenthe suo exspectat Homerus; in qvem numerum & Maslach Turcarum, & Goënsium pellicum Daturam refert experientia. Licet enim opiata nobis qvoq; haud rarò freqvententur usu, Asiaticis tamen, Turcis, Persis, In-

Vis opia- dis & freqventiora sunt, & tutiora, & efficaciora; sive autem aëris ibi temperamento, sive corporum, sive præparandi modo id adscribendum, nunc non disputabimus, contenti revocâsse nobis in memoriam, vexa-

torum. tam non ita pridem à nobis apud illustrem *Bourdelotium* Parisiis controversiam: *Cur Turcæ sumpto opiato per somnos mox videantur sibi vivere in Paradiso: Christiani in inferno?* Ex Ægypto autem profectum esse nepenthes illud *Homericum*, adeoq; ex fontibus *Hermetis*, ecce luculentum *Plinii lib. XIII. cap. II. testimonium! Homerus qvidem*, inqvit, *primus doctrinarum, & antiqvitatis Parens, multus aliàs in admiratione Circes, gloriam herbarum Ægy-*

pto

pto tribuit. Herbas certè Ægyptias à Regis uxore traditas ſuæ Helenæ plurimas narrat, ac nobile illud nepenthes, oblivionem triſtitiæ, veniamq; offerens, ab Helenâ utiq; omnibus mortalibus propinandum. Neq; propterea negamus plurima vana, ſuperſtitioſa, magica, ridicula tum Medicinæ, tum reliqvis artibus Ægyptiis paulatim ſeſe ingeſſiſſe, ut in pingviori frumento infelix non raro lolium dominari aſſolet; qvô & referimus Ægyptii illius ἀγερωχίαν docentis ineptias *Galeno qvoq; lib. de marc. cap. II. & IV.* prudenter irriſas.

Non omnia Ægyptiorum proba.

Poſteaqvam ergo liqvidum reddiderit tot clarorum ex Antiqvitate ſcriptorum auctoritas, ſtabile jam olim in Ægypto Chemiæ fuiſſe domicilium, reſtat disqvirere accuratiùs, qvam Ægypti provinciam, qvam urbem elegerit ſibi palæſtræ loco illuſtre ſtudium. Ubi advertendum Heliopolin, Dioſpolin ſeu Thebas Ægyptias, Ammon-No, & No-Ammon ſacris vocatas ſcriptoribus ex *Bocharto*, habitam Aſtrologiæ exactioris & Aſtronomiæ primariam ſedem, ita enim credimus *Hecateo Mileſio*, & *Diodoro Siculo lib. V. cap. L.* & *Straboni lib. XVII.* cæterùm arcanam *Chemiæ* officinam Memphis potiſſimum inclaruiſſe, id qvod ex *Panopolite Zoſimo*, & ipſo Ægyptio, ex *Syneſio*, ex *Pſello* jam ante demonſtratum. Sed cur Memphis potiùs, qvàm Heliopoli? In *Diodori lib. II. cap. II.* videor mihi rationem ejus qvaſi per nebulam conſpicere: *Octavus*, inqvit, *Ægyptiorum Rex Chemmis Memphi regnavit annos L. ædificavitq; trium pyramidum maximam, inter ſeptem clariſſima opera numeratam.* Scilicet credibile, voluiſſe Chemmin, ut ars nomini ſuo ſimillima, in ſuâ qvoq; urbe præcipuè excoleretur. Accedamus propiùs ad hunc ignem. Memphis

Memphis olim Chemiæ officina.

varia radiabant delubra, collocante ibidem *Strabone lib. Geogr. XVII.* non tantùm Veneris templum, sed & Apidis, Serapeumq;; verùm præcipuè admirationi fuit ibi *templum Vulcani*, magnificum illud, & Dædaliqvoq; ingenio nobilitatum, qvod Chemiæ arcanioris sacrarium fuisse ex artibus jam ante expensis, ratio persvadet. De qvo ita *Herodotus: Memphi exstructum est spectosum Vulcani templum, cujus vestibula spectant Aqvilonem.* Vestibula illa *ex Diod. Sic. lib. II. cap. VI.* Dædali opera sunt. Iterum *Diodorus lib. II. cap. I.* Rex Ægypti Miris ædificavit Memphi Boreale illud propylæum reliqvis excellentius. Qvod autem spectent Boream, non suis caret rationibus; ruminandum proinde Vulcaniæ Philosophiæ candidatis, tum qvid Aqvilonii venti plus præstent in Naturæ investigatione Austrinis, tum cur *Jobus cap. XXXVII.* ex *Aqvilone* scribat *aurum adventare.* Ut taceam illud Herodoti: *Ad Septentrionem Europæ plurimam auri vim esse constat.* De illo cardinum mundi discrimine hæc eruditissimus *Petrus Poterius: Uncia una*, inqvit, *olei sulphuris per retortam* acti, *intra mensem, alteram unciam dabit pro ratione tempestatis: nam si Australis sit tempestas, & humida, plus; si Septentrionalis & sicca, minus.* Normanni Gallorum jam diu observavere saginandis avibus ineptum Austri flatum, convenientissimum Aqvilonis. Sed hæc aliàs. Nos revertimur ad templum Vulcani: Iterum *Herodotus: Psammetichus omni potitus Ægypto Vulcani templo vestibula fecit alia Austrum spectantia;* alia orientem ex *Diodoro;* magis hæc forsan in speciem, qvàm ad occultam aliqvam Naturæ vim ostendendam. In hoc ipso Memphitico Vulcani delubro Sesostris suas & uxoris ex uno lapide solido statuas collocavit,

& qvidem

ibi Vulca-

ni templū.

cavit, monente *Diodoro Siculo lib. II. cap. I.* Qvid qvod & *Isis*, admirabilis illa morborum domitrix, & auctrix pharmaci ἀθανασίας ad Memphim in Luco Vulcani sepulta jaceat, si vera tradit *Diodor. lib. I. cap. II.* Rursus *Diodorus lib. II. cap. IV. Sacerdotes primùm in civitatem Nili vitulum perducunt, in qvâ eum nutriunt XL. diebus, deinde in navim contectam habitaculum aureum habentem introducentes, & Memphim ducentes ut Deum, in Vulcani fano locant.* Adhuc *Diodorus lib. II. cap. VI. Ager est aureæ Veneris prope Memphim.* De Sacerdotibus hujus templi ita *Herodotus: Hæc*, inqvit, *à Sacerdotibus Vulcani, qvi Memphis sunt, audivi.* Ab urbe Memphiticâ non procul distabant, ut tradit *lib. XVII. Strabo*, duæ nitrariæ fodinæ, eæq; feraciſſimæ, commodum Vulcaniæ officinæ ad liqvores acidulos efficaciſſimos instrumentum. Cæterùm qvid impulit Ægyptios ad pulvinaria Vulcano sternenda? edisserit rem *Diodorus Sic. lib. I. cap. II. Qvidam Sacerdotes*, inqvit, *affirmant, primum in Ægypto regnasse Vulcanum, ignis inventorem, eoq; beneficio Ducem ab Ægyptiis constitutum.* Hinc Ægyptus olim qvoq; Ἡφαιστία dicta *Stephano Byzantino*, & *Eustathio in Dionysium.* Et paulò ante *Diodorus*: *Ægyptii*, inqvit, *ignem Vulcanum interpretantur, magnum illum Deum existimantes, & multum ad generationem, perfectionemq; rerum conferre. Palæphatus*, & cum eo *Chronicon Alexandrinum: tradunt Vulcanum primum fuisse Ægypti Regem, atq; esse inter Deos relatum, qvòd precibus suis artem fabricandi arma de Cælo impetrasset; post eum regnasse Vulcani filium Solem.* Scilicet hoc Chemiæ antiqvæ, & arcanioris olim institutum, per Vulcanum producere Solem. *Euseb. de Præp. Evang. lib. II. cap. I.* tradit ex ore Sacerdotum qvorundam Ægypti-

Qvis fuerit Ægyptiorum Vulcanus.

gyptiorum, Vulcanum ignis inventorem, primum Ægyptiorum Regem numerandum, ei autem in Imperio succeſſiſſe Saturnum. Idem *Euſeb. lib. III. cap. XI. Deum Cneph ex ore ovum effudiſſe narrant Ægyptii, ex eoq; ſatum alium eſſe Deum, qvi ipſis Phtha, Græcis Vulcanus appelletur, ovum autem illud mundum interpretantur.* Sed omittis ne ignis Auctoribus Vulcanus? non omnis, *Aud.* purior enim ille & cœleſtis, judicio *Phurnuti*, Jupiter eſt Græcis, à ζῆν ζεὺς dictus; impurior autem ille, ſive inter fulmina nubium coruſcans, ſive in domibus ardens, ſive in montibus ignivomis, ſacrificijs, fabrorum officinis elucens, Vulcanus eſt, Græcis Ἥφαιστος ab ἅπτω, hoc eſt, *eſſe accenſum.* Ignis autem focorum præſertim publicorum Veſta appellatus. Interea qvis fuerit Vulcanus ille Ægypto adoratus non ab re fuerit, ſollicitiùs disqvirere. *Cicero lib. V. de Nat. Deorum*, qvatuor recenſet Vulcanos; *primum* Cœlo natum, qvi ante diluvii undas vivens Tubalcainus videri poſſit; *ſecundum* Nilo natum, cuſtodem Ægypti; *tertium* Jove & Junone natum; *qvartum* Mænalio, inſularum Vulcaniarum Dominum, qvem non injuriâ à Græcis conſictum ad imitationem cæterorum exiſtimaveritis. Duo illi intermedii in unam conſpirant perſonam, Vulcanus enim iſte Jove natus, & tam magnifico ab Ægyptiis cultu delinitus, is ipſe eſt, qvem è Nilo procreat *Cicero*, qvemqve Ægypto admovet cuſtodem. Enimverò plusqvam veriſimile eſt, utrumq; eſſe unum illum Mizraimum Chami, hoc eſt, Jovis filium, Ægypti primum à diluvio Monarcham, & artium Vulcaniarum, à parente traditarum in Ægypto, ut ante attactum, propagatorem. De qvo apertè *Diog. Laërtius lib. I.* ſcribit: *Vulcanum Nili Ægyptii*

Qvot olim Vulcani.

Vulcanus Ægyptius

Ægyptii filium Philosophiæ aperuisse principia. Scilicet ita, ut frater Hermes omnia rectiùs, solidiusq; Ex superioribus eqvidem constat Ægyptum in sacris terram Cham appellari, & à *Plutarcho* Chemiam; Chamum autem eundem esse, qvi gentilibus Jupiter dicitur, ostendit non tantùm *in Euterpe Herodotus:* Ἄμμωνα γὰρ Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία. Accedit Jovis Hammonis templum, formatum in arenis Libyæ, qvò Chamum ablegatum esse evidens est, ut steriles Asiæ arenas possessor incoleret; sed & vis vocis testatur idem; qvid enim Ham nisi *fervere* Hebræis, qvid ζεὺς, à ζέειν Græcis, nisi *bullire?* ut mittam Jovem Cœli Dominum fingi, qvòd Chamo obtigerit Africa Sole verticali perusta. Ultimò, nil temerè freqventiùs legitur apud *Phurnutum*, Auctoresq; alios, qvàm Jovem genitalia patris sui exsecuisse, idem Chamo usu venit, oculos suos, contemplando verenda paterna, conscelerati; nataq; Poëtis fabulandi occasio ex Hebræâ voce, qvæ & nudare significat, & exscindere. Saturnum autem haud alium esse qvàm Noachum, ita speciosis urget argumentis eruditissimus *Bochartus in suo Phaleg*, ut contraire pæne temerarium judicari possit. Ostenso jam, Vulcanum illum à diluvio viventem Mizraimum fuisse, reliqvum nunc est, ut ostendatur, *Mercurium* tot in Ægypto artium inventorem, Vulcani illius fratrem habendum esse, hoc est, *Chanaanem.* Id verò persvadent multa: Primò, Jovis uterq; filius traditur, uterq; enim Chamo satus. Secundò, utriqve mercatura curæ; Chanaan Mercatorem signat, *Mercurius* Mercatorum agnoscitur Deus. Tertiò, ad fratrum ministeria damnatur in sacris Chanaan, & ad Jovis, Deorumqve ministeria in profanis Mercurius.

Mizraimus fuit.

Hermes fuit Chanaan.

Qvartò,

Qvartò, nota callida Mercurii furacitas Chananæorum seu Phœnicum in commerciis exprimit vafritiem. Qvintò, *Mercurius* ex *Sanchuniathone*, *Diodoro*, aliisqve primus literas & Astronomica invenit; Cadmus Chananita sive Phœnicius ex *Plinio* primus in Græciam invexit literas. Hinc astrorum periti Phœnices maritimos suos cursus, qvibus hodiernorum exemplo Batavorum, omnia persultabant maria, diducente rem in *Phaleg Bocharto*, ad stellas dirigebant, à qvibus Astronomia ad Græcos tandem devoluta est, auctore *Strabone lib. Geogr. XVI.* Tandem sextò, Chanaan in sacris existimatur Chamo patri assistens erubescendo se oblectâsse spectaculo; nec minus in paganis *Mercurius* Jovi fingitur adstare lasciviæ minister, & amorum proxeneta.

An supersint Hermetis scripta ulla?

Ex hujus *Mercurii*, sive *Hermetis* scriptis nihil adeo ad nostras pervenit manus, qvod tutò, affirmateq; ab ipso *Hermete* profectum audemus spondere. Fuisse olim non dubitamus: Benè *Diodorus Siculus lib. II. cap. IV. Sacerdotes Memphis secretiora qvædam scripta habent.* Hermetis illa fuisse ex *Clemente Alexandrino* demonstratur. Manifestè *Plutarchus* Trajani seculi scriptor, *de Iside & Osiride: proditum memoriæ est*, inqvit, *in libris, qvi Mercurii dicuntur.* Neq; enim cum imperiosissimi styli *Ursino* vel *Hermetem* fabulis accensendum, vel libros omnes, qvi *Hermetis* nomine venditantur, toto corpore spurios esse arbitramur, doctis censuram relinqventes. Eandem ferè, qvam *Ursinus*, cantilenam jam ante cecinit *Conringius.* Utriq; multum debet literatus orbis, sed idem recordatur cessâsse nunc Oracula, & licere vel à qvovis Aristarcho ad novum tribunal provocare. Inspiciamus ergo acuta illa *Ursini* tela: *Primus omnium*, inqvit,

qvit, *Mercurii librorum, qvantum eqvidem recordor, meminisse videtur Manethos ille Sebennita (post Mnevin Legislatorem, si qva Diodoro fides est, qvi leges suas à Mercurio sibi traditas finxit) post Herodotum, cui libri isti ignorati fuerunt, annis CLIX. ante Christum ferè CCLXXXIII. Nam qvòd Philo Byblius, qvi, ut Suidas indicat, post Adrianum Imperatorem vixit,* [& diu antè, Ursine] *altero post Christum seculo, Sanchuniathonem ex libris Mercurii professe mentitur, suo loco discutiendum est: Et citat ille Philo librum Mercurii Thaauti de Origine Mundi apud Euseb. I. de Præp. Evang. cap. VII. qvem ex iis, qvæ ex eo describit, fabulosissimum fuisse oportet.* Eqvidem qvis omnium primus meminerit scriptorum Hermetis, post deplorandum illud Bibliothecæ Ptolemaicæ naufragium, post tot bella, incendia, post eum tot seculis literarum contemptum, nemo prudens sustinuerit definire. Demus tamen, *Manethonem* inter primos habendum; at verò, qvod caput rei est, Manethon non hausit sua ex sui ævi scriptoribus, sed ex vetustissimis columnis, [qvarum nonnullæ *Hermeti* forsan æqvævæ] in terrâ Seriadicâ collocatis, ut ante ostensum. Mneves finxit se leges suas à Mercurio traditas accepisse, monente *Diodoro lib. I. cap. XLIV.* Sed nisi & tum recens fuisset *Mercurii* memoria, & scripsisse eum aliqvid, constitisset, imprudenter satis Mneves, Rex alioqvin sapiens, ad leges à *Mercurio* sibi traditas provocâsset. Neq; enim tum aliter Deus æstimari potuit Ægyptiis *Mercurius*, qvàm ex eorum genere, qvos nuper homines fuisse constaret, ut ex *Plutarcho*, & *Clemente Alexandrino* demonstratum. Et velle eum, qvem ex *Diodoro Siculo* à Sacerdotibus Ægyptiis vivâ voce informato, constat, primum inveniisse li-

Ursinus se opponit Philoni Byblio & Sanchuniathoni.

teras *lib. I. cap. XVI.* negare aliqvid scripsisse, qvæ demum insolentia est? ut nihil dicam austerius. Huc referenda illa *Platonis* in *Philebo: Qvi literas invenit, eum vel Deum, vel hominem Divinum fuisse oportet, qvalis apud Ægyptios Theuth fuisse perhibetur: qvi vocales literas consideravit, mutas distinxit, artem Grammaticam docuit.* Rursus *Plato* in *Phædro* narrat, *Theuth inventas à se artes Arithmeticen, Geometriam, Astronomiam, literas &c. exhibuisse Thamo, ut inter Ægyptios dividerentur.* Nunc ad *Sanchuniathonem.* De eo ita *Porphyrius lib. IV. contra Celsi.* docente *Eusebio: In scribendâ*, inqvit, *historiâ rerum Judaicarum veritatis amantissimus est Sanchuniathon ille Berythius, qvi universam suam historiam cùm ex publicis urbis, tum è sacris tabulis hausiam summo veritatis studio Phœniciâ lingvâ conscripsit.* Suidas ita: Σαγχωνιάθων τύριος φιλόσοφος, ὃς γέγονε κατὰ τὰ Τρωϊκά. Περὶ Ἑρμοῦ Φυσιολογίας: [scilicet scripsit] ἥτις μεταφράσθη παρὰ Τυρίων τῇ φοινίκων διαλέκτῳ Αἰγυπτιακῇ θεολογίαν καὶ τὰ ἄλλα. De eo ita apud *Euseb. de Prep. Evang. lib. I. cap. IX. Philo* Byblius: *Sanchuniathon vir multæ & eruditionis, & curiositatis, cùm operam in rerum plurimarum studio posuisset, cumq; omnium gentium historiam usq; à primâ universi constitutione nosse vehementer cuperet, præcipuam qvandam in perveſtigandis Thaauti* [i. e. Mercurii] *scriptis diligentiam adhibuit, qvòd satis intelligeret, omnium, qvi sub sole sunt, principem Thaautum literas invenisse, & librorum scriptionem cœpisse.* Qvænam autem scripta Mercurii evolverit *Sanchuniathon*, ostenditur apud *Euseb. de Prep. Evang. lib. I. cap. X. Sanchuniathon ex Phœnicum Theologiâ principium hujus universi ponit aërem tenebrosum ac spirituosum, chaosq; turbidum & caliginosum.* Mox: *Ex spiritus hujus & corporis con-*

sed frustra.

Scripta

conjunctione prodiit Mot, id qvod limum nonnulli, alii aqvosa corruptionis mixturam esse volunt, ex qvâ secutæ productionis semina, ipsaq; adeo rerum generatio exstitit. Hæc in Thaauti de mundi ortu Commentariis reperta sunt. Scripsisse & Physica Hermetem necesse est, qvod vel ista *Sanchuniathonis* ibidem citata persvaserint. *Thaautus* (*qvem Ægyptii* Θωὼθ *appellant, Alexandrini Thoyth, Græci* Ἑρμῆν) *Draconis. Serpentumq; naturæ Divinitatem aliqvam tribuebat, qvam etiam opinionem Phœnices & Ægyptii postea comprobârunt; nam hoc genus animalis præ cunctis reptilibus vi & copiâ spiritus abundare docet, igneamq; ejus esse naturam. Sc.* πνευματικώτατον γὰρ τὸ ζῷον πάντων τῶν ἑρπετῶν, καὶ πυρῶδες. Seponantur nunc studia partium, & patebit vel ex hoc loco Mercurium fuisse Chemicum. Enimverò qvòd serpentis prærogativam ex spiritus ignei abundantiâ collegerint præeunte Hermete Ægyptii, illud utiq; magisterio Chemico debent, cujus ope ex serpentibus spirituum cum oleo efficaciſſimo magna vis elicitur: nam ex tactu & inspectione serpentis, omnes bestiam judicabunt frigidissimam, unde & delicatulæ qvædam Venetæ vivis serpentibus ardente Sirio colla qvandoq; circumdant, ut frigidulo eorundem fotu injurias æstus solaris ulciscantur. Postea refert *Philo* lecta qvoq; *Sanchuniathonis* arcana qvædam volumina Ammonæorum. Compendio ad hæc respondet *Ursinus: Mentitur*, inqvit, *Philo.* Satis imperiosè: Mitiùs de eo *Suidas:* Φίλων, inqvit, Βύβλιος γραμματικός· ἔτι δὲ γέγονεν ἄλλος τῶν χρόνων ἐγγὺς Νέρωνος, καὶ ἐκλογὴ βιβλίων βιβλία ιβ'. ἐκ πόλεων καὶ ὧν ἐκώμη αὐτῶν συνθέσεις ἤνεγκε, βιβλία λ'. ἐκ τῆς βασιλείας Ἀδριανοῦ, ἐφ' οὗ καὶ ἦν ὁ Φίλων. Nullam in Philone notat sinisteritatem *Suidas*, sed ardentior Ursinus: *Mentitur,*

Hermetis.

An serpens spiritu abundet igneo?

titur, inqvit, *Philo:* Cur verò? *Ipsum nomen figmentum indicat. Mihi cum ludibrio Christiani nominis dictus videtur, qvasi scopulus præparatus asinæ; hoc enim tria Hebraica vocabula notant, San-chuni-athon.* Sed istæc verò violentia est, *Ursine:* Vocem Phœniciam esse agnoscit *Porphyrius*, & tradit significare philalethen apud *Theodoret. II. de cur. Græc. affect.* Similia docet eruditissimus *Aldrete.* Tu autem, ut ansam invenias exagitandi hominem, ad explicationem Hebraicam [similem qvidem, non eandem] inconcessâ descendis solertiâ; Sed esto, agnoscatur Hebræum nomen; Isascharisné nomen etiam credendum erit spurium, qvòd Jacobus ei asinum inter limites decumbentem assignaret? Nulline ergo Romæ vixere illustres Asinii, nulli Scrofæ, nulli Verres; qvòd à bestiis ignobilibus derivati hi tituli? Excipies *Porphyrium* de *Sanchuniathone* qvædam tradere, qvæ veritati historicæ minùs congruant. An id luet *Philo*, si peccaverit *Porphyrius* in circumstantiis? Ergóne nulli fuere in rerum naturâ Judæi, qvòd in prosequendâ illorum historiâ alia deliqverit *Justinus*, alia *Tacitus?* Qvod si *Sanchuniathonis* scripta confinxissent *Philo* & *Porphyrius*, omni dubio procul observâsset id vel *Eusebius* vel *Theodoretus*, & merces illas adulterinas meritâ notâsset censurâ. Sed nullam falcem in hanc segetem immisere Patres ætate *Philoni* & *Porphyrio* proximi; è contrario, scripta hæc ut genuina & sinceriſſimæ monetæ admisere volentes. Et qvis mendacii fructus *Philoni?* qvis *Porphyrio?* neq; enim eò provectus stoliditatis credendus Porphyrius, ut putaret allatis illis *Sanchuniathonis* verbis debellare se posse Christianismum. Qvid qvod & visum sibi integrum *Sanchuniathonis* scriptum fatea-

Vindicatur Philo, & Sanchuniathon, & Manethon.

tur

tur alicubi Kirckerus. *Sed Herodoto ignoti fuere Manethonis libri?* Qvis fidem ſuam interponet? viderit forſan, ſed contempſerit. Eſto tamen, non viderit. Ergone negandi fuiſſe? Multa oſcitanter tranſeunt viatores, etiam inſignia & rara. Pauci noſtrum, qvi peregrinati ſunt in Galliis, *Bernhardum Palliſſium*, curioſiſſimum ſcriptorem agnovere; pauci qvi in Britanniis *Forteſcbuum*; pauci qvi in Luſitaniis, *Ludovicum Camoëſium*, pauci qvi in Hiſpaniis, *Didacum Alonſum Barbam*, pauci qvi in Italiâ, *Ferrantem Imperatum*, & tamen jam diu ſcriptis iſti Auctores omnes inclaruere. *At Mercurii ille Liber Philoni laudatus fabuloſa propinat.* Neq; nos *Mercurium*, licet hominem ſapientiſſimum ita eximimus humanæ ſorti, ut eum in ſcriptis ſuis labi non potuiſſe arbitremur. Qvid qvod forſan luculentæ ejus purpuræ progreſſu temporis panni aliqvot aſcititii ab imperitorum manibus aſſuti; neq; enim ipſæ ſacræ literæ carent ſuis apocryphis. Obtuſiora ergo ſunt *Urſini* tela, qvàm ut vel *Manethonem*, vel *Sanchuniathonem* in numerum ſpuriorum qveant referre. Sed ad Hermetem *redeundum. Jamblichus*, inqvit *Urſinus, trabali, ut ſic dicam, mendacio Mercurium dixit librorum XXXVI. millia & IↃXXIX. ſcripſiſſe.* Qvàm in proclivi *Urſino* eſt mendacii reos arguere Antiqvos? Urbaniùs illuſtris *Bochartus* tot libros, totidem verſus interpretatur; qvomodo & de Zoroaſtre *Plinius lib. XXX. cap. I.* niſi malis pro tot libris totidem philyras agnoſcere, qvòd in Ægypto ſcriberet *Hermes*, libro Niloticâ chartæ vicem ſupplente. Sed qvot libros exiguo admodum tempore ſcripſiſſe traditur *Esdras?* qvomodo orbis non caperet ſcribendos de geſtis Salvatoris libros? qvomodo totum bibliotheca non ca-

Qvot libros ſcripſerit Hermes?

pit *Livium*? Explicandi sunt Auctores, *Ursine*, non statim obelis configendi. Qvam ergo trabem in trabali hoc, ceu vocas, mendacio qvæsivisti, vide nè in proprio invenias oculo. Qvid qvòd nihil facilius qvàm *Jamblichum* ex *Jamblicho* expedire; apertè enim de *Myst. Ægypt.* alibi: *Ægyptii*, inqvit, *Scriptores, putantes omnia inventa esse à Mercurio, libros suos Mercurio inscribebant.* & alibi: *Qvi enim sub Mercurii titulo circumferuntur libri, opiniones Mercuriales continent, etsi sæpe Philosophorum Græcorum stylo loqvantur: sunt enim ex lingvâ Ægyptiâ in Græcam translati à Viris Philosophiæ non imperitis.* Scilicet agnoscit *Jamblichus* non omnes libros, qvi *Hermetis* titulo superbiunt, ab *Hermete* scriptos, alios enim opinionum, sententiarum, & scriptorum *Hermetis* esse commentatores, & interpretes. Qvi hodie nomine *Hermetis* se orbi commendant libri, pauci sunt, & multorum telis obnoxii. *Poemandrum Hermetis, Sermonem sacrum, Clavem, Sermonem ad Asclepium*, & *Minervam* cum paucis aliis qvasi ex orco revocavit magni ingenii Philosophus *Franciscus Patricius*; defendit *Fluffates Candalla*, aliiq;, qvi tamen succumbunt oneri, qvòd ex *Vossio*, *Casaubonoq;* evidenter ostendantur scripta illa recentioris esse officinæ, & qvasi semi-Platonica, & semi-Christiana. Nos cum *Jamblicho* Hermeticas ibi sententias contineri existimabimus, qvas cum Platonicâ & Christianâ Philosophiâ concordare non mirum, utcunq; ex *Hermetis* fontibus derivatas. *Plato* inde hausit Toythi, id est *Hermetis* Magistri non immemor, in *Phædro* suo. Patres Ecclesiæ Christianæ Hermetica scripta legerunt, laudaverunt. Meminere eorundem *Euseb. in Chron. Cyrillus* [qvi sermonem Hermetis ad Asclepium vocat ad partes]

tes] *Nazianzenus*, *Lactantius*, *Clemens Alexandrinus*. *Tertulliano cap. II. de anim. & adversus Valentin. cap. XV.* Hermes Physicorum Magister salutatur. Unde & *Zosimo* laudantur *Physica* scripta *Hermetis*. Esto, admiscuerit aliqvid primus, secundusq; seculi Christiani genius, non propterea suppositicia sunt universa. Sanctius existimandum erit primorum Ecclesiæ candidatorum institutum. *Jacobus Golius* præter *Gebri Scripta Arabica*, ex Oriente secum attulit *Hermetem de Venenis*, *& Antidotis*, & *Astrologiam Hermetis*, scripta Arabibus magnopere æstimata: In Bibliotheca *Th. Erpenii* libellus Arabs exstabat titulo *Hermetis de Lapidibus pretiosis*; qvo credibile est usum jam olim *Albertum Magnum* erudito, & *Conringio* qvoq; laudato *de Mineralibus* opere, in qvo ad *Hermetis* tribunal freqventissimè provocatur. Sed attributa *Hermeti Jatromathematica* ad Ammonem Ægyptium jam olim publico donavit *David Hœschelius* Anno M. D. LXXXXVII. Augustæ-Vindelicorum Græco-Latina, qvæ tamen Anno M. D. XXXII. jam ante qvoq; Noribergæ Sosiorum prælo subjecta. Verùm qvid de septem illis *Hermetis* capitulis judicandum, Theatro Chemico insertis? illa junioris cujusdam Hermetis esse res loqvitur. Qvanqvam enim modus docendi reconditum qviddam spiret, & satis Ægyptium, qvia tamen priscorum ille Auctor meminit Philosophorum, aliosqve citat Philosophos; qvia in qvatuor elementorum pugnâ multus est; qvia literas Græcas ad partes vocat (qvæ ævo Thaautico fuere nullæ) qvia toto opere Christianum redolet, neutiqvam genuinus Hermetis vetustissimi censendus fœtus. Qvod cætera spectat modò recitata, liberum cuivis esto judicium, spuriáne æstimanda sint, an genuina. Genuina esse

Qvænam supposititia scripta Hermetis?

esse plures dubitant, qvanqvam si dubitâsse sufficeret, pauca hodiè *Hippocratis*, *Homeri*, *Aristotelis scripta*, qvod vel unus testabitur *Laërtius*, inveniremus. Nos in densis illis Antiqvitatis tenebris, ubi hariolari promptum, scire difficile, fidem nostram non interponemus, eò tamen proniores, germana *Hermetis* non esse, sed cum Jamblicho, Hermeticas continere sententias, hoc est, dicta qvædam *Hermetis* aliter atq; aliter interpolata. Cæterum de *Smaragdinâ Hermetis tabulâ qvid censendum? Kirckerus in Oedip. Ægypt.* ita rem persequitur. *De Smaragdinâ*, inqvit, *tabulâ altum est apud omnes Auctores silentium; qvisnam fuerit ille Hermes, qvando vixerit, ubi inventa hæc tabula, qvo inventore, qvâ lingvâ conscripta. Estné possibile tam celebre Hermetis monimentum curiosissimos Græcorum Philosophos, qvi datâ operâ in Ægyptum proficiscebantur, latuisse? Solus Albertus Magnus in libro de secretis Chymicis* (*qvi tamen inter supposititios Alberti libros numeratur*) *ait Alexandrum Magnum in suis itineribus sepulchrum Hermetis omnium Philosophorum Parentis invenisse plenum omnibus thesauris, non metallicis, sed aureis scriptis in tabulâ Zatadi, qvam aliàs Smaragdinam vocant. Sed unde hæc Albertus? qvo Auctore? Bernhardus Canesius Alkimista, primus, qvod sciam, eam mundo obtulit, aitq; in eâ totum opus, & totius mundi thesaurum contineri. Addo qvòd omnia pene, qvæ in tabulâ istâ habentur, ex Hermetis Pymandro & Asclepio, Jamblicho & Proclo hinc inde extracta sint.* &c. Cæterùm *Wilh. Christ. Kriegsmannus* singulari Opusculo alia omnia judicat: *Ut taceam*, inqvit, *traditionem de tabula hac, seculis aliqvot post diluvium, in antro prope Hebron à muliere Zarâ manibus cadaveris Hermetis, exemptâ, nullâ sui parte malè se habere, si de Abrahami uxore*

De tabula Smaragdina judicium Kirckeri, judicium Kriegsmanni.

Sara

Sara intelligatur: cùm tempora denati Hermetis, id est Chanaanis Noachi nepotis atq; Saræ congruant; ac locus (urbs Hebron à Chanaanis sive Hermetis filio Heth exstructa, ad qvam sedem fixerat Abrahamus) convenientißimus res sit; mos adhæc Phœnicum, posterorum Hermetis, corpora demortuorum uncta cavernis sepultum abstrudendi, pulchrè concordet. Seqvatur & hic qvam qvisq; volet sententiam; verùm intueatur priùs mecum, si vacat, fragilitatem rationum Kirckerianarum. Unde securos nos reddet *Kirckerus* de illo Antiqvitatis silentio? versavitnè manibus omnes, qvi periere, Auctores? forsan unus *Manethon*, unus *Sanchuniathon*, si extaret integer, audaciæ nimiæ convinceret Jesvitam. Necesse est *Albertum illum Magnum*, utcunq; forsan suppositititium ab alio hausisse, qvæ tradidit, & qvis novit, anne ab antiqvo Scriptore? Sed non fugisset ejus notitia peregrinatores Græcos. Qvidni? non admittebantur peregrini in conscientiam arcanorum Sacerdotalium, ut jam ante disputatum. Qvis Græcorum illos XLII. *Hermetis* libros inspexit, Sacerdotibus Ægyptiis familiares? qvos fuisse tamen in Ægypto testis est luculentus *Alexandrinus ille Clemens*. Qvis Græcorum mumias Ægyptias imitari didicit? qvis pullitiem? qvis chordas Memnonis? Aut, si hodierna placent, qvis Danus in Moschoviâ peregrinator modum temperandi coria Russica incolis extorsit, elicuitvè hactenus? Qvis advena Gobelinios Parisienses ad nobilem illam serici, panniq; tincturam aperiendam potuit huc usqve permovere? Qvin & gratum illum chirothecarum Romanarum odorem scrutantibus exteris hodieq; inimitabilem reddidit artificum taciturnitas. Idem *tabulæ Smaragdinæ*, recondito illi Chemicorum oculatorum the-

Kirckeri rationes fragiles.

sauro accidisse non alienum. Et ut pressiùs intendamus hanc chordam, qvotus qvisq; veterum *tabulæ Isiacæ hieroglyphicæ* meminit, admirabilis illius ex ultimâ antiqvitate gazæ, qvam cum periisse itidem in Italiâ scriberet, doleretq; nuper *Kirckerus*, ego in Italiâ superiori anno spectavi, illam ipsam antiqvam, germanam, & Cambyse vetustiorem, in Aulâ Ducis Sabaudiæ, Augustæ Taurinorum, officiosè monstrante magno illo Italiæ lumine *Dn. Marchione de Pianezzâ*, primo Ducis Sabaudi status ministro, qvam si *Herwartius*, *Pignoriusvé* rei sublimitate victi nondum satis ad amussim excusserint, nihil hoc officiet elegantissimæ tabulæ antiqvitati. Merentur hic locum illa *Kirckeriana ex Oedip. Ægypt.* allata: *Anno M. DC. XXX.* inqvit, *in miserandâ Mantuæ urbis direptione ita evanuit tabula Isiaca (sive Bembina) ut tametsi summo studio institum sit, ut sciretur, qvid tandem de eâ factum sit, in hunc usq; diem nemini explorare licuerit. Hanc tabulam, qvam evulgavit Herwartius, irrefragabiliter concluditur ab Ægyptiis, & in Ægypto, ante Cambysis in Ægyptum factam irruptionem confectam esse.* Scilicet, veluti hîc diligentiam qværentis Kirckeri fugit hactenus tabula Isiaca, ita multo magis fugere potuit Smaragdina Græcos vel non qværentes, vel qværendam ignorantes. Credibilius *tabulam* illam *Smaragdinam*, si qvidem *Hermetis* est, uti non sine ratione æstimatur, in bellicis illis Ægypti collisionibus, jam Phœnicibus, jam Cambyse Cyri filio, jam Cornelio Gallo Augusti seculo, Ægyptum vexantibus, & Diospolin, atq; alia Sacerdotum adyta penetralia evertentibus, raptam, alioq; asportatam fuisse, & raptore forsan pereunte, in cœno, aut palude obtritam, qvod celebratissimo illi *aureo cornu Danico*, contigisse

Tabula Isiaca itetum inventa.

giſſe certum eſt, qvantumvis Kirckerus, aliiq; in Chemiam obliqvi eodem confutandi artificio facilè oſtenderent aureum illud cornu in Cimbria repertum fuiſſe nunqvam, qvòd in *Danorum hiſtoriis* nullum illius exſtet monimentum evidens. Vidi ego ante biennium Romæ ex ſuggrundario templi Minervæ poſt plurimorum tenebras ſeculorum in lucem ex inſperato produci, eruiq; *Obeliſcum* egregium *Ægyptium* hieroglyphicis hinc inde diſtinctum notis; illené Kirckero æſtimandus ſpurius, qvippe nulli veruſtiſſimorum auctorum ſcriptis attactus? Erectum id loci fanum olim Iſidi fuiſſe non tantùm *Nardinus* jam ante evicerat, ſed & dimidiati vituli ex lapide lydio ſimul ex eodem ſuggrundio effoſſi perſvadebant, Apim bovem ſimulacris referentes. Accedit, vel ex eo non parum fidei adſtrui *Smaragdinæ tabulæ*, qvòd jam ante erudierit nos Jamblichus, & Lycius ille *Proclus* varias olim in Ægypto Hermetis exſtitiſſe ſive *columnas*, ſive *tabulas* inſcriptas Mercurii doctrinis, qvarum qvid prohibet unam velut ex naufragio ſalvam remanſiſſe? ut non infelicior *Hermes* judicetur *Duillio*, primo illo Pœnorum in undis debellatore, cujus adhuc columna roſtrata, mille aliis pereuntibus, in Capitolio poſt viginti circiter ſeculorum à primâ fabricâ intervallum ſalva triumphat. Pergit *Kirckerus: in hac tabula univerſalis qvædam productio rerum naturalium ad perfectiſſimum ſtatum deſcribitur, poteſtq; juxta analogiam qvandam non tantùm terreſtribus & metallicis, ſed & vegetabilibus, animalibus, cœleſtibusq; optimè applicari. Senſus igitur tabulæ nihil eſt aliud qvàm theoria qvædam præſtantiſſimæ eſſentiæ, qvam Elixir vitæ, aurum potabile, qvintamq; eſſentiam vocant.* Verùm in Alkymiâ illâ Ægyptiacâ,

Inventus Romæ antiqvus Obeliſcus.

Tabula Smaragdina non incommodè Hermeti tribuitur.

Kirckerus inconſtans.

acâ, qvam in *Oedipo* suo prosequitur, mirum se præstat Kirckerus Andabatam, qvod alibi, si res posceret, pluribus; hic nullum alium rabulæ sensum attribuit, qvàm theoriam auri potabilis, & tamen nescio qvâ vertigine circumactus eodem puncto, applicari optimè qvoqve posse vegetabilibus, animalibus & cœlestibus adjungit. Esto tamen, possit omnibus applicari, dum convenientissimè Chemico applicetur Magisterio, id qvod nemo experitur clariùs, qvàm qvi sacris Chemicorum ritè initiatus, manus inter versat, qvod Hermes intendit. Sed qvid prohibet spectare hic fluctuantem *Kirckerum! Theoriam*, inqvit, *lapidis Philosophici habuere Ægyptii, non praxin.* Mox: *Ægyptii ex omnibus fere materiis aurum eliciebant, potissimum verò ex limo Nilotico, ex saxis omnis generis:* Item, *Nili arenæ ex Æthiopicis montibus impregnatæ auro devehebant secum auriferam arenam. Deinde ad Thebas, Æthiopiam, & Arabiam saxifodinæ erant ingentes auro feraces; ex terrâ illâ durissimâ igni plurimo coctâ aurum provenit, ut fusè Diodorus Siculus lib. III. cap. II.* Iterum *Kirckerus: Non negârim tamen Ægyptios artem calluisse, qvâ aurum, argentumq; ex hydrargyri reliqvis metallis commissu fixatione conficeretur, sed de hoc ex professo in Mundo subterraneo.* Volo, nolo; nolo, volo: qvod dictum est, indictum est. *Theoriam*, inqvit, *habuere, non praxin.* Sed frustra est, Kirckere, illa in practicis disciplinis theoria, nisi praxi stabiliatur. Et veram habuisse theoriam nemo nisi ex praxi eorum ostenderit. Si praxin non habuerint, unde infinitæ illæ Regum Ægyptiorum divitiæ, proverbio qvoq; jactatæ? neqve illæ longâ seculorum ambage collectæ, sed paucis à diluvio seculis statim magnæ, statim in tot monimentis, pyramidibus, obeliscis,

Undè Ægyptiorum immensæ opes?

scis, mausolæis incredibili sumptu erectis ostentatæ. Hinc Ægyptiorum thesauros vel Mosis ævo magnos fuisse, ut nihil aliud testaretur, certè Apostolus Hebræ. XI. v. XXVI. liqvidum reddit: Μωσῆς μείζονα πλοῦτον ἡγησάμενος τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θησαυρῶν τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ. Institutum hic Apostoli evidens est; ostendere enim parat ingentes qvidem Ægyptiorum id temporis thesauros Mosi spectatos, cognitosq; fuisse, majoris tamen apud sacrum pectus æstimatum pro nomine Christi opprobrium felici tandem exodio terminandum. Nam fodinæ Ægyptiorum, de qvibus Diodorus, & raræ, & laboriosæ tractationis, & proventûs modici, nec vel Macedonicis *Philippi*, vel Bebelo in Pyrenæis *Hannibalis*, vel Potosianis *Hispanorum* comparandæ; interea & anhelans Philippi Macedonis inopia *Justino* qvoq; perstricta; & Hannibalem qvandoqve ad delectus novos destituebant subsidia; & Hispanorum Regem plus hodieq; ex venditione chartarum sigillo Regio munitarum conficere nummorum, qvàm ex utrisq; Indiis, jam nuper sagax peregrinator demonstravit. Regum autem Ægyptiorum opes adeo nec modum capiebant, nec mensuram, ut in ambitiosè profundendo semper occuparentur, semper locupletes. Hinc pyramides illæ sumptuosissimæ ob nimiam opum Ægyptiorum ostentationem *Plinio* qvoq; vellicatæ, & *Strabo lib. XVII. Juxta Thebas seu Diospolim in Obeliscis sunt inscriptiones, qvæ Regum illorum divitias & potentiam declarant.* Sed de Ægyptiorum opibus immensis *Kirckerus*, aliiq; consulendi. Ut ex ungve leonem æstimemus in unâ pyramidum maximâ erigendâ, qvam *Herodoto* & *Diodoro* teste trecenta sexaginta hominum millia annorum viginti spatio exstruxe-

rant, in solas cæpas & allia, mille sexcenta auri talenta impensa; in lapidum verò vecturam, structuramqve viginti annorum spatio, mille ducentos milliones insumptos historiæ Ægyptiorum memorant. Summam autem divitiarum Salomonis non nisi ad DCCCLXXII. milliones ascendisse docet *Kirckerus*. Nec minoris constitisse labyrinthum Ægyptium *Ammiano* credimus. Sed instat: *Aurum eliciebant Ægyptii ex omnibus ferè materiis, potissimum verò ex saxis omnis generis, & ex limo Nilotico.* Hæc gratis jactantur, *Kirckere*, neq; enim vel ex *Diodori lib. IV. cap. II.* vel *Agatharchide apud Photium*, qvi laboriosas Ægypti fodinas describunt, ostenderis ex aliâ materiâ apud Ægyptios vulgò elicitum aurum, qvàm ex qvâ hodie eliciunt Pyracmones Germani, hoc est ex saxo vel molli, vel duro, sive, ut ex arte loqvar, vel ex spatho, vel qvartzo fodinarum. Ex limo Nilotico nihil haustum, utq; Nilus aliqvid abraserit Æthiopicis rupibus, secumq; ultra Catadupas asportaverit, modicum illud fuit, nec ex limo expressum, sed inter arenas collectum Niliacas. Sed qvod subjungit *Kirckerus; hydrargyri qvandam fixationem Ægyptiis notam fuisse*, eo ipso priorem suam destruit sententiam, ostenditq; non theoriam duntaxat Chemiæ apud Ægyptiorum Sacerdotes viguisse, sed & efficacem praxin. Qvod & ipse sui immemor agnoscit in *Oedipo* Ægypt. *Artem*, inqvit, *qvandam auriferam primævos homines, nemini nisi Regibus, familiarumq; capitibus, eamq; non scriptis, sed oretenus traditam possedisse, sive ea in auro ex omnibus rebus educendo, sive in cæteris metallis unum in alterum transmutandis constiterit, adeo certum est, ut de eo nemo, nisi totius historiæ ignarus dubitare possit.* Cùm autem de hoc se ex professo

Fodinæ Ægyptiorum non nisi modicæ.

Chemicos Ægyptios agnoscit Kirckerus.

tra-

traditurum *in Mundo subterraneo* spem faciat, intuebimur, quo eventu fidem suam liberaverit. Evolvatur ergo ille longâ spe nostrâ inferior *Mundus subterraneus*, & elucebit nè attactam quidem efficaciter esse hanc, ut vocibus artis non abstineam, fixationem, tantùm abest justo opere explanatam. Ad omnia alia in illo opere, docto sanè, & laborioso, sed nondum sitim Doctorum restingvente devolvitur, etiam plebeja & cuivis fabro argentario, cuivis docimastæ cognitissima; præcipua autem naturæ interioris arcana ex intimis fundamentis evisceratа nos nobis inde promittebamus. Unum tamen horribile secretum visus sibi est aperuisse, in qvo diversis in locis triumphat; sed ecce januam Eleusines se se pandentem! *In centro salis*, inqvit, *latet formale qvoddam coagulativum, spiritus nempe salis invisibilis, qvi rebus omnibus consistentiam virtute suâ fixativâ confert; hujus virtute metalla, & mineralia suam acqvirunt corpulentiam. In salis intimo throno & centro est aliqvid immutabile & omnia coagulans. Terra pura nihil aliud est, qvàm sal coagulatus, in cujus centro ille spiritus delitescit, qvi virtute suâ omnia figit, densat, animat. Virtutes omnes in hoc terreno globo à sale dependent, reliqva terra non nisi excrementum est.* Iterum alibi: *Latet in salis centro spirituosa qvædam substantia: uti enim nitrum aqva congelata, ita & ignis congelatus dici potest, utpote qvi in suo intimo centro & naturæ thalamo totius naturæ thesaurum, atq; ignem vitæ clausum continet, qvem si qvis eâ artis felicitate fixare, eumq; aureâ vel argenteâ tinctura imbuere possit, illum arcanum illud summum & inæstimabile, qvod jam à tot seculis ab universâ Philosophorum schola indagatum fuit, possessurum nil dubito.* Prosequitur rem alio loco: *Ut dicta*

Mundus subterraneus Kirckeri spem non sustinet.

De salis centro Kirckerus.

dictâ in compendium reducamus, dico ſalem communem eſſe terræ ſemen, condimentum naturæ, omnium corporum baſin ac ſuſtentaculum, elementum terræ genuinum ac proximum; hic pro ut à variis mineralibus tingitur, ita qvoq; in alium ſpecie differentem ſalem, ut nitrum, alumen, vitriolum convertitur, qvo non obſtante originis ſuæ incunabula ſemper inviolabili jure tenet, qvo dempto colore idem eſt, qvi fuit prius. Rurſus alibi: *Sub ſale uſuali velut ſub involucro latet vis qvædam mirifica ſalino-ſulphureo-Mercurialis rerum omnium conſtitutrix; cui ſulphurea vis calidum, Mercurialis humidum radicale, ſal deniq; ſubſiſtentiam largitur. In hoc eſt ignis vitæ, omnium rerum proximum principium.* Paulò poſt: *Depures ſalem qvantumcunq; volueris, ſemper in eo veram reperies terram, qvæ etſi omni ſale deſtituta videatur, cœlo ſereno & ſoli per aliqvot dies expone, & novo ſale gravidam reperies.* Mira de lente! qvæ de nitro propinat, Glauberianismum veterem ſapiunt, non recentiorem: enimverò *Glauberus* qvamdiu ſpiritum communem ducit, tamdiu qvotannis Philoſophiam ſuam perpetuus reformator aliter atqve aliter immutat, ut nil habeat Proteus, Vertumnusvé ultra hunc diſcipulum, de qvô magnopere glorietur. Sed qvanto aliter philoſopharetur de ſale *Kirckerus*, ſi vel *Carteſii* acumina, vel Chemicorum antiqvorum teſtimonia, vel deniq; ignium veracium experimenta, contemptis adulantium epiſtolis, conſuluiſſet freqventiùs? Initiò, ambigit *Kirckerus*, cuinam ſali immenſa illa præconia admetiri tutius ſit, nunc ſali communi devotus, nunc in nitrum propenſior. Neq; id juverit dixiſſe: *ſalem communem, pro ut à mineralibus variè tingitur, nunc in nitrum, nunc alumen, nunc vitriolum converti, & tamen rurſus in ſalem communem redire.*

Glauberianismus Kirckeri.

Sal communis an vertatur in vitriolum, alumen, nitrum?

redire. Manus noſtræ oculatæ ſunt, *Kirckere*, credunt qvod vident. Nil tale demonſtrant Vulcaniæ officinæ. Nitrum flammis tortum in acidum degenerat liqvorem; ſi injectis uſtuletur carbonibus vivis, in ſalem lixivum, à natura ſalis communis alieniſſimum; ſi cum ſulphure, clauſo vaſe ſatis percoqvatur, intendente tandem virium extrema folle, in ſaxum; in ſalē communem nullo hactenus artificio. Deceptum ex eo hariolor *Kirckerum*, qvod nitri ſpiritus ſali affuſus cryſtallos ſuas deniqve in ſpeciem redivivi nitri reformet; cæterùm mentitur hic ſal eſculentus nitrum, non eſt. Qvod enim nitrum inde reſultat, non ſali id adſignandum, ſed ſpiritui nitri, hoc eſt particulis nitri attenuatis, ope ſalis ſe iterum conjungentibus, ut formam induant priſtinam. Neqve verò vel nitrum, vel alumen, vel vitriolum, dummodo probè purgata, in ſalem eſculentum communem degenerabunt unqvam. Sed perdimus verba in re confeſſâ: Largimur tamen hoc *Kirckero*, ſalem communem in nitrum, alumen, vitriolumq́; abire, ubi ab ignium ſubterraneorùm motu particulas ſuas immutaverit, adeoq́; in minutiores confractus portiunculas ſalſum ante ſaporem nunc in acidum converterit, ſi admiſceantur tamen ad compoſitionem nitri, ſalis lixivi ramenta; ad aluminis, ramenta plumbi; ad vitrioli hoc eſt chalcanti, ferri, ærisvé tenuia reſegmina. Utcunq́; autem iſtæc ſe habuerint, latere tamen in ſalis ſive communis, ſive nitri centro aliqvid immutabile & omnia coagulans, figensq́;, hoc eſt qvod verbis conceptiſſimis negamus, tum qvòd utrumq́; hunc ſalem & qvidem totum, pauciſſimis fæcibus relictis, non difficulter artifex Chemicus in ſublime agat, inq́; ſpiritum volatilem reformet;

In ſale communi nihil immutabile.

formet; tum qvòd utrumq; hunc ſalem in terram inſipidam, & viribus, præterqvam tenuiter ſtipticis, caſſam redigere in proclivi ſit, non tantùm præeunte viam *Blaſio Vigenerio*, curioſo *De igne & ſale* tractatu, ſed & præter experimentum, qvod obvium eſt, & facile, mihiq; ſæpe tentatum, docente id fieri poſſe ſpiritu Dei *Matth. V.* Ἐαὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται, εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι, ἀλλὰ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. *Marc. IX.* καλὸν τὸ ἅλας, ἐὰν δὲ τὸ ἅλας ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; Scilicet ſal etiam puriſſimus obtundente aculeos ejus igne convenienti, & repetito [nempe ut ſæpe igneſcat, ſæpe ſolvatur, ſæpe coaguletur] lingvam non magis ferit qvàm qvævis terra ſigularis, ſed commoritur, ab aliâ terrâ albâ inſipidâ, nè ab ipſo qvidem *Kirckero* diſtingvenda. Vidit hoc per tranſennam *Kirckerus*, ſed non ſatis ad ultimam metam proſecutus eſt. *Depures*, inqvit, *ſalem qvantumcunq; volueris, ſemper in eo veram reperies terram, qvæ etſi omni ſale deſtituta videatur, cœlo ſereno & ſoli per aliqvot dies expone, & novo ſale gravidam reperies.* Qvod ſi *Kirckerus* illam ſuam purgandi ſalis methodum provexiſſet ad ultimum terminum, notâſſet dubio procul totum ſalis corpus in terram demum inſulſam commutari, & qvidem ſi vim adſtringentem demas, pæne inefficacem. Debuiſſet autem terram illam, qvæ ipſi ſale omni deſtituta videbatur, ulterius peruſſiſſe, inqve aqvis decoxiſſe, donec non videretur tantùm, ſed & eſſet omni ſalino ſapore exuta, tum demum obſervâſſet illam terram in aëre non plus combibere de novo ſalis, qvàm aliud qvodvis in calcem redactum corpus. Etenim qvando nemini inter experimenta ætatem traducenti dubium eſſe poſſit, aërem, qvem bibimus qvotidie,

Sal vertitur in terram inſipidam.

die, salinis qvoq; vaporibus turgescere, vel ad oculum ostendendis, neq; mirum cuiqvam videri debet salis illud cadaver post admissas in aëre volitantium corpusculorum impressiones, denuo qvoqve salinum qviddam lingvæ objectare, cùm omnia pæne corpora vim ignis passa, adeoq; apertiora, manes patiantur eosdem. Sed contra Kirckerianam illam salis prærogativam palmarium id est, qvòd solvens & solvendum, figens & figendum esse ejusdem speciei oporteat, id qvod in metalla & salem communem non cadit. Illud ergo, qvod instituit forsan *Kirckerus*, Mercurium salino hoc corpusculo in stabilem cogere massam, qvæ ignium violentiam refutet, tum demum continget, cùm bibet Germania Tigrim. Alium qvendam salem coagulantem jactant antiqvi Chemiæ Magistri, toto cœlo à sale esculento diversum. Sed nos ex diverticulo in viam.

sal insipidus an iterum in aëre se in salem induat?

Cur sal communis non sit sal Philosophorum?

Ex qvo longâ seculorum ambage inter Sacerdotes Memphitanos, & qvidem in templo Vulcani, qvod *Zosimo* & *Herodoto* debemus, Eleusis illa Chemica secretô inambulâsset, carpentibus hinc indè lacinias ejus, qvi in Ægyptum studiorum gratiâ descendebant, peregrinatoribus, tandem *Orpheo*, *Homero*, *Democrito*, aliisq; curiosioribus Græcorum obstetricantibus, in Hellada cœpit immigrare, qvanqvam initio nebulosior, & umbræ qvàm Junoni similior, arcente Ægypto Græcos homines, tanqvam ἀεὶ παῖδας, tanqvam vulgus profanum, ab arcanis suis, & tenebris fabularum omnia involvente. Hinc illud præeuntibus Ægyptiis *Porphyrii* apud *Eusebium* *Præp. Evang. lib. III. cap. VII.* Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας δὲ θυρωρὸς βεβηλοι· & mox *lib. IV. cap. VIII.* ταῦτα μοι ὡς ἀρρήτων ἀρρήτως κρύπτειν (sc. decet) ἀδὲ γὰ οἱ θεοὶ φανερῶς

Chemia demigrat ad Græcos, sed tantùm nebulis involuta.

περὶ αὐτῶν ἐγράψαμεν, ἀλλὰ δι' αἰνιγμάτων. Hinc illæ apud Auctores Grajorum freqventatæ qverelæ, *Platonis* apud *Strabonem*, *Pythagoræ* apud *Clementem Alexandrinum*, aliorum apud alios. Qvin & eò progressam Ægyptiorum invidiam constat ex *Herodoto*, *Diodoro* & *Strabone*, ut ante Psammetichi imperia nulli Græco homini licuerit Ægyptium calcare solum. Igitur nil mirum, si Græci, qvæ curiosa ægrè Ægyptiorum extorsere manibus, non statim illa ipsa in patriam regressi, omnibus promiscuè obtruderent, contenti per fabulosa sententiarum tormenta veritatem aperuisse. Pythagoras certè numeris suis & metempsychosi aliò respexit, qvàm vulgò notatum; *hinc Euseb. Prep. Evang. lib. XI.* Οἱ περὶ Πυθαγόραν ἀπεκρύψαντο πάντα, i. e. Pythagorici omnia occultavêre.

Orpheus Chemicus.

Scriptorum Græcanicorum primus *Orpheus* Argonauta cùm velleri aureo, ex Colchide deportando, mixtus Heroïbus reliqvis, operam suam locâsset, iter illud celebratissimum versibus complecti non dubitavit, alia omnia fabulæ involucro obvelans, qvàm fabulam. Id qvod fragmenta scripti illius *Clementi Alexandrino*, aliisq; attacta & collaudata facilè ostenderint, nam de *Argonauticis* ejus vulgi manu tritis, Orpheóne debeantur integra, an recentiori cuidam, hic sermonem non libet diffundere, contento adjecisse illud *Josephi contra Apion. lib. I. Neq; enim*, inqvit, *scriptum omnino ullum est apud Græcos, de cujus fide certò constet, Homericâ Poësi antiqvius.*

Qvid vellus aureum Argonautarũ?

Fuisse autem illud vellus aureum aliud qvàm *Straboni* his sacris non initiato visum, vel solus testabitur *Suidas* in χρυσόμαλλον δέρας: τὸ δὲ οὐκ ὡς πυθικῶς φέρεται, ἀλλὰ βιβλίον ἦν ἐν δέρμασι γεγραμμένον, περιέχον ὅπως δεῖ γίνεσθαι τὰς χημείας χρυσοῦ. Eodem tendit *Eustathius* ad *Dionysium Afrum*

Afrum, & *Apollonius Rhodius* in *Argonauticis*, qvod primum Phœnici *Mirandulano* obſervatum. Hæc cùm ita evidentia videat *Conringius*, ut torqvere aliò totâ ſuâ neqveat facundiâ, invenit tamen qvod invidiosè obduceret: *Id utiq; conſtat*, inqvit, *neminem aurei velleris fabulam ad χημείαν traxiſſe, niſi demum poſt Magni Conſtantini ævum; omni autem anteceſſo tempore, qvi potuiſſet hoc ignorari, ſi ullo vel in minimo uſu conatus Chemicorum fuiſſent.* Unde verò iſta audacter *Conringi* optime? tibinè inſpecti omnes Alexandrinæ bibliothecæ codices, anteqvam deflagrarent? Ita, *Audit.* ſub præoccupatis judicibus, & cùm litem capere nolint, dictatoriâ voce pronunciantibus luget ſæpe Diva Chemia, nunqvam damnata niſi ad alienum tribunal, niſi in foro peregrino. *Qvi potuiſſet ignorari*, pergit *Conringius*, *ſi conatus Chemici in uſu fuiſſent?* imbelle telum! Qvi potuit tot ſecula ignorari, Conringi, ratio conficiendi mumias Ægyptias? ratio pullitiei Memphiticæ? ratio tendendi chordas Memnonis? ratio lucernarum inexſtingvibilium? percurſantibus licet Ægyptum Græcorum curioſioribus. Qvi poteſt hodieq; ignorari temperatura corii Ruſſici? machærarum Turcicarum? purpuræ Gobelinicæ? chirothecarum Romulearum? porcellanæ Chiniticæ? laccæ Japonicæ? intrantibus omnia maria & terras Mercatoribus. Sed qvàm obtuſa altera illa Conringii lancea? *nullum*, inqvit, *artis hujus ſcriptum oſtendi hodie Conſtantini Magni ævum ſuperans, idq; magnum novitatis eſſe argumentum.* Initio qvidem novitas nulli Artium crimini eſt, qvam commendat utilitas; ſed largiatur aliqvis ſcriptum Conſtantino Magno antiqvius oſtendi hodie nullum; non vides, *Conringi*, ad

Conringius ſe ſe opponit,

cui occurritur.

gloriam artis hoc pertinere, qvòd eodem tempore & lux Evangelii in Romano Imperatore accensa sit, & lux Chemiæ per publica scripta in Romano orbe. Qvanqvam illa ratio sit debilissimi roboris; *nullum scriptum Chemicum exstare antiqvius ævo Constantini Magni, ergo Chemiam nudius tertius natam esse.* Qvid adhæc *Plinius lib. XXX. cap. I.* certè ostendit artes qvoqve sine scriptis perennare, utcunq; difficiliùs: *Ante Osthanem*, inqvit, *nulla Magorum exstitisse monumenta, mirum, artem tam longo ævo, nec claris, nec continuis successionibus custoditam.* Et qvidni duraret, cùm totum artificium paucis admodum verbis tradi possit, docente *Sendivogio*, adeoq; per manus à patre ad filios facilè propagari. Deniq; *Conringi* eruditissime, non spectas institutum Chemicorum; non hoc ipsis propositum, ut artem scripto pellucente comprehendant, qvis Pastophororum Memphiticorum artem descripsit? qvos tamen ipse agnoscis Chemiæ locavisse operam. In vulgus ita spargebant Ægyptii Sacerdotes: *Aurum & argentum sterilis ac vitiati soli morbosos esse colores*, tradente ex Plutarcho *Eusebio de Præp. Evang. lib. III. cap. VIII.* ipsi alia omnia mente intuebantur. Qvæ tradidere de Arte, *Homerus, Hesiodus, Pindarus, Apollonius Thyanæus*, alii, nè centesimo cuiq; intelliguntur, ita fabulis, tropisqve involuta sunt, interea oculati Chemici non fugiunt attentionem. De reliqvis sparsim qviddam delibatum; qvod *Apollonium* spectat, non is ego sum, qvi vel *Philostrato* in omnibus accedam, vel *Eusebio, Tortoletoq.* Thyanæum illum flagellantibus per me qvicqvam velim detractum; sed nimirum observo viros magnos qvandoq; ita studio partium duci, ut dum genio obsecundent, etiam virtu-

Institutum Chemicorum.

tes

tes [qvas ſapientes tamen in hoſte qvoq; venerantur] inviſi capitis, qvo jure, qvaqve injuriâ trahant in culpam. Scripſerat infelix *Philoſtratus: Apollonium interrogâſſe Brachmanes, aureané apud Indos aqva inveniretur.* Hic verò excipit irridens *Euſebius: O admirabilem! ô plenam ſapientiæ qvæſtionem!* ſed in qvo tamen ſibi hic exciderit ſapientia *Thyanæi*, non perinde capio; erant enim, & hodieqve ſunt aqvæ Gangeticæ apud Indos auriferæ. Qvid qvod experimenta *Erckeri*, *Agricolæ*, & cæterorum de genere hoc, ad amuſſim oſtendant, qvantum in profluentibus rupium vehatur auri, qvantum metalli alterius. Niſi forſan ſagacitatem Philoſophi exiſtimare libeat, reſpexiſſe ad ὕδωρ ἄριστον *Pindari*, ſive ὑδράργυρον illud admirabile, cui natales debent metalla univerſa. Qvòd ſi puteum illum cœrulei coloris, ſtupendarumqve virium conſtantiùs intueamur, qvem ſpectatum qvoq; in Indis Apollonio memorat *Philoſtratus*, in eo non difficulter hydrargyri mores recognoſcemus, ut reliqva multa prætereantur. Qvid qvod ex capite qvodam *Proverbiorum Salomonis* cum *Majmonide*, & *Cornuto de Naturâ Deorum* providenter collato facillimè ab attento homine eruatur ratio interficiendi in pulverem rubicundiſſimum Mercurii, qvod in iſtis locis nullus, opinor, mortalium ante me vel qvæſivit, vel invenit. Scripſere antea Chemici, & à Chemicis eruditi, ſed qvod *Zoſimus* eleganter docet, λοξῶς, & obliqvè; nè majeſtatem ſecretioris Naturæ, univerſa clarè tradendo profanarent. Fabulæ Antiqvorum *Aud.* in receſſu nihil minus oſtendunt qvàm inania, qvod ſapientiſſimè de Phyſicâ Græcorum Theologiâ declamans, pluribus oſtendit *Plutarchus*. Sed non deſiſtit mordere Svidam

Apollonius non in omnibus caſtigandus.

Cur obſcurè ſcribant Chemici?

Con-

Conringius, qvòd ex antiqvo aliqvo Scriptore de vellere aureo ſententiam ſuam aperuiſſet Chemiæ æqviorem. Poſtqvam enim alibi infelix Svidas ſcripſiſſet: Χημία ἡ τοῦ ἀργύρου καὶ χρυσοῦ κατασκευή· ἧς τὰ βιβλία διερευνησάμενος ὁ Διοκλητιανὸς ἔκαυσε, διὰ τὸ νεωτερισθέντα Αἰγυπτίους Διοκλητιανῷ. τούτοις αὐημερόν, καὶ Φοινικῶς ἐχρήσατο, ὅτι ἡ καὶ τὰ περὶ χημείας χρυσοῦ καὶ ἀργύρου τῶν παλαιῶν γεγραμμένα βιβλία διερευνησάμενος ἔκαυσε, πρὸς τὸ μηκέτι πλοῦτον Αἰγυπτίους ἐκ τῆς τοιαύτης περιγίνεσθαι τέχνης, μηδὲ χρημάτων αὐτοὺς θαρρύνοντας πρὸς ἀφεστῶτα τὰ λοιπὰ Ῥωμαίοις αὐταίρειν. *Conringius* ut omnia ſuſpicionibus decoloret: *cùm unus*, inqvit, *id narret Svidas, qvis auſit illi uni tutò credere? vixit ille, ut eruditi cenſent, demum ante hos qvingentos annos, adeoq; poſt Diocletianum totis octingentis, qvales non ſolent eſſe idonei teſtes.* Iſta verò manifeſta vis eſt, *Conringi.* Vixerit ante qvinq; demum ſecula *Svidas*, qvæ ſcripſit tamen, non ex ſuo velut araneus confinxit, ſed agnoſcit ſe mutuatum ab antiqvioribus, *Eudemo Rhetore, Helladio*, qvi Theodoſio juniori σύγχρονος, ab *Eugenio Auguſtopolitano, Zoſimo Gazæo, Cæcilio Siculienſi, Longino Caſſio, Luperco Berytio, Juſtino Julio Sophiſtâ, Pacato, Pamphilo, Polione Alexandrino*, Scriptoribus antiqvis, & Diocletiano proximis; ut non poſſit ita elevari *Svidæ* teſtimonium, auctoritatibus vetuſtis innixum. Qvisnam Apollo *Conringium* ſecurum eſſe juſſit, à nemine niſi Svidâ hoc enarratum? cùm ſciat *Conringius* juxta cum ignariſſimis, qvid libri, qvi vel à Photii ævo periere, complexi ſint. Dixerit tamen unus *Svidas:* pluris cordato judici fuerit unus Neſtor, qvàm decem Ajaces. Habet ſanè, *Aud.* habet Diva Chemia, qvòd de Tyrannide magnorum literatorum meritò conqveratur, à qvibus ut imperioſis qvi-

Iterum vindicatur Svidas.

Literatorespleruméq; Chemiæ hoſtes, qvia Chemiæ ignari.

qvidem, sed in hac palæstrâ sæpe imperitis Censoribus injustè non rarò vapulavit. Hinc *Salmasius* nil crepat, nisi pseudo-Democritos, pseudo-Osthanas; *Scaliger* cùm versum *Manilii: Materiamq; manu certâ duplicarier arte*, non assequitur, statim animos à crimine sumens, insertum vociferatur ab homine Alkymista; qvo nomine *Biturigi*, *Barthio*, imò bracteatoribus maluit debere ludibrium, qvàm occasionem non captare in Chemicos invehendi. Cæterùm ulciscitur satis inconsultos illos Criticos sua temeritas, & posterorum attentiùs omnia speculantium maturior censura. At instat *Conringius: cui fiat verisimile exustos hos libros, & non potiùs in Reipublicæ commodum asservatos?* Apparet *Conringium* bellis aut rarò interfuisse, aut certè non vidisse, qvid novis molitionibus Civium exacerbatus Princeps, qvandoq; audeat, jubeat, moliatur. Multa opertis oculis commendant Imperatores accensi, qvorum defervescente irâ, ducuntur pœnitudine; multa donant judiciis Aulicorum. Demus, consultatum in Aulâ Diocletiani, de securissimâ pacandi Ægyptios viâ; responderint alii, tollendos libros ipsorum Chemicos, & Romam asportandos illos rebellionis architectos, ut Romanas augerent divitias; exceperint prudentiores, esse inter illos libros, plures supposititios, in devia abducentes, qvàm germanos; qvòd si omnes promiscuè Romam deportarentur, Martiam gentem ad vanos illos fortasse citiùs adhæsuros, qvàm ad legitimos, adeoqve masculam illam bellandi virtutem Romanis à stirpe insitam in ciniflonum fumos abituram. Qvid verisimilius qvàm secutum providi Diocletiani mandatum, exurendam potiùs illam rebellionis materiam, nè militares deniq; animi

Non imprudenter Chemica qvædam scripta exusfit Diocletianus.

ambigua ſcrutando nimiùm effæminarentur? Notum erudito Imperatori, Romanorum non eſſe, ad humiles artium curas deſcendere, ſed Martem & ſangvinolenta ſpirare, & regnandi artibus inclareſcere, ſecundùm illud Anchiſæ apud Virgilium:

Romanis Mars ſapiebat ſupra Mercurium.

Excudent alii ſpirantia mollius æra,
Credo etiam ducent vivos de marmore vultus:
Orabunt cauſas meliùs, cœliq; meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera ducent;
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
Hæ tibi erunt artes. — — —

Victa Ægyptus multis ante Diocletianum ſeculis; qvis tamen Romanorum interea, vel mumias Ægyptias imitari didicit, vel hieroglyphica percepit, vel pyramides & obeliſcos abſolvit, vel infinita alia Ægyptiorum inventa aſſecutus eſt? Benè de Græcis ſub jugum miſſis Poëta:

Romani in artium ingenioſi-eribus negligentes.

Nondum tradiderat victas victoribus artes
Græcia facundum, ſed malè forte genus.

Qvid multis? vel ex eo in ſubtilioribus artificiis imitandis negligentiam Romanorum agnoſcimus, qvòd conqveratur etiam *Plinius* artem fundendi in ſtatuas eqveſtres æris ſuâ ætate periiſſe, ante urbe totâ cognitiſſimam. Et nè degeneraſſe exiſtimemus in hoc genere Romulidas, ante biennium accuratior illa Muſivaria ars Romæ iterum intercidit, cum ingenioſo *Calandrâ* ſepulcro illata. Veriſſimè *Petronius*: *Priſcis temporibus*, inqvit, *cùm adhuc nuda virtus placeret, vigebant artes ingenuæ, ſummumq; certamen inter homines erat, ne qvid profuturum ſeculis diu lateret. Democritus omnium herbarum ſuccos expreſſit, & nè lapidum, virgultorumq; vis lateret,*

ætatem

ætatem inter experimenta consumpsit. At nos nè paratas qvidem artes audemus cognoscere, sed accusatores Antiqvitatis vitia tantum docemus, & discimus. Non vacat jam alios Sileni Alcibiadas inspicere, hoc est Grajas plures reconditorum sensuum fabulas, poma Hesperidum, [de qvibus Chemicè intelligendis *Eustathius in Iliad.*] debellatam Herculi hydram, Martis & Veneris mixturas animarum, alia, ad partes vocare. Volverunt hoc saxum *Majerus*, *Castelnovidarienſis Faber*, *Keslerus*, volvantqve, dum ego Græcos in duas tribuo classes, & cuivis sua admetior præconia. Primi ergo seculorum aliqvot Græci, licet in Ægypto freqventissimi, libâsse tantùm videntur artem Chemicam, non hausisse, si pauciſſimos excipias; adeoq; qvæ revexere secum in Græciam, utcunq; vera, & interiorem Chemiam spirantia, oraculis tamen fuere propiora, qvæ ipsi, per invidiam Sacerdotum, non probè intellexerint; similes *Platonicis Sibyllis*, & ipsis, cùm œstro vaticinandi agerentur, verissima pronunciantibus, sed qvæ sibi restitutæ non caperent, non assequerentur. Sed qvantum in praxi Chemicâ profecerit sive *Democritus*, sive *Homerus*, sive *Pythagoras*, sive *Pindarus*, sive deniq; primus *Orpheus*, hîc non disputabimus, contenti in scriptis eorundem manifesta Chemiæ spectare vestigia, ipsis forsan Auctoribus, qvæ ab Ægyptiis audierant, non satis qvandoq; intellecta. *Hippocrates* certè *lib. de Diætâ*, noverat qvoqve principium artis, cùm scriberet: *Concors concordi adhæret, discordia rebellant*, cæterùm qvod stupenti similis demiror, adeo nec ipse, nec *Galenus* usum hujus sententiæ assecuti sunt, ut nullo saltem specioso argumento evinci possit, eis vel simplicem, & aniculis nostris tritissimam destillatio-

Fabulæ Antiqvorum jam olim de Chemia explicatæ.

Græci vetustissimi audiere Chemica in Ægypto, vix intellexere.

Hippocrates & Galenus an Chemici?

lationem aqvæ roſarum, vel aceti, vel ullius herbæ innotuiſſe. Scierint utcunq; alia Chemicorum Magiſteria, & craſſiori Minervâ deſcripſerint, aqvas ſtillatitias hodiernas ſciviſſe, nullum indicium eſt. Noverat *Plato* filtrationem Chemicam per lanam inſtitutam, qvam & clariſſimè in *Sympoſio ſuo* expreſſit. Calcinationes noverat *Hippocrates libro de hæmorrhoidibus*, & alibi; florem æris toſtum, alumen Ægyptium uſtum, chalcitim toſtam, argenti ſpumam aduſtam commendans. Idem nobili *de Flatibus* opuſculo ad deſtillationum myſteria tam prope acceſſit, ut non niſi à Deo aliqvo inde retractus videri poſſit. *Liqvefit*, inqvit, *qvicqvid ignea illa vis attigerit, ſitq; inde ſpiritus, qvi cum ad poros corporis irruerit, ſudores fiunt, nam ſpiritus addenſatus in aqvam vertitur, & poros penetrans extra prorumpit, eodem planè modo qvo à ferventibus aqvis vapor elevatus, ſi obſtaculum aliqvod inveniat, ad qvod impingere oportet, incraſſatur, denſaturq;, guttæq; deſtillant ab his corporibus, qvibus vapor ipſe fuit impactus.* Vidit hæc haud dubiè magnus *Cous* in ollarum contingere operculis, palæſtrisq; balneatorum, & tamen, qvod admirabile, naſum operculo ſuo aptare haud didicit. Niſi forſan exiſtimare libeat, ſciviſſe qvidem iſta *Hippocratem*, ſed invidiâ legitimè cauſariâ publicare detrectâſſe, juxta illud in *Lege*: τὰ ἱερὰ ἔουπε πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δεικνύειν, βεβήλοις δὲ ἀθέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ὀπτικήμης. Nam qvòd alius vir ſagaciſſimus ſpiritum vini *Hippocrati* perſpectum arbitratur, *libro* ejus *de genituræ* confirmatus, ubi ita Medicorum Phœnix: *Vinum*, inqvit, *in flammas injectum, efficit, ut flamma exiliat, & modico tempore augeatur, poſt ceſſet*, hoc eſt, qvod optarem inde poſſe evidenter exſculpi,

sculpi, sed in ambigua desinit expositio; enimverò qvodvis vinum, imò lympha qvævis flammæ infusa id præstat, qvod nemini qvàm fabrilibus notius est officinis. Qvod *Aristot. libr. Meteorologic. IV. cap. IX.* scribit: *vinum dulce flammam emittere*, (αἴθηρα φλόγα) parum ad rem facit, cùm de musto ipsum loqvi textus convincat; mustum qvippe, dum fermentatio in cellis instituitur, ita qvandoqve inardescit, ut Oenopolas ex insperato igneo suo vapore suffocet. *Aristotelis* autem animo hîc non obversari spiritum vini vel ex eo conficimus, qvòd manifestè subjiciat vinum hoc non inebriare, id qvod stillatitio vini liqvori non convenire vel Ambubajarum collegia vociferabuntur. Magnopere enim excidit sibi magnus *Sennertus* qvando ita: *Familiare*, inqvit, *est hodie etiam Saxonibus vinum calefactum incendere, saccharo & aromatibus condire, potumq; ita delicatum conficere*; neqve enim celebratissime *Sennerte*, Saxones tui vinum incenderunt unqvam, sed vini spiritum, qvòd nec Pannonica vestra, & Tochavienſia, nec Hispanica, imò nè generosa illa Græcanica qvidem vina, ut nimiô adhuc lymphæ frigore obruta inflammari se patiantur, nisi destillationibus præmissis. *Aristoteles lib. Meteor. II. cap. I. & Galen. VII. de usu part. cap. XIII.* proximè qvoqve destillationis attigere secreta, sed metam attingere non licuit. Destillationem tamen per descensum appellatam *Galenus* assecutum se docet *libro de facile parabilibus*. Noverat *Galenus* sublimationem *lib. IX. de med. simpl. Facult.* edoctus forsan *à Dioscoride*, qvi idem tradit *lib. II. & lib. V. de mater. Medicâ*. Calcinationes noviſſe se se ostendit *Dioscor. lib. I. de mater. Med.* & *Gal. lib. VI. de composit. Pharmacor.* Balneum Mariæ sic satis commodè

An Chemica Aristoteli perspecta?

Galenus qvædam Chemica noverat.

modè deſcribit *Gal. lib. IV. de ſanitate tuendâ cap. VIII.* niſi qvòd aqvæ loco ſubſtituat oleum. Nam in *Meſve, Æginetâ, Albucaſi* evidentiora ſe produnt Chemiæ argumenta. Salia lixiva per tranſennam vidit *Galenus*, ſed in formâ ſolidâ vix unqvam: De *Simpl. Med. Facult. cap. XLI.* ita rem proſeqvitur: *Abluto cinere fit lixivium. Cinerem autem uſtorum corporum reliqvias Latini nuncupant, ſive naturæ ſint lapideæ, ſive arborum, animaliumvé particulæ. Fit ergo lixivium pro ejus qvod eluitur, naturâ; ejus qvidem qvod empyreuma ſive igneam naturam habet acerrimam, ipſum qvoq; acerrimum eſt; ejus qvod tale non eſt, etiam moderatius. Qvare & ſepticis vocatis facultatibus commiſcetur, utpote cauſticam caliditatem poſſidens, ſed propter ſubſtantiæ tenuitatem, citra dolorem adurens.* Ingenium ſalium lixivorum ſic ſatis commodè exprimit hîc *Galenus*, cauſtica eſſe docens, ſed citra dolorem adurentia, in micas tamen, glebulasqve ſalinas redigendi modum non perinde videtur aſſecutus. Ut mirer ipſum hæc neq; ab Umbriæ agricolis, cùm Romæ tam diu viveret, didiciſſe; neq; evolviſſe *Ariſtotelis Meteor. lib. II. cap. III.* ubi ita *Stagirites: Huic ſimile qviddam fit in Umbriâ: eſt enim ibi locus harundine, & juncis freqvens, qvos exurunt, cineremq; in aqvâ decoqvunt, donec parum ſuperſit humoris, qvi ubi refrixit, in ſalem abit copioſum:* neq; deniq; in *M. Varronis de Re Ruſt. lib. I. cap. VII.* iſtæc notâſſe: *In Galliâ Tranſalpinâ intus ad Rhenum, cùm exercitum ducerem, aliqvot regiones acceſſi, ubi nec vitis, nec olea, nec poma naſcerentur, ubi agros ſtercorarent candidâ foſſitiâ cretâ: ubi ſalem nec foſſitium, nec maritimum haberent, ſed ex qvibusdam lignis combuſtis, carbonibus ſalſis pro eo uterentur.* Inuſitatum qviddam, ruſticam Umbriæ gentem, & Rhenanum

Salia lixiva Antiqvis nota, clariùs tamen ruſticanæ plebi, qvàm Galeno.

nanum popellum ultra Galenum experimenta sua provexisse. Sed qvid adhæc *Conringius: Non est*, inqvit, *qvòd propter salium istorum inventum Parascelsicos multum laudes; illa enim cur ægro dederis, cùm suppetant longè suaviora, viribus iisdem? illa certè qvæ calci sunt similia, & causticam vim referunt, non temerè esse ore assumenda constat.* Nititur hîc contra torrentem *Conringius*; cur enim illa non assumenda ore, qvæ longo annorum lapsu Umbri, & Rhenani homines ad qvotidiana cibi condimenta adhibuere, sine ullo sanitatis dispendio? qvæ hodieqve Oceani accolæ passim ex algâ in cinerem exustâ conficiunt, & sine noxâ usurpant? qvæ ad febrium exacerbationes sistendas feliciter qvotidie propinant Medici? Neq; verò salia istæc calci vivæ cognata sunt; neqve, uti bene docet *Galenus*, causticа, nisi sine dolore; neqve qvicqvam iis potentius in exarmando acore illo viscerum inimico. Ad summam, inspiciat *Conringius* tentata mille in sale absinthii, centaurii, carduibenedicti, genistæ, juniperi, aliorum, felicia experimenta, & haud dubiè censuram suam nunc circumspectior Judex mitigabit. Utqve efficaciùs credat, *Plinii* illud adjicimus *lib. XXXVI. cap. XXVII.* ex *M. Varrone* mutuatum: *Lix*, inqvit, *cinis est foci: inde enim cinis lixivus potus medetur; ut licet videre gladiatores, cùm deluserint, hac juvari potione.* *Dioscoridem* tamen justa suspicio est, aliqvid subolfeciisse *Galeno* non penetratum, tum qvod *lib. V. de mat. Med. cap. CX.* alembici disertè meminerit, notissimi illius ad destillationes instrumenti, *Hesychio* qvoqve attacti; ἄμβικα ἀφέψημα, inqvit *Dioscorides*: ἄμβικα λέψανος πηλῷ, nam particulam *Al*, mantissam Arabum esse docent aliæ voces, *Almanach*, *Almagestum*, *Alkymia*

Conringius frustra mordet salia lixiva.

Dioscorides an Chemicus?

ex

ex Arabicis profectæ idiotismis; tum deniq; qvòd *Dioscorides* sumptuosissimæ fæminarum Cleopatræ comes adhæserit, qvæ in oculis Antonii, ex *Plinio*, unionem illum famosum subitò in aceti liqvore mersando dissolvit, obsorbuitq; qvas in Romano, Grajovè aceto vires hodie non deprehendimus, & de veritate historiæ securi temperatum ingenio Chemici liqvorem interpretamur. Nam *Cleopatræ Chemica* adhuc exstant, utcunqve forsan ipsa ingenium tantùm huic dissolutioni commodaverit, *Dioscorides* manum; ut solent abjectiora magnarum artium ministeria famulis delegari. *Galenum* autem in destillationum arcanis cœcutiisse vel istæc confecerint, qvæ *lib. I. de Simpl. Med. Facult.* gemebundus proponit: *Non multum*, inqvit, *abest, qvin omnia vellem subire pericula, si qvam machinam, artemvè invenire liceat, sicut in lacte contrariarum partium, sic & in aceto separandi.* At si destillationis percepisset machinam, facilè & paucis horis ex aceto, phlegma, spiritum, oleum, terram, qvatuor distincta elementa elicuisset.

Cleopatræ Chemica.

Galeno ignotæ destillationes hodiernæ.

Ita Ægyptiis artes suas avarissimè retinentibus pauci seculorum, Salvatoris tempora præcurrentium, Græci ad intima Chemiæ penetravere cubilia; cæterùm ex qvo Cornelio Gallo, Julio Cæsari, Antonio, Augusto, Romanis aliis pervagatissima Ægyptus, in formam redacta est provinciæ, Sacerdotumqve excussa violentiùs penetralia, sensim ad Græcos, & Romanorum curiosiores, qvanqvam & hi pauci, Chemiæ arcana demigravere. Hinc Chemicis Grajorum scriptis partim latinè versis, editisqve, partim adhuc in *Bibliothecâ Vaticanâ, Venetâ, Parisinâ Regiâ, Escuriali, Colonienſi, Monachianâ*, delitescentibus toti hodieq; plutei referciuntur. Qvos

Ab Ægyptiis migrat Chemia ad Græcos, & Romanorum curiosiores.

inter

inter inspecti, excussiqve mihi Πλάτων, Ἀρισταίλης, Ἑρμῆς, Δημόκριτος, non illi qvidem, ut liqvet, antiqvissimi, sed multis tamen Germanorum, Gallorum, Anglorumqve Philosophis Chemicis præferendi; ventilati qvoq; Ζώσιμος ὁ Μέγας, Ἰωάννης ἱερεὺς, Ὀλυμπιόδωρος, Στέφανος ὁ Φιλόσοφος, Σοφὰρ ὁ ἐν Περσίδι, Σωσένος, Διόσκορος ὁ ἱερεὺς μεγάλης Σεραπίδος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, Ὀστάνης ὁ ἐπ' Αἰγύπτου, ἡ Μαρία τῆς Ἑβραίας, Πελάγιος, Πορφύριος, Ἐμβούχιος, Κλεοπάτρα ἡ γυνὴ Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως, Ἀγαθοδαίμων, Ἡράκλειος ὁ βασιλεὺς, Θεόφραστος, Ἀρχέλαος, Κλαυδιανὸς, Σέργιος, &c. qvorum alios juxta mecum agnovit eruditissimus *Leo Allatius*, & ipse homo Græcus, supposititios, & Auctorum illustrium nomina mentientes, licet artem ex arte satis convenienter persequantur: alios tamen germanissimos esse, & rerum, qvas tradunt, callentissimos, adeoq; ipsum se in Græciâ vidisse homines ex *Zosimi*, *Olympiodori*, *Archelai* scriptis eò cognitionis provectos, ut in oculis suis artis veritatem reapse demonstrarent. Qvo excitatus ipse, nisi fata grandævi capitis interceſſerint, publico brevi indulgebit *Physicam* & *Mystica Democriti*, *Olympiodorum*, *Heliodorum*, Theodosio magno Imperatori dedicatum, *Theophrastum*, *Hierotheum*, *Archelaum*, & nonnullos Anonymos ex Bibliothecâ Vaticanâ depromptos. Cæterùm omnes hos longo post se intervallo relinqvit illustris *Zosimus Panopolites*, qvem seqvitur impari licet gradu *Anepigraphus*, *Michael Psellus*, *Pelagius*, *Isis*, *Blemmidas*, *Nicephorus*, alii, in Regia Parisiensi Bibliothecâ versati *Labbeo* olim, & nuper mihi, magnamq; partem descripti. Nam Romanos qvod attinet, serò victis artibus pretium posuere, hinc & Græcorum manibus, si qvid formandum in statuis

Scriptores Chemici nondum editi.

Leonis Allatii Institutum Chemicum.

tuis admirabile, in architecturâ nobile, in picturis illustre, in Medicinâ ingeniosum, plerumq; utebantur, ipsi dominandi artibus intenti. Solus, qvantum novimus, Cæsarum primorum Cajus Caligula Chemiæ ministerio ad opes mox profundendas anhelavit, de qvo *Plinius lib. XXXIII. cap. IV. Invitaverat*, inqvit, *spes Cajum Principem avidissimum auri, qvamobrem jussit excoqvi magnum auripigmenti pondus: & planè fecit aurum excellens, sed ita parvi ponderis, ut detrimentum sentiret.* Hæc *Plinius*. Scilicet, *Audit*. didicerat haud dubiè ex Chemicorum scriptis *Caligula*, Arsenicum ad operis Philosophici complementum reqviri, nihil enim eo freqventiùs ingeminant Scriptores Græci: hinc cùm auripigmentum Syriacum matrem sciret esse arsenici, in eo, sed stultè coqvendo spes avaras inaniter consumpsit. Certum qvidem est illud antiqvæ Sibyllæ: Ἐννέα γράμματ' ἔχω, πτερασύλλαβός εἰμι, νόει μέ, nulli convenientiùs aptari, qvàm arsenico, auripigmenti soboli, qvicqvid etiam obturbet sive *Jo. Auratus*, sive *Kirckerus*; per arsenicum sive arrhenicum tamen haud aliud Sibyllæ, Græcisqve Auctoribus intellectum esse, qvàm masculum illud sulphur, qvo cogitur in obedientiam Mercurius, res ipsa demonstrat. Sed intueamur folium illud Sibyllæ:

Caligulæ spes exspes.

Sibyllæ de Arsenico.

Ἐννέα γράμματ' ἔχω, πτερασύλλαβός εἰμι, νόει μέ;
Αἱ τρεῖς, αἱ πρῶται, δύο γράμματ' ἔχουσιν ἑκάστη,
Αἱ λοιπαὶ ἢ τὰ λοιπὰ· καὶ εἰσὶν ἄφωνα τὰ πέντε,
Τὰ φωνοῦντα δ' ἀριθμᾷ ἑκατοντάδες εἰσὶ δὶς ὀκτώ,
Καὶ τρεῖς τρεῖς δεκάδες σοὶ χ' ἑπτά· γνῶθι ἢ τίς εἰμι
Οὐκ ἀμύητος ἔσῃ τῆς παρ' ἐμοὶ σοφίης.

Primus, qvòd sciam, superioris seculi *Emarus Ranconetus* Præses Lutetianus olfecit Sibyllam mysterium hic

Che-

Chemiæ insinuare, & voci Ἀρσενικὸν felicissimâ dexteritate accommodavit, ut est apud *Cardan. lib. de Variet. Rer. cap. X. Joannes Auratus* non Ἀρσενικὸν, sed Σωτὴρ θεὸς intelligi qvondam putavit; & nuper in *Mundo Subterraneo Kirckerus: de Salvatore*, inqvit, *intelligendum*, nam ὁ ἄνθρωπος θεὸς *respondet numero*. In qvo mirum qvantum sibi excidat diligentia Kirckeri, cùm nihil respondeat omnium; neq; enim adsunt novem literæ, qvod postulat Sibylla, sed XIII. neqve qvatuor syllabis absolvitur, sed sex; nec numeri qvadrant ullo modo. Qvod ad *Auratum*, illum qvoq; Musis iratis talia commentum docet eruditus *Jac. Goharius*. Vox ejus. *Incredibile est Sibyllam hic intelligere Salvatorem, tum qvòd paulò post expressè & clarissimè hoc ipsum nomen pronunciet* Ἰησοῦς Χριστὸς, σωτὴρ, σταυρός; *tum qvòd numerus desit qvinarius, qvem vult Auratus significare mysterium crucis, qvod tamen etiam in ἀκροστιχίδι notatum est.* Cæterùm illam magni operis materiam, non in arsenico vulgi esse qværendam, & ratio, & manus oculatæ persvadent. Qvanqvam enim æs perfunctoriè tingat, & nobiliori imbuat colore, invisâ tamen fugacitate, ubi ad flammarum supplicia deventum, non exspectat, qvod bene *Geber*, ignis pugnam, sed proripit se se, & venenato nidore aëra vicinum infamat. Si ingenioso aqvæ simplicis tormento [qvod mihi alia omnia pensanti memini accidisse] ad ignes constanter tolerandos longâ assvetudine roboretur, metalli corpora post adeo non subit, ut cinerei more pulvisculi fusis innatet. Cum auripigmento & sandarachâ ferè eodem res redit: auripigmentum suapte sponte vi ignis agitur in sublime; & sandaracha [Rausch gelb] non nisi intermistis vel harenis, vel cinere aliqvo

Kirckerus præcipitat judicium de Sibyllæ versibus.

Cur in arsenico vulgi spes nulla.

sive metallico, sive vegetabili. Qvod ex utroq; ascendit, si qvidem spongiosi instar pulviseuli summo tegmini, sive alembico adhæresçat, terribile venenum est; qvod in medio restitat, mitius, æmulaturq; anthraca sive rubinum, & facilè Lunam ingreditur, tingitq; lurido rubore, sed itidem inconstanti, & ad vehementes flammarum impetus in auras abituro. Si invento subtili ignibus assveverit, à Lunâ non ultra sorberi se se permittet. Licet proinde cuncti ferè Scriptores Chemici Græci, *Zosimus*, *Olympiodorus*, *Anepigraphus*, alii, in laudibus Arsenici prolixè occupentur, putandum tamen illos ad vim vocis, non ad vulgi usum respexisse, adeoqve cum ἀρσενικὸν, sive ἀρρενικὸν masculum qviddam Græco idiomate signet, antiqvam Sibyllam sulphur qvoddam ignibus omnibus infatigabile per nebulam hîc ostendisse, qvando metalla etiam nobiliora ex sulphure tanqvã masculo, & Mercurio tanqvã fæmellâ Chemicorũ schola componat. Ut vel hinc liqveat qvam non improvidè scripserit olim *Hermolaus Barbarus Instaurator politioris literaturæ: Arsenicum sive Arrhenicum Chymistis Democritéis qvandoq; androdamanta appellari, qvandoq; comarin Scythicam qvandoq; hæc ipsa nomina sulphuri lapidis Philosophici accommodari.* Sed nos ad aliud Sibyllæ folium properantes, relictis in medio, qvæ de vulgatis Sibyllinis carminibus *Schmidius*, *Blondellus*, aliiq; operosè disputant, in *Cumanæ Sibyllæ* oraculis à *Virgilio* attactis oculos tantillum defigemus. Qvanqvam autẽ antrum illud Sibyllæ, qvod ad lacũ Avernum Cumis proximum, nobis non ita pridem intratum est, recentius qviddam oleat, qvàm ut inde remugiisse fatidicam illam antiqvissimam existimare libeat, etiam præter fabricæ ingeniosa, recenti *Jul. Cæsaris Capaccii* scripto de *Antiq. Puteolorum* alia omnia osten-

Qvodnam arsenicum Sibyllæ probatum?

Antrum Sibyllæ an Sibyllæ?

dente [neq; enim contrarium est illud *Petronii Traguriani: Nam Sibyllam qvidem Cumis ego ipse oculis meis vidi in ampulla pendere; & cùm pueri illi dicerent; Sibylla tethilis, respondebat illa, apothan in helo;*] fuderit tamen illa oracula sive Cumis antiqvis, sive in vicinis urbi montibus, ego declamitantem non interpellabo, dum mihi licuerit ex *Virg. Æneid. VI.* has ejusdem voces expendere, ipsi fortassis *Virgilio*, cùm ab alio mutuata caneret, haud satis intellectas:

Accipe qvæ peragenda priùs. latet *arbore opacâ* — *Virgilius*
Aureus, & foliis, & lento vimine ramus,
Junoni infernæ dictus sacer: hunc tegit omnis — *Chemicè*
Lucus, *& obscuris claudunt convallibus umbræ.*
Sed non ante datur telluris operta subire, — *concionatur.*
Auricomos qvàm qvis decerpserit arbore fœtus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit: primo avulso non deficit alter
Aureus, *& simili frondescit virga metallo.*
Ergo altè vestiga oculis, *& ritè repertum,*
Carpe manu; namq; ille volens, facilisq; sequetur,
Si te fata vocant: *aliter non viribus ullis*
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.

Hæc de materiâ Chemici magisterii fudisse Cumæam vatem opinio est variorum, qvos inter *Robertus Vallensis, Glauberus*, aliiqve; nec inficiandum sub illo fabulæ involucro arcanum sensum delitescere, forsan *Virgilio* ipsi, qvi ex alio hæc mutuatus est, incognitum; qvem qvi *Glauram Augurelli*, & *juvenem Arcadicum Palingenii*, in exqvisitius vocaverit consilium, ipso *Marone* rectius forsan interpretabitur. Ad mentionem aurei illius rami, succurrit non tantùm illud eruditi *Jos. Acostæ hist. nat.* *lib.*

lib. IV. cap. I. Los metales ſon como plantas encubiertas en las entrannas de la terra, y tienen alguna ſemejanca en el modo de produzir ſe, pues ſe veen tãmbien ſus ramos, y como tronco de donde ſalen, y en alguna manera parece, qve crecen los minerales al modo de plantas; ſed vel maximè germinatio illa metallica, qvam in acidulis liqvoribus contingere notamus, ſubeunte atomos metallorum Mercurio, animo obverſatur, qvæ ſubito ex ſervo illo fugitivo in aqvas legitimè cauſticas immiſſo vepreti Philoſophici eruptio vix ſine admiratione à qvoqvam ſpectari poteſt, à nemine profectò ſatis adhuc pro merito excuſſa eſt, utcunq; *Bartoletus* in *Encycop. Herm.* & *Petrus Ribola*, & *Kirckerus*, aliiqve ſic ſatis prolixè modum operandi perſcripſerint, de cauſis tam inopinæ, celerisq; qvaſi è nihilo productionis ſenticeti incurioſiores. Qvanqvam plures in puteo Democriti germinationes metallicæ hactenus delitescant; unam ſed elegantiſſimam, & curioſi otio non indignam ſibi inter labores metallicos natam deſcribit plenè *Lazar. Erckerus* in *Op. Metall.* unam ex Lunæ minutiis balſamo ſulphuris ſingulari modo incoctis mihi Pariſiis genitam probè memini; ſed unam præ omnibus admirabilem viſam ſibi *San-Simonius* & ſæpè & ſanctè me audiente, coràm affirmavit, qvam qvia nec in ullo Auctore Chemico, Hermete, Lullio, Rogerio Bacone, Villanovano, *Aperta Arcâ Arcan. Artif.* aut ullo deniq; ſcripto expreſſam, hactenus invenire licuit, non gravabor hic in curioſorum gratiam pleniùs attingere. Ante hos viginti circiter annos, cùm Condæus Princeps Hiſpanorum partibus addictus, per Flandriam, Brabantiamq; bello fulminaret, filium ſuum, nunc Ducem de

Arbor Philoſophica in aqvis germinans acidulis.

Germina alia Philoſophica.

Angvin

Angvin Bruxellis ſtudiorum causâ reliqvit, magno ſapientum Virorum ſatellitio ſtipatum, qvos inter *San-Simonius* hic Hejdelbergenſis domo, longâ aſſvetudine Gallus, hodieq; dicto Principi à ſecretis, Vir, ſi qvis alius, animo, & fide Germanus, & à nugis alieniſſimus. Adit ergo *San-Simonium* hunc Bruxellis tum viventem, &, ut fit, animi gratiâ, Naturæ ſecreta per otium ſollicitiùs inveſtigantem *Leodienſis* qvidam, ignoti vultus, ignoti nominis, in corporis cultu modicus, &, *Audio*, inqvit, *Domine, te ad curas qvandoq; Chemicas deſcendere, & nobili hoc otio genium oblectare, ſed ab ignaris rerum ſecretarum Magiſtris pendere nimiùm, eoq; nihil hactenus ſpectâſſe admirabile; ecce! ut oculis tamen uſurpes coràm, non omnia vana eſſe, qvæ Chemicum profitetur ſtudium, pulviſculum hunc minutum qvidem, ut vides, & vix granum hordei unum pondere æqvantem tuæ fidei committo, eâ lege, ut poſt horas ſex revertenti mihi reddas integrum, interea ut curioſitati tuæ obſeqvaris, ita procedito: cape ſis ex profluente, vel qvavis aliâ fontanâ aqvâ libras tres, qvatuorvé, qvibus vitro exceptis pulviſculum hunc incerne, mox repetito opere vaſculum ſubinde qvaſſa, ut aqva ex pulviſculi admixtione tenue qviddam abradat, ſecumq; concorporet. Elapſis horis aliqvot ſubſidentem pulviſculum translato per inclinationem in vas aliud liqvore ſicca, ut mihi bonâ fide reſtituas.* Paret *San-Simonius*, & dicto obedientem ſe oſtendit, ambiguus futuri. Redit ſub veſperam *Leodienſis*, pulviſculum ſuum recipit, & ad *San-Simonium* verſus, *Vires*, inqvit, *aqvæ tuæ jam me abeunte periclitare, infuſisq; aliqvot Mercurii vulgaris unciis, germinationem utilem exſpecta.* Et ſimul paucis ultro citroq; dictis recedit. San-Simonius rei bene gerendæ cupidiſſimus, Mercurii mox uncias

Mira ſed vera de germine metallico hiſtoria.

eias octo obiter infundit, & aliqvandiu, si qvà argenteus ille ramus in illustre germen se se porrigere moliatur, oculis inconnivens spectator vitro frigido assistit. Dictum, factum. Surgit paulatim ex globo suo Mercurius, & mille ramulis argenteis, qvasi totidem filis tenuissimis, æqvalissimisq; per universam, qvâ patet, aqvam gloriosè se explicat, supra etiam supremum aqvæ marginem filamentorum extrema protendens. Superficies autem lymphæ, qvòd studiosè custodiendum, interea oleoso qvodam liqvore, hinc inde respersa notabatur; qvòd, opinor, crassum qviddam, heterogeneumqve contineat vulgati usus Mercurius, cujus interventu à coagulatione prohibetur, qvo, per subtile artificium, remoto, partes ejus se facilè mutuis faciebus amplexantur, hærentq; tenaciter, & constantis metalli titulum sibi vendicant. *San-Simonius* postridie aqvâ vitro alii infusâ, filamenta hæc omnia colligit, expressoq; manu humore, ad vicinum mox fabrum argentarium deportat, rogat officiosè, velit per omnia examina scrutari metalli hujus ingenium, & constantiam ejus in ignibus periclitari. Mirum qviddam, & inauditum, *Aud.*, deprehenditur, post universa ignis supplicia argentum probatissimum, & nihilominus sine igne ita se permiserat cicurari in fenestrâ, Octobri mense, utcunq; aër Bruxellensis ad frigidum id temporis inclinet, suppeditante satis virium, ad expellendum illud excrementitium oleum, sale illius pulviseuli, ab aqvâ, per intercursum primi, secundiqve elementi Cartesiani ad motum incitato. *San-Simonius* audacior successu, restanti aqvæ novum infundit Mercurium, novum videt nemus consurgere priori gemellum, inqve sinceriſſimam argenti massam

Mercurius an homogenearum partium?

Qvomodo surgere possit germen in frigido.

massam immutatum; experitur idem tertiò, qvartò, qvintò, sextò, felici semper eventu, langvescente tamen paulatim, & noviſſimè fatigatâ aqvæ virtute; qvò factum, ut plures ad spectandum miraculum in domum suam invitaret, qvos inter Principes aliqvot Angli Bruxellis tum fortè commorantes. Aperit se hîc ampliſſimus differendi campus, sed ego instituti memor, contentus aures vellicâſſe Pamphilis, manum de tabulâ, ut ad reliqva deveniatur. Mihi interea, ut ad Virgilianos illos auri ramos postliminio revertar, satis hîc erit obſervâſſe, Antiqvos, cùm sapientiſſimè de rebus naturalibus philosophari parant, vulgò ostendere se fabulas tantùm propinare, aut ridicula conviviorum acroamata. Qvod licet ex Phæacum illo in *Hom. Odyſſ. Θ.* convivio, ubi citharœdus Martis & Veneris congressus artificio χρυσοπάτῳ, qvasi aliud agens persequitur, abunde eluceat, extra *Virgilium* tamen jam evagari non est consilium; qvi non modò Silenum ex temulento sopore vix excitatum inducit *Eclog. VI.* sapientiſſimè de rerum Naturâ perorantem:

Antiqvi cùm maximè ostendunt se nugas agere, philosophantur subtiliſsimè.

Namq; canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumq;, animæq;, marisq; fuissent,
Et liqvidi simul ignis: utq; his exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi concreverit orbis:
Tum durare solum, & discludere Nerea ponto
Cœperit, & rerum paulatim sumere formas &c.

Sed & *Æneid. I.* in Didonis convivio qvàm profundè

— — — citharâ crinitus Iopas
Personat auratâ, docuit qvæ maximus Atlas,
Hic canit errantem Lunam, Solisq; labores
Unde hominum genus, & pecudes, unde imber & ignes,

Arcturum, pluviasq; Hyadas, geminosq; Triones.
Quid tantùm Oceano properent se tingere soles
Hyberni: vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Nunc ad tertium Latinorum testimonium properemus, non contemnendum Chemiæ monimentum:

Chemicus gryphus Antiquus,

AM. PP. D.
ELIA. LELIA. CRISPIS.
Nec Vir, nec Mulier, nec Androgyna:
Nec Puella, nec Juvenis, nec Anus;
Nec casta, nec meretrix, nec pudica,
sed omnia:
Sublata nec fame, nec ferro, nec veneno,
sed omnibus;
Nec cœlo, nec aquis, nec terris,
sed ubiq; jacet.
Lucius Agatho Priscius
Nec Maritus, nec Amator, nec Necessarius;
Neq; mœrens, neq; gaudens, neq; flens
Hanc neq; molem, neq; pyramidem, neq; sepulchrum,
sed omnia,
Scit & nescit, quid cui posuerit.
Hoc est sepulchrum intus cadaver non habens:
Hoc est cadaver sepulchrum extra non habens:
Sed cadaver idem est, & sepulchrum sui.

variè explicatus.

Vetustissimum hunc gryphum alii aliter interpretantur, *Marius Michael Angelus* de aquâ pluviâ, *Agathias* de Niobe in lapidem conversâ, *Richardus* de animâ rationali, *Joannes Turrius* de materiâ primâ, *Gevartius* de Amore, *Zacharias Pontinus* de tribus defunctis simul conjunctis, *Nicolaus Barnaudus* de lapide Philosophico,

For-

Fortunius Licetus de generatione, amicitiâ & privatione. Prolixè rem prosequitur *Licetus*, ego tamen variis de causis vel *Michaeli Angelo*, vel *Barnaudo* accederem, ut ingeniosiora, & qvorum magna pars demonstrari possit coràm, afferentibus; qvanqvam nunc non libeat hisce immorari.

Indubitatum qvoq; Chemiæ apud Italos argumentum ministrat inexstingvibilis illa maximi Olybii lucerna *Appiano*, *Hermolao Barbaro*, *Ludovico Vives* qvondam descripta, & in agro olim inventa Patavino, duplici urnæ inclusa, in exteriori qvidem hæc signata:

Lucerna Chemica Olybii.

Plutoni sacrum munus nè attingite fures,
Ignotum est vobis, hoc qvod in orbe latet.
Namq; elementa gravi clausit digesta labore
Vase sub hoc modico maximus Olybius.
Adsit fœcundo custos ibi copia cornu,
Nè tanti pretium depereat laticis.

Interioris urnulæ hæc notabatur inscriptio:

Abite hinc pessimi fures
Vos qvid voltis vestris cum oculis emissitiis?
Abite hinc vestro cum Mercurio petasato, caduceatoq;:
Maximus maximo donum Plutoni hoc sacrum fecit.

Qvid censendum de lucernis Antiqvorum inexstingvibilibus.

Hic de lucernis illis Antiqvorum inexstingvibilibus prolixè differere ratio instituti non patitur. *Conringius de Cal. Innat.* magnâ veri specie ita deniqve erumpit: *Proinde vereor*, inqvit, *ne fabulosæ sint narrationes de lucernis Patrum, avorumq; memoriâ repertis, qvas ferunt sine alimento per complures centum annos in sepulchris luxisse.*

xisse. Kirckerus in Mundo Subterraneo aliâ viâ rem aggreditur, & explicatiùs. *Non fuere*, inqvit, *unqvam lucernæ perpetuo ardentes, visa qvidem flamma ex putrilaginoso aëre multorum annorum centuriis clauso, vel primo introëuntium halitu, vel extrinsecus aëris subeuntis accessu antiperistaticâ qvadam virtute derepente accensa. Ita sæpe in cœmeteriis flammulæ videntur. Bene Auctor Arabs! Fuit in Ægypto*, inqvit, *campus cujus fossæ erant plenæ bitumine liqvido, hinc Philosophi constituebant canales, ex his locis ad cryptas subterraneas, in qvibus lucernam ponebant; lucerna habebat filum ex lino qvod uri neqvit; hoc pacto lucerna semel accensa arsit semper ob perpetuum bituminis affluxum.* Profiteor & ego neq; me ex *Fortunii Liceti* de *Lucernis Antiqvor. Opere*, nec ex historiis tum apud Auctores *Herm. Barbarum*, *Fr. Maturantium*, *Bern. Scardeonum*, alios, exstantibus, tum auditu in Galliis, Italiâ, Germaniâ perceptis tantum profeciſſe, ut verè arsisse qvicqvam in sepulchris tamdiu hactenus assequar ullo ingenii conamine, utcunq; lucidum qviddam, scintillansq; ibi qvandoq; apparuisse, & mox admisso aëre disparuisse *Kirkero* facilis adstipuler. Putârim ego lucernam Olybii ex genere oleorum subtilissimorum fuisse, eoqve splendorem reddidisse lucernæ, qvòd radios luminis in se incidentes particularum suarum lævium & politissimarum incursu retorserit in astantium oculos. Nam ut præteream *Manfredum Septalium*, Virum optimum, Mediolani sanctè mihi affirmasse; se in vitris lacrymalibus antiqvis inveniſſe olei ignoti genus, qvod inaurabat lapides illitos; ex solo certè nitro diuturnâ patientiâ excocto accepi Pragæ non ita pridem in officinâ Chemici corpus prodiisse carbunculi instar in tenebris & lucens, &

splen-

splendorem suum aliqvandiu frigido licet vase conservans. Cujus dicti fidem ut in medio relinqvo, ita scio ante biennium, cùm Romæ in clivo Scauri domus integra per decem, & eo ampliùs secula infra scolymi & herbarum aliarum radices in horto civis cujusdam sepulta erueretur, pulcherrimæ illa fabricæ, & operis Corinthii, me inter rudera sollicitè urnulas ejusmodi lucernarum antiqvarum qvæsiviſſe, sed incassum; inveniſſe tamen vasa lacrymalia plurima vitrei generis, qvæ diuturnitate temporum victa in plures, easqve elegantissimè pavonaceis coloribus distinctas philyras abierant, similes talco Moscovitico [si colores dempseris] in folia non difficulter fissiles, sale sive vitrorum innato, sive terreo, laminulas, qvod æqvaliter ubiq; premeret vicina, procurante; qvibus jam separatis ratio dictat salem in proximas vitri partes grassatum eandem exercuisse tyrannidem, donec ita sensim integra vitri massa, crassa illa initio, & adhuc qvibusdam locis crassa, in sqvammas exemptiles degeneraret; ut vel hinc colligatur frustra esse Anatomicos, qvi humorem oculi crystallinum ex laminis constare asserunt, eo inducti qvòd coctura prævia in philyras se patiatur diduci. Idem enim illi, qvod vitris lacrymalibus fatum est, qvippe dum calor, ut qvi æqvaliter qvoq; particulas suas diffundit, primò ad certam humoris illius crystallini profunditatem se se insinuat, eam cogit, densatq; potentiùs; post succedente calore novo repetito penetratur in crystallinum altiùs, unde nova condensatio, sed à priori, ob aliter dispositas particulas, facilè separanda: similia cocto ovi albumini sæpe contingunt. Sed hæc extra oleas. Ad rem propius illud, aqvas causticas [fortes vocant] esse veluti

Vitrum in laminas per vetustatem cur abeat?

Humor oculorum crystallinus non constat ex laminis.

lucernas perpetuò ardentes, non qvòd perpetuò luceant, ſed qvòd perpetuò attactum pæne qvidvis ignis more adurant. Hinc ſi ſpiritum terebinthinæ aqvæ ſimili ſuperfuderis, ita paulatim rubicundiſſimo tingetur colore, ac ſi ignibus diu fuiſſet excoctus; qvin & qvandoq; magno ſtrepitu accenditur, qvod & mihi accidiſſe recordor. Explosum qvidem jam diu illud *Julii Caſ. Scaligeri*, qvod Chemicis attribuit: *Carbones Juniperi tantâ eſſe vi, ut per annum integrum ignem ſervent incorruptum.* Ad hæc liberaliter *Conringius: Id qvidem*, inqvit, *procul adeo eſt à vero, ut nè qvidem diem unum pruna juniperina poſſit ſupereſſe: qvod rectè notavit etiam Porta.* Sed in hoc parum ſibi cavit *Conringius*, non advertens illud Juris-Conſultorum: *Levem circumſtantiam ſæpe variare totum caſum*, de qvo forſan alibi; ſicut & de ſemine qvodam herbaceo agris noſtris familiariſſimo, qvod his ipſis diebus, poſtqvam ſemel in igne apud me incanduerat, exemptum, & in frigido loco repoſitum ad usqve qvinqvaginta ſolidas horas candere adhuc, & adurere mihi deprehenſum eſt. Calorem autem perpetuum varii variè moliuntur, alii rotarum jam per aqvas, jam aërem, jam pondera circumactu, alii miſtis contrarii generis ſalibus, alii thermarum naturalium elementa ſcrutando, imitandoq;, in qvo operoſus eſt *Henricus Rochaſius*, in *Phyſic. Demonſtrat.* alii continua illa Ætnæ, Veſuvii, Heclæ, pabula inqvirendo; qvibus omnibus ingenioſius qviddam excogitavit nobiliſſimus, mihiqve amiciſſimus *Abbas Boucaudius*, in cæterâ ingenii magnitudine arcanioris qvoqve naturæ candidatus excellens. Depangit is in tellure ſpongioſiori haſtam viginti circiter pedum, formatoq; jam profundo foramini, & à fortuito-

Iterum præceps Conringius.

Calor perpetuus variè tentatur,

& ingeniosè à Boucaudio.

tuitorum illapsu securo decem admodum libras Mercurii vivi infundit, qvi pondere suo, & terræ mollioris subjectæ obedientiâ sensim depressior, eò deniqve proserpente mensium aliqvot descensu promovetur versus infima telluris, ut caloris subterranei cunabulis deniq; illabatur; qvo facto indefessus [ut in thermis] per incumbens foramen exhalat fervor, & vitra, aliaqve imposita moderato fotu recreat; atqve ita præter inventi subtilis gloriam nullis postea sumptibus calor perpetuatur. Id tamen juxta mecum agnovit, non ubiq; locorum æqvè felicem sperari posse hujus artificii successum, tum ob subjectæ telluris soliditatem, tum ob saxa qvandoqve properantis in Tartara Mercurii iter sufflaminantia, tum ob aqvarum scaturigines impetum vivi argenti qvodammodo inhibentes. Qvicqvid horum fuerit, inventi genius vel ex eo lucem fœneratur, qvòd non tantùm *Acosta Hist. Ind. lib. III. cap. XIX.* tradat *in Gvancavelicâ Peruviæ, unde extrahitur minera Mercurii, fontem perennem esse aqvæ calidæ*; qvòd non tantùm solennis qverela sit, molitorum catarrhactas, aggeresq; [qvibus aqva ad molas circumagendas necessaria fistitur, ut operi sufficiat] à Mercurio per inimicas manus qvandoqve injecto perforari, cùm aqvarum, molarumqve dispendio, sed & notum omnibus, provocatumq; hypogæa profundiora, puteosq; hyeme vinctis rigore omnibus aliis, tepidum fumum in aëra eructare, visceribus telluris interioribus caloris materiam assiduè ministrantibus. Sed interrogemus qvoq; vitrum ductile, utrum Chemia antiqvis Romanis ante Constantinum planissimè fuerit ignorata. *Plinius lib. XXXV. cap. XXVI.* Fe-

Vitrum ductile Antiqvorum examinatur.

runt, inqvit, *Tiberio Principe excogitatum vitri temperamentum*,

mentum, ut flexibile esset, & totam officinam artificis ejus abolitam, nè æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur: eaq; fama crebrior diu, qvàm certior fuit. Idem proseqvitur, sed paulò diductiùs *Petronius Tragurianus: Fuit tamen*, inqvit, *faber, qvi fecit phialam vitream, qvæ non frangebatur. Admissus ergo Cæsarem est cum suo munere, deinde fecit reporrigere Cæsari, & illam in pavimentum projecit. Cæsar non pote validius, qvàm expavit: at ille sustulit phialam de terrâ: collisa erat, tanqvam vasum æneum. Deinde martiolum de sinu protulit, & phialam otio bellè correxit; hoc pacto putabat se coleum Jovis tenere. Utiq; postqvam illi dixit: numqvid alius scit hanc conditurum vitreorum? vide modò. Postqvam negavit, jussit illum Cæsar decollari; qvia enim si scitum esset, aurum pro luto haberemus.* Agnoscitis stuporem Tiberianum, *Audit.* & despuitis, simulq; admirabile illorum temporum artificium intuemini. Sed fac Petronium Tragurianum qvædam immiscere spuria, certè spurius non est *Dion Cassius* qvi *lib. LVII.* scribit eadem; spurius non est *Joannes Saresburiensis*, qvi *Polycrat. lib. IV. cap. V.* ita disertè: *Apud Petronium Trimalcio refert, fabrum fuisse, qvi vitrea vasa faceret tenacitatis tantæ, ut non magis, qvàm aurea, vel argentea frangerentur. Cùm ergo phialam hujusmodi de vitro purissimo, & solo, ut putabat, dignam Cæsare, fabricâsset, cum munere suo Cæsarem adiens, admissus est. Laudata est species muneris, commendata manus artificis, acceptata devotio donantis. Faber verò ut admirationem intuentium verteret in stuporem, & sibi plenius gratiam conciliaret Imperatoris, petitam de manu Cæsaris phialam recepit, eamq; validiùs projecit in pavimentum, tanto impetu, ut nec solidissima, & constantissima æris materia maneret illæsa. Cæsar autem adhæc non magis*

stupuit,

stupuit, qvàm expavit. At ille de terrâ sustulit phialam, qvæ qvidem non fracta, sed collisa, ac si aris substantia vitri speciem induisset. Deinde martiolum de sinu proferens vitrum correxit aptissimè, & tanqvam collisum vas æneum crebris ictibus reparavit. Qvo facto se cœlum Jovis tenere arbitratus est, eò qvòd familiaritatem Cæsaris & admirationem omnium se promeruisse credebat. Sed secus accidit. Qvæsivit enim Cæsar, an alius sciret hanc condituram vitrorum. Qvod cùm negaret, eum decollari præcepit Imperator, dicens: qvia si hoc artificium innotesceret, aurum & argentum vilescerent, qvasi lutum. An vera sit relatio & fidelis, incertum est, & de facto Cæsaris diversi diversa sentiunt. Ego verò sapientiorum non præjudicans intellectui, devotionem potentis artificis malè remuneratam arbitror, & inutiliter humano generi prospectum, cùm ars egregia deleta sit. Neq; verò hîc sive *Plinius*, sive *Petronius* de veritate experimenti ostendunt se se ambigere, sed qvòd neuter sacris Chemicis imbutus capiat rei sublimitatem, inter aliorum diffidentiam, & ignorantiam suam medii veritatem historiæ arbitrio intelligentium censendam relinqvunt. Ut proinde Chemicus certiùs rem definierit, qvi non modò ex artis suæ Scriptoribus *Libavio*, *Goclenio*, *Qvattramio*, *Valensi*, aliis, convincitur vitrum arte reddi ductile, sed & crystallos in duritiem, splendorem, & constantiam gemmis nativis æqvalem promoveri. Audiatur *Lullius Test. ult. Vidisti*, inqvit, *Rex mirabilem illam projectionem, qvam feci tecum Londini in camerâ tuâ secretâ Sanctæ Catharinæ versus partem castelli, qvam feci super crystallum solutum cum aqvâ argenti vivi, & converti eum in massam unam adamantis finissimi, & virtuosi plusqvam naturalis, ex qvo feci columnulas pro tabernaculo Dei.* Atq;

Gemmæ Chemicæ Lullii.

nè porrò inficiantium pertinacia æstimetur inexpugnabilis, ductilem illam massam Chemicam mecum attentiùs intueantur, *cornu Lunæ* appellatam, qvæ cùm aliud nihil sit, qvàm contrariis spirituum acidorum particulis inversa argenti textura, vel ad candelam tamen se promptissimè fusilem, seqvacemqve ostendit, & si in tenues philyras effundendo abeat, pellucidam, vitri æmulam, malleoq; qvodammodo obedientem; unde fuere qvi phialas ductiles confecisse se memorent, facili experimento imitandi. Accedit & altera ex officinâ meâ non levis ad rem persvadendam illecebra, qvòd sal ductilis non difficulter obtineatur; [qvid autem commune vitrum præter fortem salis & arenæ mixturam] hoc genus salis cùm Lugduni Batavorum experiundo reperissem, Dn. *Sylvio* illustri & Professori, & Chemico, *Stenonio*, *Marcgravio*, aliisqve nobilibus ingeniis ostendi, nunqvam antea, opinor, vel visu temere, vel lectione animadversum. Conficitur autem is sal ductilis, nè qvid dissimulem, ex sale armoniaco, in amplo vitro sæpe soluto, sæpe & lentè in stirias coacto, unde tandem crystalli emergunt longitudine respondentes amplitudini vasis, qvarum aliqvot notavi ad sex digitorum transversorum longitudinem porrectas, similes facie externâ ancipitibus gladiorum laminis, qvas cùm leniter inflecterem, obseqventissimè ductui manus parebant, & restituebant se se post plures curvaturas pristinæ rectitudini ad nutum meum, eandem patientiam toto mense, qvoties libebat, ostendentes, donec tandem subeunte humido aëre in aqvam fatiscerent. Alioqvin modica industria vitrum etiam frigidum ita reddiderit flexile, ut Plinianæ historiæ faciat satis, non item

Credibile vitrum ductile olim fuisse.

Sal ductilis.

Vitrum flexile datur.

item Petronianæ. Certè in publicis nundinis Lugdunensibus ante hos qvatuor annos, me inspectante, ingeniosior qvidam ex eorum numero, qvi spiritu vitrum in varios formant habitus, vitream massam ad flammam lampadis priùs liqvefactam in fila tenuissima ducebat, versatiliqve rotæ netricis orbi vel tricies circumvolvendo facilè induebat, restante etiam post frigus admissum vitri in omnem partem flexurâ malleum solum formidante. Neq; verò necesse est, ut si vitra plebeji usus timeant marculum, ideo qvoq; vitra omnia metallica, qvippe tenaciori humido vincta eosdem semper patiantur manes. Vitris enim metallicis adeo non demitur unctiuscula illa sua tenacitas acerbitate ignis, ut facillimè iterum restituantur in pristini metalli corpus, qvod mille experimentis liqvidum reddidit vulgatum illud Saturni vitrum; nam de Joviali, ut siccioris temperamenti res impeditior. Cæterùm commune illud Saturni vitrum ductile non esse, cùm sensus evincant, ductile fieri non posse ratio nulla persvadet, admotis ex arte salibus [ut in cornu Lunæ] invertentibus. Utrum ex stibio, id est Saturno sapientum cornu flexili simile qviddam elaboraverit infelix ille artifex Romanus, in medio relinqvo, ad speciosissimam illam *Jobi* filiam interrogandam curiosos ablegans, qvam ex Divino Scriptore *Keren-hapuch* i. e. cornu stibii, seu Antimonii appellatam didicimus. Cur autem vitrum vulgati usus malleum non sustineat eruditè inter alia persequitur *Anon. de lap. Phys. condit: Humiditas* inqvit, *in lapidum substantiâ terrestri non est ligata per siccum, in minimis partibus unius & alterius, sed in grossis partibus humidi & sicci, ita ut partes humidi cum terrestribus conjacer-*

Vitris metallicis genius aliquis est, qvàm vulgaribus.

Keren-hapuch qvid notet?

Cur vitrũ vulgare malleum non ferat.

ani ſicut hami catenarum, ut ait Albertus: in metallis verò minimum terrei eſt mixtum cum minimo aqvei, & è converſo, & plurimum unius cum plurimo alterius, & unum ab altero non ſeparatur ratione homogeneitatis partium [ecce qvomodo obſervet Chemicus ὅμοιον ὁμοίῳ πλάζων.] *& unionis elementorum, qvod contra eſt in lapidibus.* Qvàm eruditè hæc, & pæne Carteſiano more ſubtiliter extulit Chemicus mente ſapiens, utcunqve lingvâ ſcabrioſior? Hinc conficitur, *Aud.* illum, qvi ad eam tenuitatem partium homogenearum redegerit vel commune, vel, & opportuniùs forſan, metallicum vitrum, effecturum qvoq; ut metallorum mores ſeqvatur, & ductili tenacitate ingenium ſeqvax & flexile oſtendat. *Carteſius Princ. Phil. part. IV. Vitrum eſt valde fragile*, inqvit, *qvia ſuperficies, ſecundum qvam ejus particulæ ſe invicem tangunt, ſunt admodum exiguæ & parvæ.* Evigilet ergo in eo curioſorum induſtria, ut vitri particulæ in eas redigantur minutias, ut pluribus omnino ſe punctis contingant, & ductile vitrum non erit pòſt factu difficile. Hic vehementer & eruditè ſe opponit C. M. *in Obſerv. ad Art. Vitrar. Antonii Neri. Add hereunto*, inqvit, *that the nature of malleability conſiſts in a cloſe and throughout adhæſion of parts, an a capacity to the change of figure in the minuteſt parts. Both which are inconſiſtent with the nature of Glaß. For the materials of Glaß, Sand, and Salts, have ſuch figures as ſeem incapable of ſuch adhæſion in every part one to another. For all ſalts have their determinate figure which they keep too, in their greateſt ſolutions and actions of the fire upon them, as many inſtances might evince, and that figure is various according to the ſalts. Salt-peter, and all alkalizate-ſalts are pointed, and by their pungency, and cauſtickneß*

An vitrũ eò reduci poßit ut ferat malleum?

Opponit ſe vitro ductili Scriptor Anglus.

ſtickneß ſeem to be made up of infinite ſharp pointed needles. And as for ſand, the figure thereof is various, nay, infinite, as it appears in Microſcopes. Now how can any man imagine that ſuch variety of figures in ſand can ſo comply with the determinate figures of ſalt, as to touch one an other in minimis, which is neceſſary to make it malleable? &c. i. e. *His adde, qvòd natura malleabilitatis* (ut ita expreſſiùs reddam qvàm politiùs) *in arctiſſimâ partium cohæſione, & ſeqvaci ad immutandam in minutiſſimas partes figuram promptitudine conſiſtat; qvorum neutrum convenit moribus vitri. Nam materiæ, unde conficitur vitrum, arena & ſalia, deſtituuntur figuris ita firmiter ſe ſe amplexantibus. Salia univerſa peculiares oſtendunt & determinatas figuras, qvas in ſolutionibus maximis, & acerrimis flammarum complexibus retinent pertinaciſſimè, qvod pluribus exemplis oſtendere promptum eſſet. Hæ ipſæ figuræ variæ ſunt, ut varium eſt ſalium ipſorum ingenium. Nitrum & ſalia omnia lixiva in acumina deſinunt, & ob illam pungendi, adurendiq; vim formata videntur ex infinitis acicularum acutiſſimarum cohortibus. Qvod ad arenam, ejus figura varia eſt, imò infinitæ varietatis, qvod vel microſcopia demonſtraverint. Qvis jam ſibi perſvadeat eam figurarum in arenâ varietatem ita cum determinatis ſalium figuris poſſe conjungi, ut partes earundem ſe tangant in minimis, id qvod ad malleabilitatem tamen* (hoc eſt ductilem ſub malleo obedientiam) *reqviritur.* Qvibus cùm vix qvicqvam ſpecioſiùs dici potuiſſe appareat, vix qvicqvam minus ſolidum deprehenditur. Largimur non inviti & ſalibus diverſas figuras, & arenis, ſed easdem inviolatas manere poſt illam flammarum acerbitatem, hoc eſt qvod ab erudito Anglo cupimus demonſtratum. Cùm enim violentus ille ignium

Sed eidem occurritur.

genius, præsertim si diutius duraverit, pervertat omnia, acuta obtundat, obtusa acuat, porrigat curva, incurvet porrecta, ad summam, misceat, loco moveat, turbet universa, qvis spondebit vel suas arenis relinqvi in vitro figuras, vel suas salibus? Relinqvuntur figuræ sed fortuitæ, sed qvas ultimus ille ignis permisit impetus, cùm singulis, dum calet massa, momentis figuræ alioqvin varientur, aliter atq; aliter in horas insultante flammâ. Agnoscimus in vitro vulgati usus poros, tum qvòd bidui, triduivé flamma non ita omnes arenæ, salisq; angulos possit obtundere, & ad æqvalitatem redigere, ut non alios formet, etiam in solido arenæ, salisq; corpore anfractus, tum qvod exspirans ultimò ignis non nisi per meatus, utcunq; tenuissimos in auras evadat, qvos propterea patulos qvodammodo relinqvi apertum est. Hinc D. *Hyddens* Amstelredamensis, Cartesianæ delitium Philosophiæ, ante biennium vitra flatu in tenuissimos, sed tamen adhuc integros, solidosq; distendebat globulos, qvos cùm vacuos implesset aqvâ communi, notavit sensim per ipsam vitri substantiam penetrare aqveas guttulas, & vas ita sensim exhauriri, qvòd ob tenuitatem vitri rectiores pori transitum humoris nescirent intercludere. Scribit qvidē hîc Commentator salia in flammarum æstu non deponere figuras suas, de qvo ita censendum: salium alia, si sola affligantur ignibus, constantiam figurarum suarum diu tueri, sin mista cum materiis aliis, celeriter amittere: sed & si sola percoqvantur diutiùs & mox solvantur, coagulentur, iterumq; perurantur, solvantur, uranturq; crebriùs repetendo, tandem omnes suos perdere aculeos, & in terram insipidam converti, qvod mille experimentis ostendi

Vitrum poris abundat.

ſtendi poſſet. Sin miſceantur, ut in confectione vitrorum, cum arenis, poſt paucorum dierum flammas, ſalium vix tenue in vitrorum ſubſtantiâ deprehendi veſtigium, utcunq; corpore ſuo compoſitionem vitri intraſſe evidentiſſimum. Qvin memini me non ſemel vitra Veneta in alkohol redegiſſe, mox ſuperfuſâ aqvâ deſtillatâ calidâ ſalem inde coctûrâ molitum elicere, ſed non niſi tantillum obtinuiſſe, & id ne centeſimâ qvidem parte vitri corpori reſpondens, neqve, qvod advertendum, angulis cum ſale illo lixivo, qvi ante mixturam intraverat, conveniens. Sunt vitra, nec inficior, qvæ parum cocta, & multo ſale abundantia pluviâ tempeſtate imminente ſudorem veluti falſum exſpirant, ſed illa eadem, ſi percoqvantur diutiùs, nec ſudabunt, nec ſalis relinqvent indicium, invertente particulas ejus ſuperventu flammarum. Hinc nobiliſſimus *Magallotti* cùm in laboratorio Medicæo Florentiæ varia omnino herbarum ſalia, ex corticibus, radicibus, lignis, ſeminibus vi ignis expreſſa, & miris figurarum varietatibus oculos afficientia mihi non ita pridem humaniſſimè oſtenderet, adjecit ex ſuis & *Dn. Rhedi*, Archiatri Magni Ducis Florentini experimentis, illa omnia, ſi diuturnâ torqverentur ignis carnificinâ, in cubos deniqve abire; qvos ſi ulteriùs adhuc fatigaſſet Vulcani artibus, haud dubiè in albam, inſipidamq; terram deniq; abiiſſent univerſi. Tacebo jam, Commentatorem contra vitrum commune ſe hic armare, cùm metallicum fuiſſe, ductile illud vero appareat ſimilius. Qvin ſpectamus qvotidie naturam flexile vitrum moliri; qvid enim eſt talcum illud Moſchoviticum [Mariæ glaciem appellant] qvàm vitrum naturale tenuiſſimum & flexile? ſunt va-

In vitro an ſalia?

ria

ria animalium cornua, & ungulæ flexiles, pellucidæ, & malleo qvodammodo obtemperantes. Non memorabo diversa gummata, gelatinas, ichthyocollam, alia; salem meum flexilem intueatur Commentator, & ab eo solo rationes suas de figurarum constanti diversitate turbari animadvertet. Ut venerer hîc acumen magni *Carteſii*, qvi licet flexilem salem non viderit, subtili tamen meditatione eò usq; provectus est, ut dari posse prædixerit *Princip. Phil. part. IV.* Nempe particulæ, inqvit, *qvarum materia paulò solidior est, qvales sunt salis, meatibus istis interceptæ atq; contusæ, ex teretibus & rigidis planæ ac flexiles redduntur: non aliter qvàm ferri candentis virga rotunda crebris malleorum ictibus in laminam oblongam potest complanari.* Transferantur hæc ad rigidas vitri particulas, & causa disceptata est. Verbo; qvòd si & diu subigantur ignibus vitra, ut angulis, hamisq; suis exarmata coëant fideliùs, & tenaci qvodam Chemici artificii imbuantur glutine, non video rationem ullam, qvæ cogat nos ambitiosâ inficiatione tot Antiqvorum testimoniis petulantiùs obstrepere. Restabant alia, qvæ Chemiam olim qvoq; in Italiam demigrasse convincerent, nisi circumcisum illud dicendi spatium intercederet, juberetq; *Julii Materni Firmici*, *Æneæ Gazæi*, *Morieni Romani*, *Cedreni*, *Eustathii*, *aliorum* testimonia seponere, & ad Arabas descendere, illos Chemiæ post Ægyptiorum, Græcorumqve tempora maximos helluones; qvos inter *Geber* primo post Mahumedem, seculo inclaruit, scriptor luculentus, solidus, & prudens, cujus Operum latina versio prostat ubiq;, Arabica in Musèo viri optimi *Jacobi Golii*, *Lugduni Batavorum*. Græcum fuisse *Gebrum* hunc *Leo Africanus* pertendit, ut forsan Græcum

Geber cujas?

cum natione, sed Arabicè scribentem agnoscamus. Etenim nè qvisqvam præposterus existimet Arabas Græcis eruditione priores fuisse, delibandum ex *Hottingeri Analect. Hist. Arabicorum scriptorum annis octingentis, Islamismo verò, & Alcorano nullum neq; Theologum, neq; Philosophum, neq; Historicum esse antiqviorem. Demum Almansoris, & Almamonis operâ & impensis effectum, ut antiqvi ferè omnes Chaldæorum, Ægyptiorum, imò & Græcorum, Romanorumq; Scriptores in Arabicam lingvam traducti ingentes nunc passim per Africam, totoq; Oriente impleverint Bibliothecas.* Confirmat ferè omnia hæc *Albufarajus Arabs* Historicus *dynastiâ nonâ.* Atq; huic Arabum diligentiæ multa hodieq; Antiqvorum scripta debemus, qvæ jam in Europâ perierant, ex illorum versionibus restituta. Varia *Galeni* ex Oriente secum attulit *Jacobus Golius*, Arabicè reddita, etiam qvæ hodie in Græco Galeni textu Europæo desiderantur. Secutus id qvoq; studii genus maximus Arabicæ Scholæ Magister *Ibnsina*, seu *Avicenna*, seculo Christiano undecimo, qvem Alkymica scripsisse testis est incorruptus *Albertus* ille *Magnus lib. III. de Reb. Metall. cap. IX.* & scriptum ejus in ore & oculis nostris. De *Avenzoare*, & *Avenroë* res ita liqvida non est, Chemicanè tractaverint, an Galenica duntaxat. Versantur autem hodieq; in publicâ luce multa Arabum scripta Chemica, *Senioris Zadith* filii Hamuelis, *Halidis*, *Abubakri*, *Adrefi*, *Alphidii*, *Alchindis*, *Bubathari*, *Zamberti*, *Bulcasis*, aliorum. Sed & in hodiernum usq; diem Saracenis, Arabibusq; & Africanis ingeniosioribus nulla ars Chemicâ excultior, qvod cùm ante hos centum qvinqvaginta annos *Joannes Leo Afer* à Muhamedismo ad Christianam conversus fidem de Fessæ incolis agnoverit,

Arabes à Græcis Chemica didicere.

Ibnsina Chemicus.

Africani hodieq; Chemici.

rit, tum & ante triennium idem se Tangerii in Africâ notâsse *Thomas Parry* eruditissimus Anglus Oxonii, me præsente confessus est. His ipsis Africanis, Arabibusq; in Sinarum regionem ad commercia ventitantibus credibile Sinensem Chemiam debuisse incunabula, de qvâ *Pantogia*, *Trigautius*, & novissimè *Martinius*, *Kirckerusq;*. Nam ab iisdem in Hispaniam, & deniqve in plures alias Europæ melioris regiones derivatam esse nemo ambigit; cui enim dubium, Saracenos Hispaniam inundantes unâ secum artes suas transtulisse? qvas ita efficaciter ad maris mediterranei defixas littora fuisse constat, ut hodieq; Montispessuli ex ultimâ illorum progenie vivant Pharmacopœi. His Auctoribus inflammati, edoctiqve *Arnoldus de Villa Nova* Gallus, *Raymundus Lullius* Majoricanus, *Albertus Magnus* Germanus, *Rogerius Baco* Britannus, *Rupescissa*, aliiq; superiorum seculorum Chemici Europæ occidentalia novis destillationū artificiis imbuerunt, ad Medica & metallica commendatis. Nam Græci proprio adhuc succo victitaverant, & artem ab Ægyptiis haustam nondum apud se se patiebantur emori, utcunqve Muhamedicâ pressi servitute. Cæterùm qvando seculum illud Christianum duodecimum magnis aliqvot luminibus Europam nobilitavit, Italiam qvidem *Petro Aponensi*, & *Thomâ Aqvinate*, Galliam *Arnoldo Villanovano*, Hispaniam, sive subjectam illi Majoricam *Raymundo Lullio*, Britanniam *Rogerio Bacone*, & *Jo. Duns-Scoto*, Germaniam *Alberto Magno*, Daniam *Saxone Grammatico*, non ab re fuerit, paulò accuratiùs expendendis qvibusdam magnorum eorundem Naturæ geniorum, qvi curiosam hanc artem excoluere, tantillum immorari, ut à qvorum fontibus Chemia in totam

Unde in Chinam propagata Chemia?

Unde in Hispaniam, &c.

Euro-

Europam, longè, lateq; propagata, adhuc majestatem suam, frustra allatrantibus licet invidis, ignavisq; masculè tuetur. Horum natu maximus *Rogerius Baco*, ingenio sublimis Monachus, circa annum Christi M. CC. V. floruit, nam in Epistolâ illâ luculentâ *de Operibus Secretis Artis & Naturæ, atq; Nullitate Magiæ* ad *Gvilhelmum Parisiensem* [qvem circa annum Christi M. CC. XXVI. ex *Petavio* vixisse constat] perscriptâ ita: *Transactis*, inqvit, *annis Arabum sexcentis & duobus, rogasti me de qvibusdam secretis.* Annus autem Arabum sive Hegiræ sexcentesimus secundus incidet in annum Christi millesimum ducentesimum qvintum, si qvidem observetur annum tum Hegiræ primum, esse annum Christi sexcentesimum vigesimum secundum, tum constare annum Arabicum diebus trecentis qvinqvaginta qvatuor, & singulis annis triceſimis, ex minutiis accedere dies undecim. Hujus *Rogerii Baconis* tria adhuc scripta versant curiosiores, de Chemiâ duos, & de *Secretis Artis & Naturæ Operibus*, atq; *Nullitate Magiæ* unum, in qvibus, præsertim ultimò ostendit satis reconditam vastissimi ingenii scientiam, ostendit se Mechanicum, Physicum, Medicum, Mathematicum, Chemicum supra captum temporum illorum admirabilem, cui multa debent recentiores, qvæ sua inventa esse jactantiùs vociferantur. Sed audiamus ipsum loqventem: *Per figurationem*, inqvit, *solius artis instrumenta navigandi possunt fieri hominibus navigantibus, ut naves maximæ fluviales, vel marinæ ferantur unico homine regente majori velocitate, qvàm si plenæ essent hominibus navigantibus:* [hoc nuper in Belgio tentatum] *Currus etiam possunt fieri, ut sine animali moveantur cum impetu inæstimabili* (an respexit currus veliferos?

Rogerius Baco Chemicus Anglus.

Qvando vixit?

Scripta Rogerii.

Mechanica Rogerii admiranda.

qvos aliqvot seculis postea Chinensibus usurpatos cognovit Europa, expertusq; est ad Schevelingam *Arausionensis Princeps*) *Possunt etiam fieri instrumenta volandi, ut homo sedens in medio instrumenti revolvens aliqvod ingenium, per qvod alæ artificialiter compositæ aërem verberent, ad modum avis volantis. Fieri etiam potest instrumentum parvum in qvantitate ad elevandum & deprimendum pondera qvasi infinita, qvo nihil utilius in casu; nam per instrumentum altitudinis trium digitorum, & latitudinis eorum, & minoris qvantitatis, posset homo seipsum, & socios ab omni periculo carceris eripere, & elevare, & descendere. Potest etiam de facili fieri instrumentum, qvo unus homo traheret ad se mille homines per violentiam ipsis invitis, & sic de rebus aliis attrahendis* (hæc cognitionem statices produnt, cui innixus fundamento D. *Wilkins* Anglus libro *Mechanical Power* inscripto, docet uno oris flatu posse vel maximam in sylvis qvercum eradicari) *Possunt etiam fieri instrumenta ambulandi in mari, & in fluviis ad fundum sine periculo corporali* (hæc postea à Drebbelio attentata sunt) *& infinita alia possunt fieri; ut pontes ultra flumina sine columnâ, vel aliqvo sustentaculo & machinæ & ingenia inaudita.* [Talem qvoq; nos in Angliâ pontem spectavimus, qvem post descripsere duo eruditi Galli, *Demonconisius*, & *Sorbierius.*) *Possunt figurari perspicua & specula, ut unum appareat multa, ut unus homo exercitus, & ut plures, & qvot volumus Soles & Lunæ appareant. Nam natura sic aliqvando figurat vapores, ut duo Soles, duæ Lunæ, & aliqvando tres Soles apparuerint simul in aëre, ut Plinius recitat secundo Natur. Hist. Et qvâ ratione plures & infinitæ possint res unâ apparere, qvia postqvam excedit suam virtutem, nullus est ei numerus determinatus, sicut arguit Aristo-*

Aristoteles cap. de vacuo, & sic omni civitati & exercitui contrario possunt fieri terrores maximi, ut vel propter multitudinem apparitionum stellarum, vel hominum super ipsos congregatorum dispereant, præcipuè si seqvens documentum cum illo primo habeatur; possunt enim sic figurari perspicua ut longissimè posita appareant propinqvissima, & è contrario, ita qvod ex incredibili distantiâ legeremus literas minutissimas, & numeraremus res qvantumcunq; parvas, (in hos usus alii telescopia, alii vitra polyhedra non ita pridem cœperunt elaborare, alii speculorum mirum genus) *Possunt & sic figurari corpora, ut maxima appareant minima, & è contrario, ut alta appareant infima, & è contrario; ut occulta videantur manifesta; ut qvæ in civitatibus & exercitibus contrariis fiunt, possint ab inimicis deprehendi.* (Qvàm imperitè igitur smicroscopia, macroscopia, cameræ obscuræ, polemoscopia, nostrorum creduntur inventa temporum, qvæ Rogerio huic cognita fuisse apparet omnia?) *Possunt etiam sic figurari perspicua, ut homo ingrediens domum videret veraciter aurum & argentum & lapides pretiosos, & qvicqvid homo vellet, qvicunq; festinaret ad visionis locum, nihil inveniret.* (Hæc jam cognitissima re ipsa ostendit mihi Lugduni in Gallis *Servierius*, Mediolani humanissimus *Septalius*, Romæ *Kirckerus*) *Non igitur oportet nos uti Magicis illusionibus, cùm potestas philosophiæ doceat operari qvod sufficit. Sed de sublimioribus potestatibus figurandum est, qvòd ducantur & congregentur radii per varias fractiones & reflexiones in omni distantiâ, qvâ volumus, qvatenus comburatur qvicqvid sit objectum.* (hoc & *Archimedis*, & *Vilettii* specula caustica superat) *Hæc sufficiant pro exemplo figurationum, qvamvis infinita alia miranda proponi possent in medium. His verò sunt qvædam*

Telescopia Rogerio cognita.

Specula ustoria Rogerii.

annexa sine figurationibus. Nam in omnem distantiam, qvam volumus, artificialiter componimus ignem comburentem ex sale petræ & aliis, item ex oleo petroleo & aliis. Præterea possunt fieri lumina perpetua & balnea ardentia sine fine. Prater hæc verò sunt alia stupenda Naturæ. Nam soni velut tonitrus & coruscationes fieri possunt in aëre, imò majore horrore, qvàm illa qvæ fiunt per naturam; nam modica materia adaptata, scilicet ad qvantitatem unius pollicis sonum facit horribilem, & coruscationem ostendit vehementem, & hoc fit multis modis, qvibus Civitas, aut exercitus destruatur, ad modum artificii Gedeonis, qvi lagunculis fractis & lampadibus, igne exsiliente cum fragore inæstimabili infinitum Madianitarum destruxit exercitum cum trecentis hominibus. Hic apertissimè loqvitur *Rogerius* de nitrato illo stlopetorum pulvere, qvem, qvòd præscius futuri videatur suppressisse Rogerius, *Bertholdum Schwartzium* Cimbrum, circa annum Christi CCC. LXXX. suo Marte postea invenisse constat ex *Th. Bartholino*, seculi delitio, *lib. de Med. Dan.* idqve primum Baconis inventum esse ut clariùs patescat, ipse postea Rogerius ita mysticè: *Accipe*, inqvit, *salis petræ Luru. Vopo vir can utriet sulphuris, & sic facies tonitrum & coruscationem, si scias artificium.* Tacebo qvæ de astroite ad acetum decurrente, de qvadraturâ circuli, de variis experimentis Chemicis commentatur; ex qvo perspicuè constat *Rogerium* mente altiùs ingressum esse secretiora Naturæ, qvàm seculi sui ineptientibus vulgò persvasum, qvorum calumniis, cùm Oxonii viveret, sæpe impetitus tanqvam infamis Magiæ candidatus, non semel causam dicere coactus est, semper tamen imperiti obtrectatorum gregis triumphator. Enimverò solenne illud bruti popelli carmen est,

Pulvis pyrius Rogerio perspectus.

Rogerius ab imperitis accusatur.

est, Magum esse, si qvis altiùs paulò attollit oculos, & profundiùs Naturæ arcana rimatur. Sed qvodnam ferunt laborum maleficorum pretium isti abominati spiritus calumniatores? qvod merentur, *Aud.* hoc est, nominis sui perpetuum à posteritate opprobrium. Itaq; non tantùm *Naudæus* Rogerium efficacissimè vindicavit, sed & *Spondanus in Annal.* in hunc modum Philosophum asserit: *Hoc anno* M. CC. LXXVIII., inqvit, *damnata est doctrina Rogerii Baconis Angli, propter aliqvas novitates suspectas, qvippe qvi in omni doctrinæ, facultatis & scientiæ genere versatissimus, & ad miraculum subtilis (unde & Doctor mirabilis communiter audiebat) dum Mathematicam & Philosophiam naturalem curiosiùs, qvàm par erat;* (scilicet qvàm par esse videbatur) *inqvireret, vulgò habitus est præstigiator, & Magus. Pitsæus docet hæc illi ex invidiâ, vel ignorantiâ aliorum adveniſſe, dum ea damnarent, qvæ suam vel effugiebant industriam, vel superabant captum.* Ita fatum hoc commune fuit *Rogerio* cum Episcopo Salisburgensi *Vigilio*, qvem, ex *Aventino*, ab officio abstinere jussit, & hæreseos postulavit Romana Curia, qvòd ex astrorum scientiâ confirmatus dari statueret Antipodas. Similia accidisse *Copernico, Galilæo, Carteſio*, nemini ignotum. Cæterùm unde *Rogerio* tam profunda eruditio? præter ingenium, *Aud.* qvod suâ sponte rapiebatur ad sublimia, agnoscit passim in scriptis suis ex lectione non tantùm *Aristotelis, Plinii, Solini, Ptolemæi, Hippocratis, Gellii, Ovidii, Isaaci Medici, Platonis, Josephi*, aliorumqve se profeciſſe, sed (qvod nostri erat propositi demonstrare) diligenti qvoq; manu versâsse *Avicennam, Averroëm, Albumazarem, Gebrum, Abubali, Alpharabium*, subtilissimos Arabum Philosophos. Extat hodieq; Oxonii domus

Vindicatur à posteritate.

Qvibus Magistris profecerit Rogerius.

mus *Rogerii Baconis*, incolis *the howſe of fryer Bacon*, appellata, qvam cùm ab alterâ Tameſis urbem lambentis ripâ oſtenderet mihi *Edmundus Dichinſonus*, Medicus inſignis, adjecit, *Rogerium* monachorum qvorundam obtrectationibus qvotidie proſciſſum in ulteriori ripâ fixiſſe ſibi ædes, tum nè in citeriori, adeoq; in urbe vivens, jurisdictioni eorundem foret obnoxius, tum ut oſtenderet ſe tamen oculos adverſariorum non defugere, ſed vitæ reliqvo de ignorantiâ inviſæ cohortis triumphare.

Arnoldus de Villâ Novâ Chemicus.

Arnoldus de Villa Nova, Philoſophus, Medicus, & Chemicus excellens, in Galliæ Narbonenſis oppido Villeneufve, docente *Symphortano Campegio*, lucem hanc mortalem infans aſpexit, primus Chriſtianorum, Arabum magiſterio ad ſummum artis culmen ultimis his ſeculis [ſi *Rogerium* forte excipias] evectus. De eo *Jo. Andreas* illorum temporum Juris-Conſultus *Addit. ad ſpeculat. tit. de crim. falſi: Noſtris*, inqvit, *diebus habuimus Magiſtrum Arnoldum de Villâ Novâ in Curiâ Romanâ ſummum Medicum, & Theologum, de qvo ſcripſi de Obſerv. jejun. conſilium, qvi & magnus Alkymiſta virgulas auri qvas faciebat, conſentiebat omni probationi ſubmitti.* Oſtendit hic ſatis in *ſpeculo Alkymiæ*, aliisqve ſcriptis Doctores ſuos, *Gebrum*, *Daucim*, *Morienum*, *Smaragdinam Hermetis tabulam*, *Avicennam*, *Eximæum*, *Turbam Philoſophorum*, *Algazelem*. Inclaruit paulò ante annum Chriſti M. CCC. Lullii, ut ipſe *Lullius* ſæpe agnoſcit, in Chemicis Magiſter. De eo *Lullius in Teſtam. ult. lib. III. Nec ego, nec Magiſter meus Arnoldus uſus eſt aliò furno, qvàm ſeqventi.* A Rege Siciliæ Friderico magnopere honoratus, ab eodemqve ad ſanandum miſſus Pontificem, in itinere ex morbo

morbo deceſſit Genuæ illatus tumulo. Extant hodieq; varia ejus ſcripta & Medica, & Chemica nobilem genium ſpirantia. Extant *Qvæſtiones* ejus *univerſales* ad *Bonifacium* VIII. Pontificem Romanum, qvem ex *Spondano* certum eſt Anno Chriſti M. CCC. III. humanis exemptum. Et qvod inuſitatum accedit, usqve adeo in domo Villanovani ſedem ſibi hæreditariam elegiſſe viſa eſt ſcientia Chemica, ut trinepos Arnoldi, Villanovanus *Montpeſatius* inter primos Provinciæ Gallicanæ Barones, ante triennium, in oppido Avenionenſi ad ſpectandum artis ſuæ experimentum honorificè me invitaverit.

Villanovanus qvidam adhuc ſupereſt.

In hiſtoriâ *Raymundi Lullii* altiùs ducenda nobis exordia, turbante nuper conſtantem totius Europæ de ejus ſcientiâ Chemicâ opinionem *Vincentio Mutio* Hiſpano, Libro cui titulus: *Hiſtoria del Reyno de Mallorca.* Prolixa *Mutii* diſſertatio in compendium relata huc ferè redit: Pater *Raymundi Lullii*, Ramon Lull dictus, clariſſimi ſangvinis Barcinonenſis, comes Regis Jaime in occupandâ Majorca; Mater nobiliſſimæ domus Comitum de Eril Catalanenſium. His natus Parentibus *Raymundus Lullius* in inſulâ Majorcâ Anno Chriſti M. CC. XXXV. primùm qvidem literis ſe devovit, ſed ad arma mox, & amores propenſior tempus in meditandis ad amicam Eleonoram verſibus ſedulus contrivit. In qvâ cùm aliqvando in templo attentiùs contemplandâ defixus hæreret, illa amatorem puellariter accedens, cùm delitias factura putaretur, recincto celeriter ſtrophio mammas oſtendit, cadaveroſas illas, & putridas, ſubjectumq; pectus horribili carcinomate obſeſſum. Unde *Raymundus* qvaſi infernâ turbatus imagine obſtipus immutuit,

Raymundi Lullii hiſtoria recenſente Mutio Hiſpano.

mutuit, & præ mœrore contabescens, diu nisi in tenebris solatium invenit nusqvam. Ita consternato tandem conspiciendam obtulit se se forma Salvatoris affixa cruci, eâ efficaciâ, ut *Raymundus* postea tectas vano fulgore mundi delitias contemnere inciperet, nunqvam ad volutabra amorum pristina regressus. Ex eo, licet ultra jam trigesimum ætatis annum progressus, Grammatices præcepta sedulò evolvere, famulo suo Magistro lingvam Arabicam edisscere, & Anno Christi M. CC. LXXV. in deserta evagari, tempus, precibus, inediæ, sacrificiis, pœnitentiæ & lacrymis impendere, præcipuè autem ad fidem Christianam inter pagauos propagandam indies accendi. In qvo dum occupatur, apparet ei iterum Salvator specie ardentis Seraphini, jubetqve uti artem communem de omnibus conscribat scientiis. Obseqvitur *Lullius*, pensumq; absolvit. Interea Jacobus Arragonum Rex *Lullii* excitatus instinctu monasterium erigit in Insulâ Majorcâ luculentum, reditibusqve lautis instruit, commissâ eâ XIII. Fratribus Ordinis Minorum curâ, ut Arabico illic instituti sermone post ad profanas gentes convertendas accingantur. Ex eo tempore variis excursibus orbem latè pervagatus est *Lullius*, Artem scientiarum docuit Parisiis, peregrinatus in Palæstinâ, Cypro, Ægyptô, Romæ, Jerosolymis, Armeniâ, Bohemiâ, Britanniâ; Genuæ varios conscripsit libros, qvô invitata nobilitas Genuensis pecunias ipsi obtulit ad iter in terram sanctam necessarias. Approbavit *Lullii* scripta Parisiensium censura; *Bzovius* in eum, præter meritum, obliqvior. Certum qvidem, *Lullio* omnes scientiarum fontes apertos fuisse, adeoq; etiam Chemiam, falsò tamen ipsi attribuitur χρυσοποιΐας, cùm & doctrinâ

Lullii itinera.

&

& moribus alienum à Chemicorum vulgarium ineptiis se fuisse satis ostendat. Ad summam, postqvam decretam iterum in Terram Sanctam impressionem inhiberi, suspendiq; observâsset, Principibus negotium adeo sanctum segniter promoventibus, ipse in Africam extremâ senectâ navigavit, docuit Tuneti, Bugiam ingressus, ubi ob prædicatam legem Jesu Christi martyrio coronatus est. Deligatus enim ad palum extra urbis pomœria lapidibus obtritus exspiravit, Anno Christi M. CCC. XV. Junii XXIX. Opera ejus post velitationes diversas in concilio Tridentino approbata. Atq; hæc qvidem de vitâ Lullii, de scientiâ verò Chemicâ, qvam Lullio detrahit, in hunc modum disserit *Mutius* paragrapho, cui titulus: *El venerabile Raymundo Lulio no hizo experiencias Chimicas: Qvanqvam Gregorius Tholosanus tradat Raymundum Lullium obtulisse Edoardo Sexto Anglorum Regi sex auri milliones à se confectos ad bellum in terram sanctam promovendum; qvanqvam ostendantur hodieq; Soberani (genus numismatis aurei) Raymundo adscripti; qvanqvam Chemica ejus scripta circumferantur, intuendum tamen, nec scripta illa germana Raymundi esse, nec Soberanos ab ejus fabricâ profectos, nec demum qvicqvam ab eo oblatum Edoardo Sexto, ut qvi vix trimus puer luserit in Aulâ parvulus, obeunte in Africâ Lullio.* Gravis adversaria profectò, & tantò speciosior, qvò apparatiùs se tuetur *Mutius* Antiqvitate historicâ. Experiemur tamen, ut semel hanc arenam ingressi, qvâ fide agat *Mutius*, & qvo robore argumentorum *Lullium* formidandus athleta impugnet. Principio ergo ita confidenter: *Libri*, inqvit, *Lullii supposititii sunt, qvòd multa illis inspergantur Hebræa, qvæ lingva Raymundo incognita fuit.* Sed siculneum hoc

Lullii mors.

An Lullius Chemicus.

Mutii errores deteguntur.

telum; si enim post annum ætatis tricesimum Grammatices præcepta, & lingvam Arabicam didicerit, & solidos postea annos qvinqvaginta vixerit sobrius, sanctus, peregrinator, & convertendis hominibus, qvorum longè plurimi Hebræi, addictus, nulla ipsum interea vocabula Hebræa didicisse creditu absonum est. Sed fingamus eum in Hebræis non multum olei consumpsisse, ideonè voces qvasdam Hebraicas operi suo potuit inspergere? præsertim cùm humani ingenii vitio ostentent etiam plerique familiari sermone lingvæ illius cognitionem, cujus vix prima hausere rudimenta; nec solus in Latinâ Comœdiâ *Plautus* immiscuit Punicam illam loqvendi sartaginem; nec solæ Qviritium puellæ apud *Juvenalem*: Ζωὴ κεφὴ ψυχή, exclamabant, ad occursum sponsi, cùm Græcanici sermonis hoc unum didicissent; nec solus *Julius Cæsar* in ostentationem accuratiùs describit pontes, qvos in Galliis cum exercitu transmisit, qvàm prælia, qvæ ibidem victor sustinuit, utcunq; pontium illorum fabricam architectis suis debuerit, victoriam præliorum virtuti suæ. Verùm accedamus propiùs; ostendat *Mutius* illa multa in Lullio Hebraica! *Agazoph* nominat, & *Ubidrugal*, & *Recfage*, & *Adulphur*, & *Periminel*, & *Optesi*, & *Esebatesi*, & similia, qvæ cùm Lullius partim ex Arabico detorserit, partim ex Latino, Hispanicoq; in sensum sibi cognitum deflexerit, adeoq; ipse *in Theoricis* vocet lingvæ Oritanæ [an legendum Mauritanæ] fœtus, *Mutius*, vir bonus, sed lingvarum, præterqvam suæ Castellanæ, imperitior, Hebraica esse sibi persvasit, qvemadmodum superiorum barbaries seculorum visis Hebraicis, Arabicis, Persicis, *Græca sunt*, ingeminabat, *legi non possunt*. Ita hodie mediterranei

Anglo-

Anglorum agricolæ omnes sibi obvios mortales alienigenas, Germanos, Italos, Danos, Svecos, Polonos, honorato titulo *Frenchs doggs* appellant, rati se tum demum pulchrè rem gessisse, qvòd præter Gallos, & Anglos tertium genus hominum in terris vivere haud qvaqvam arbitrentur. Pergit *Mutius: Lullius*, inqvit, *libro de Mercurio, narrat se Mediolani Anno Christi* M. CCC. XXXIII. *chymica qvædam experimenta absolvisse, cùm obierit tatis octodecim annis ante hoc tempus.* Incuset hic lapsum typographi *Mutius*, *Lullium* sanè vindicant Manuscripta, nec omnes inspexit Mutius impressos codices. Qvîd proclivius oscitanti Sosio, qvàm pro numero substituere numerum? pro unitate ternarium? nihil evidentius, qvàm Chemicos Auctores pessimâ hinc inde fide excusos esse. Qvod autem *Lullius* Mediolani & fuerit, & Chemica ibi tractaverit, notissimum est, ostenditurqve adhuc domus illic nobili isto habitatore qvondam superbiens; in cujus vestibulo conspicuæ figuræ, statuæqve ingenium, artemqve Chemici satis demonstrant; ut illæ *Flammelli* Parisiis in peristylio cœmeterii S. Innocentium. Sed nondum desinit *Mutius: In genuinis suis*, inqvit, *scriptis aliter docet Lullius, nam in Arte Magnâ part. IX. capite de Elementativâ, sub principium ita ait: Elementativa habet veras conditiones, ut una species se non transmutet in aliam, & in isto passu Alkymistæ dolent, & habent occasionem flendi. Item libr. de Mirabil. Orbis docet aurum Chymicum non esse nisi apparenter aurum.* Advertendum hîc Lullium non nisi post editos libros qvàm plurimos, non nisi ultimis vitæ annis ad Magisteria Chemicorum intima penetrâsse. Et retractavit scriptorum suorum alia *Augustinus*, & damnavit qvædam postea Lutherus,

Lullius Chemica tractavit Mediolani.

Flammelli Chemici insignia Parisiis.

Alia credidit Lullius juvenis, alia senex.

therus, qvæ tanqvam vera admiserat initiò. Dies diem docet, *Audit.* & progressu ætatis, matureſcente judicio multa caſtigamus, qvæ juventuti noſtræ fucre in delitiis, & ex adverſo: id qvod probè animadverſum magno *Zwingero*, qvi [ut jam *Latinii* teſtimonium præteream] in luculento illo ſuo *Theatro* narrat Raymundum conatum fuiſſe *Arnoldo Villanovano* (qvi demum circa annum Chriſti M. CCC. florere cœpit, hoc eſt, extremâ pæne Lullii ſenectâ) idq; multis rationibus, ἐυνοιαν in opinione hominum, non in conſtanti Naturæ lege fundatam, *Villanovanum* autem tandem diſputationis pertæſum poſtridie oſtensâ in oculis Raymundi illâ genuinâ metallorum in nobilius metamorphoſi, hominem deniq; facilè in ſuam pertraxiſſe ſententiam. Accedit, qvòd multi publicè in Chemiam debacchentur, privatis autem ſtudiis nihil ament teneriùs, qvorum & aliqvos in itineribus mihi contigit videre. Dandum putant qvandoq; aliqvid moribus, judiciisq; ſeculi, licet ſæpe iniqvis; qvanqvam non ſic merita eſt Diva Chemia, ut ex vulgi ſalivâ dependeat, & inertis popelli judicio ſive abſolvatur, ſive damnetur. Verum his miſſis, ſcripſerit ultimæ ſenectutis periodo *Lullius*; *unam ſpeciem non transmutari in aliam*, id ipſum tamen ſano intellectum ſenſu nullus Chemicorum inficiabitur. Explicat rem Magiſter Lullii *Arnoldus Villanovanus libr. de perfect. Magiſter.* *Species*, inqvit, *metallorum transmutari non poſſunt; & hoc verum eſt, ut ipſi aſſerunt, niſi ad primam materiam redigantur.* Qvæ verba utcunqve pauciſſima multum habent in receſſu. *Rogerius Baco ita: Species*, inqvit, *non transmutantur, ſed ſubjecta ſpecierum optimè & propriſſimè, circa ſingularia enim omnis ſenſibilis operatio.*

An ſpecies in alios habitus immutentur?

tio. Similia Chemici alii magno numero. Opportunè *Avicenna lib. II. tract. I. cap. IV. de Operat. Medicin. sing.* qvi vulgò æstimatur qvartus Meteor. Aristotelis. *Sciant Artifices Alchemiæ species sive formas metallorum verè transmutari non posse, nisi fortè in primam reducantur materiam & sic in aliud, qvàm prius, permutentur.* Dixerit *Lullius aurum Chemicum mentiri aurum, non esse;* id verum agnoscimus de adulterinis Pseudo-Chemicorum fraudibus, de Chemicorum autem verorum artificiis prodigiosè falsum, & pluribus vel hoc anno experimentis artificum coràm refutatum.

Descendamus tandem ad capitale *Mutii* argumentum: *Non obtulit*, inqvit, *venerabilis Martyr Lullius Edoardo Sexto auri qvicqvam; etenim natus est Lullius Anno Christi M. CC. XXXV. regnante apud Anglos Henrico Tertio, cui successit Edoardus Qvartus: illi circa annum M. CCC. V. subrogatus Edoardus Qvintus. Anno verò M. CCC. XXVII. regnare cœpit Edoardus Sextus, obiitq; Anno M. CCC. LXVII. qvinq; annis major sexagenario, ut proinde natum esse oporteat circa annum Christi millesimum trecentesimum duodecimum. Cæterùm cùm Lullium Anno M. CCC. XV. Bugiæ constet lapidatum, qvomodo Edoardo illi qvicqvam obtulerit, ut qvi cœperit imperare solidis undecim à morte Lullii annis; aut qvomodo potuit Lullius de invasione in Terram Sanctam pacisci cum puero trienni?* Ut distinctè agamus, primò qvidem natum esse *Lullium* Anno Christi M. CC. XXXV. *Mutio* non inviti largiemur, qvòd hæc salvâ veritate subsistere possint & cum *Petavio* docente *floruisse Lullium circa annum M. CC. XC.* & cum *Symphor. Campegio, claruisse Lullium Anno M. CC. LX.* & cum *Gassaro, vixisse Lullium regnante Imperatore Henrico VIII.*

VIII. Anno Christi M. CCC. XI. & cum *Spondano, Clementem Pontificem hortatore præcipuè Raymundo Lullio, Anno Christi M. CCC. XI. statuisse, ut ubicunq; Romanam Curiam residere contingeret, nec non in Parisiensi Galliæ, Oxoniensi Angliæ, Bononiensi Italiæ, Salmanticensi Hispaniæ Academiis lingva Hebraica, Arabica & Chaldæa publicè edocerentur, & earundem lingvarum libri in Latinam fideliter traducerentur* (ut vel hinc discamus familiarius Lullio cum lingvâ Hebræâ intercessisse commercium, qvàm *Mutio* antè persvasum fuerat) Hæc enim probè collata sibi non adversantur; de termino duntaxat mortis Lullianæ diversum qviddam à *Mutio* prodit *Wolf. Justus in Chronolog. Med.* nimirum *vixisse adhuc Lullium Anno M. CCC. XXI. sedente ad clavum imperii Ludovico Bavaro*; sed exciderit *Wolfgango* suus calculus, nil moramur, in Edoardorum ætate Mutium oppidò hallucinatum demonstraturi. Qvod enim scribit *Mutius* Edoardum Sextum Anno Christi M. CCC. XXVII. regni sui auspicatum primordia, id verò ab historiæ veritate alieniſſimum est; Appositè Historicus Anglicanus eorum temporum *Polydorus Virgilius: Henricus Octavus*, inqvit, *ex Joannâ Seymer genuit filium Edoardum Sextum, qvi nunc regnat admodum adolescens, certè natus ad imperium. Natus est autem Anno Christi M. D. XXXVIII.* Mirum verò temporum adeo ignarum esse *Mutium*, & simul adeo confidentem. *Camdenus* artificium illud *Lullii*, unde tot aureæ rosæ nobiles prodierunt, in tempora *Edoardi Tertii* existimat incidere; tolerabiliùs id qvidem, si commodè explicetur, alioqvin enim si perfunctoriè inspiciatur, nec *Camdenum* defenderit historia, nec *Seldenum*, qvi *Edoardo Qvarto* rem adscribens in *Mar. Claus.* ita insurgit:

Mutius in historiâ Edoardorum gravissimè lapsus est.

Num-

Nummus, inqvit, *à Regibus noſtris ſæpius cuſus eſt aureus, Nobilis roſatus dictus, qvi in alterâ parte navi in mari fluctuante, Regeq́, enſe, & ſcuto armato in ipsâ navi, ut in throno ſedente inſignitur, ut ita imperii Anglorum exhiberetur marini ſymbolum, cujus author primus exſtitit Edwardus Rex tertius, cùm claſſe numeroſiſſimâ navium ſcilicet undecies centum mare ſuum tutaretur. Typus, qvem adjecimus, eſt, puto, Edwardi Qvarti. Camdenus* inſcriptionem hujus numismatis ſymbolum vocat Chemiſtarum, *Edwardo Tertio* materiam pecuniæ illius ſubminiſtrantium. Cæterùm qvando *ex Polyd. Virgilio* conſtat *Edoardum Secundum* ad usq; annum Chriſti M. CCC. XXVII. imperium ſuum extendiſſe, hoc eſt ad XI. à morte Lullii annos; qvando huic *Edoardus Tertius* ſucceſſerit, nemini horum à *Lullio* Midæ peculium oblatum eſſe evidentiſſimum eſt. Qvid ergo? vacillatnè fides hiſtoriæ? minimè gentium, *Audit. Edoardus Primus* ille eſt *Lullio* familiaris Princeps, ille eſt aureo imbre irrigatus. Huc omnia conſpirant; convenit *Lullii*, *Edoardiq́ Primi* ætas [Edoardus hìc ex *Spondano* obiit Anno M. CCC. IX. *Lullius* Anno M. CCC. XV.] convenit propoſitum *Edoardi Primi* debellandi Terram Sanctam, de qvo ad ſatiem *Polydorus* nominatus; conveniunt tempora cæterorum Principum, *Caroli*, & *Ruperti* Siciliæ Regum, *Edoardo Primo* æqvalium, notorumq́;, qvibus ſua etiam ſcripta transmiſit *Lullius*. Hinc eſt qvòd in operibus Lullianis ſæpe legamus Edoardi nomen, nunqvam additamentum vel ſecundi, vel tertii, vel ſexti, qvippe primum nemo vocaverit, niſi cui ſucceſſerit ſecundus. Clariſſimè ipſe libr. de Transm. Animæ: *Non vidimus*, inqvit, *partem, in qvâ iſta conchylia ſupradicta reperias niſi in Cypro prope*

Cuinam Edoardo ſex illos milliones obtulerit Lullius?

civitatem Famaguſtæ, & in regione Portugalliæ prope civitatem Lisbonæ, in ripâ maris, & in qvadam Angliæ villâ, qvæ dicitur Conilla, & in alio loco, qvi dicitur portus Sylvenæ. Vidimus enim omnia iſta, dum ad Angliam tranſiimus propter interceſsionem Domini Regis Edoardi illuſtriſsimi. Obducet cum *Camdeno Seldenus*, tum demum cuſas nobiles illas roſas navigeras, cùm *Edoardus Tertius* regni gubernaret habenas, ut qvi dominium maris mille, & qvod ſuperat, navigiis, ſuis Britannis aſſeruerit. Cæterùm qvot præcisè navigiis mare inſederit *Edoardus Tertius*, inſtituti hîc noſtri non eſt, ad amuſſim expendere, qvanqvam *Polydorus Virgilius*, nobilis Anglorum ſcriptor in Gallicâ claſſe Anglis oppoſitâ, pugnante *Edoardo Tertio* numeret naves qvadringentas, in Anglicâ verò non niſi ſexaginta ſupra ducentas, victoriam qvidem Gallis tum extortam, ſed neqvaqvam incruentam illam, cadentibus ultra qvatuor Anglorum millibus; nobis ſatis fuerit oſtendiſſe Edoardo Primo ſimilem obediiſſe fortunam, ut proinde navis illa Roſarum nobilium priùs *Edoardo Primo* vindicari debeat, qvàm *Tertio.* Prodeat iterum *Polydorus: Igitur claſsis Gallica*, inqvit, in hiſtoriâ Edoardi Primi, *pugnandi ſtudio in Anglos curſum flectit, qvi neqvaqvam certamen retardantes, pugnam acriter capeſſunt. Fuit ab initio anceps certamen, cædesq; multo deterrima, qvalem in tam validarum claſsium concurſu eſſe oportuit, eſtq; ea dimicatio aliqvandiu extracta; demum fuſa, disjectaq; eſt Francorum claſsis. Amiſſarum navium numerum neq; Annales, neq; Scriptores, qvos ſeqvimur, ponunt, omnes tamen ingentem plagam acceptam ſcribunt.* Oſtendit itidem potentiam *Edoardi Primi* navalem *Edward Leigh in Elect. Obſerv. Reg. Angl.* Nam in hunc modum vernaculâ

Roſa nobilis Anglorum cui debeat originem?

culâ ſuâ inſurgit: Edward the firſt having prepared a great Fleet of Skips for à journey into Flanders, and being at Winckelſey, where the Skips were to meet, it happeneth, &c. i. e. Edoardus Primus validâ inſtructus claſſe, ut in Flandriam bellatum concederet, cùm Winckelſei ſubſiſteret, loco conventui navigiorum deſtinato, contigit ut &c. Hic Edoardus Primus juvenis, Patre adhuc imperante, cum exercitu res magnas geſſit in Terrâ Sanctâ, morte tandem *Ludovici Sancti* Gallorum Regis, qvem itidem Chriſtianas res ſtrenuè propugnantem Africa exſtinxit, ſufflaminatus in mediis conatibus interqvievit, in Angliam regreſſus; qvem propterea *Lullius* propagandæ fidei Chriſtianæ inter Paganos ſollicitè intentus, ſex illis auri millionibus, ad reditum in Terram Sanctam feſtinandum animare parabat. Nam Edoardorum Regum præterea nemo vel Terram Sanctam invaſit, vel adeo invaſurum ſe ſe oſtendit. Qvid autem præſtiterit in Terrâ Sanctâ *Edoardus Primus* tum ipſe, tum Eleonora uxor, exemplum fæmineæ in maritos devotionis, meretur extra Britannias qvoq; audiri. Sic ergo *Edward Leigh: Edward the firſt was abſent in the holy Land, when his father died. At his firſt coming to the holy Land, he reſcued the great city of Acon, from being ſurrendred to the Sultan, after which, out of envy to his valour one Anzazim, a deſperate Saracen, who had often been employed to him from their Generall, being one time, upon pretence of ſome ſecret meſſage, admitted alone into his chamber, with a poyſonet Knife gave him three wounds in the body, two in the arm, and one in the armpit, which had been mortall, if out of unſpeakable love, the Lady Elenor his Wife had not ſuckt out the poiſon of his wounds with*

Edoardi uxor fœminarum exemplū.

with her mouth, and licked them with her tongue, and thereby effected a cure, which otherwise hab been incurable. So soveraign à medicine, saith Speed, *is a womans tongue annointed with the vertue of loving affection.* i. e. Edoardus Primus moriente Patre in Terrâ Sanctâ aberat. Qvò ut ventum, urbem validam Aconium jam jam alioqvin Sultano cessuram asseruit. Qvo facto Anzazimus qvidam deploratæ Saracenus audaciæ, virtuti Edoardi, & fortitudini invidens, cùm sæpe antea nomine Ducis sui legatus Edoardum convenisset, die qvodam secreti obtentu negotii in cubiculum Principis admissus, tribus ipsius corpus conficit vulneribus, cultro venenato inflictis, duobus pertundit brachium, uno alam humeri, omnibus lethiferis, ni uxor Edoardi Eleonora ore suo vulneribus impresso venenum omne, amore mariti incredibili instigata exsuxisset, & lingvâ demulsisset, eo medicinam afferens malo alioqvin immedicabili. Usq; adeo Divini remedii instar est lingva fœminea, ut Speedius tradit, qvam sincerus amor inunxerit. Neqve tamen, qvod arbitratur hîc *Leighius*, lethiferum est venena exsugere ex vulneribus venenatis, & *Marsos*, *Psyllosq;* vidit Antiqvitas, & *Jacobum Viperarium* nuper Florentia, & *Paulum Angelinum* Romæ ego similia sine noxâ attentantem: sed de toto hoc negotio eruditè nuper *Franc. Redi de Viperâ*. Cæterùm ut ad Rosas illas Raymundinas regrediamur, ex dictis conficitur, ab Edoardo qvidem Primo, qvippe navigiorum robore pelagus sibi vendicante in orbem invectas esse, sed ab Edoardo Secundo, & Tertio freqventatas, ut ita *Seldenus* cum *Camdeno*, & uterq; cum historiâ redigatur in concordiam. Obducet aliqvis, Edoardum Primum tributis exhausisse non

Suguntur venena sine noxâ.

non populum modò, sed & clerum, ut hoc nomine, fulmine Bonifacii Octavi Pontificis deflagrârit pæniſſimè, neq; verò istuc descensurum fuisse optimum Principem, si *Lullium* illum egestatis debellatorem cognovisset familiariùs; sed in procinctu responsio est, *Edoardum Primum* totos XXXIV. annos imperâsse, graviſſimis semper bellis implicitum, sex milliones vel sexies absorbentibus, *Lullium* verò in Angliâ neq; diu hospitatum fuisse, neq; Regi ad alia qvàm convenerat, pecuniam effundenti, arte suâ diu obsecundâsse. Sed cur de *Lullio* nihil *Polydorus?* Qvia privata Principis describere nec adeo Historici est, nec Polydoro, ut homini Urbinati scire privata omnia contigerat. Neq; verò *Bogislaus* à *Kemnitz* nobilis Sveonum Historicus, cùm vitam *Gustavi Adolphi* perseqvitur, meminit illius artificis, qvi in Pomeraniâ, Rege præsente, χρυσοποιΐας veritatem ostendit, licet hodieq; supersint ducati ex Chemico illo auro confecti, qvorum etiam superiori anno exemplar spectarum mihi Argentorati apud Virum humaniſſimum, *Eliam Brachenhofer*, qvindecimvirum. Nummi illius aurei facies altera insignia Gustavi Adolphi præfert, altera ☿ & ♀, Chemicorum insignia. Neqve historia *Ludovici XIII.* Galliarum Regis *Duböisii* meminit, utcunq; notum hodieqve Parisinis omnibus, illum ipsum in oculis & Regis, & Cardinalis Richelii, militare excubiarum plumbum momento in obryzum convertisse, cujus adhuc frusta possidet Dux Aigvillonia consangvinea Richelii. Plura hìc, & evidentiora adjicere proclive esset, nisi displiceret verba impendere rei confessæ. Ad summam, restat adhuc (*Mutio* erroris manifestè convicto) illud qvod ex *Greg. Tholosano* affert

Cur de Lullio nil Polydorus?

Mutius, inconcussum: *Raymundum Lullium Edoardo Regi Angliæ sex auri milliones à se confectos obtulisse ad bellum contra infideles in Terrâ Sanctâ promovendum.* Restat inconcussum illud *Roberti Constantini in Nomenclat. Script. Medic: Hunc ego inqvirendo*, memorat, *comperio apud Anglos re qvidem verâ præstitisse, qvod suis libris profitetur, & in arce Londini jussu Regis, verum aurum confeciſſe: mihiq; genus nummi ostensum est, qvod adhuc appellant Nobile Raymundi, auri scilicet puri & obryzi, summæq; indicaturæ.* Restat inconcussum illud *Lullii in ult. Testam: Converti unâ vice in aurum ad L. millia pondo argenti vivi, plumbi & stanni Londini*, unde aureas illas Rosas nobiles Anglorum primùm profectas memorat Camdenus. Idem hodieq; asseverantissimè confirmant Anglorum curiosi; additq; *Edmundus Dichinsonus* Lullium in cœnobio Westmonasterienſi vixisse non ingratum hospitem, enimvero pluribus ab ejus discessu annis resartâ, qvam incoluerat, cellulâ, multum adhuc pulveris chrysopœi in cistulâ repertum, magno inventoris architecti emolumento.

Qvid præstiterit in Chemicis Lullius?

Albertus Magnus.

Sed ultra exspectationem longiùs progressi, irritante *Mutio*, breviores in *Alberti Magni* Historiâ ducemus lineas. Nascentem circa Annum M. CC. gremio excepit Lavinga Sveviæ urbs; Episcopum creavit Ratisbona; Theologum, Philosophum, & Medicum insignem reddidit acre, & indefessum studium. Versantur hodieq; monimenta ingenii ejus in luce publicâ ad invidiam docta, subtilia, nervosa. Vel soli ejus de Mineralibus libri ex ungve leonem ostenderint, laudati qvoq; Conringio, parco alioqvin Mineralium laudatori. Neqve præterea censendum, ea qvæ vel *de secretis Mulie-*

Mulierum, vel *de virtutibus herbarum, lapidum, animalium* inepta, ejus nomine vulgò circumferuntur, genuina esse Alberti, ut qvæ magnam partem anicularum deliramentis propiora sint, & tanto Philosopho indigna. *Gratalorus* scriptum *Alberti Magni* Chemicum edidit, jam ante hos centum annos, plenum scientiæ & reconditorum sensuum, utcunq; non paucis spurium & illud æstimetur, qvod inter cætera Alberti opera non recenseatur vulgò; cæterùm qvando nil freqventius, qvàm certis de causis scriptorum alia seorsum evulgare, unde nec *Fallopii*, nec *Prævotii* secretiora, nec *Scaligeri*, nec *Grotii* abstrusiora cum cæteris eorundem edita operibus, non video cur adeo libellum illum Chemicum ipsi attributum trahant in culpam. Qvin nec inter *Avicennæ* opera vulgò invenies qvicqvam Chemicum, si tamen *Sorsano* debemus assensum, & Chemiæ studium deperibat ipse, & ad posteros propagabat.

Ex eo tempore in immensum pæne invaluit Chemicum in Europâ studium, adeo ut hodie mole Scriptorum laboret, experimentorum infœcundius. Collegit *Petrus Borellus* ad MMMM Authorum Chemicorum, cùm plurimos interea prætermiserit, rei victus immensitate. Qvamvis autem in illâ Philosophorum Turbâ, in illis magnifici apparatûs Theatris Chemicis plus fumi deprehendatur, qvàm scientiæ solidæ, plus sæpe ineptiarum, qvàm rationum, devorandum tamen illud tædium, & putandum est, sacra hæc non aliter constare, qvàm ut ex infinitô spinarum numerô paucæ duntaxat rosæ qveant decerpi. Nec mare totum piscibus scatet, frustra sæpe jactantur retia; nec sylvæ omnes abscondunt ferarum latibula, & tamen molossorum vena-

Authores Chemici MMMM.

venaticorum globis percurſantur omnes. Nulla hodie politior natio eſt, nullum ingenium ſublime, qvod ſiſtit facilè curioſitatem ſuam, niſi & Chemica delibaverit. Venerantur Itali ſuos *Marſilios Ficinos*, *Palingenios*, *Fioravantas*, *Locatellos*, *Caneparios*, *Ant. Nerios*, *Carellos*, *Bonos Ferrarienſes*, *Cornachinos*, *Bartoletos*, *Thom. Bovios*, *Angelos Salas*, & tempore qvidem poſteriorem, ſed inexhauſtâ magni genii capacitate priorem univerſis *Franciſcum Joſephum Burrhum*, Phœnicem Naturæ, & gloriam non tantùm Heſperiæ ſuæ, ſed Europæ. Admirantur ſuos Galli *Flammellos*, ſuos *Begvinos*, *Chryſippos Fannianos*, *Chriſtophoros Pariſienſes*, *Caſtagnios*, *Stephanos Claveos*, *Coleſſonios*, *Spagnetos*, *Fabros Caſtelnovidarienſes*, *Poterios*, *Goborios*. Jactant ſuos Germani *Treviſanos*, *Alanos*, *Paracelſos*, *Thurneiſſeros*, *Baſilios Valentinos*, *Majeros*, *Crollios*, *Libavios*, *Hartmannos*, *Lamſpringos*, *Burcgravios*, *Cunrados*: Placent Britannis ſui *Rogerii Bacones*, ſui *Nortoni Briſtollienſes*, ſui *Ripleæi*, *Macollones*, *Charnochi*, *Daſtini*, *Chaveeri*, *Kellæi*, *Robinſonii*, *Goweri*, *Lygdatii*, *Blumfieldii*, *Redmanni*, *Fluddi*, *Mouffetti*: Triumphant Belgæ in ſuis *Iſaacis Hollandis*, ſuis *Drebbelis*, *Helmontiis*, *Ewaldis Vogeliis*, *Balbianis*, *Hoghelandis*. Nec eſt qvod prætereant Scoti ſuos *Butleros*, ſuos *Alexandros Sidonios*, paucos illos, ſed ſcientiâ illuſtriſſimos: nam qvod *Sendivogium* ſpectat, Polonum hominem, certum eſt neqvaqvam illum auctorem fuiſſe libri illius celebratiſſimi, qvi mutuato *Divi Leſchi* nomine prodiit, ſed ipſum nobilem *Sidonium* ſeu *Sethonium*, cùm Cracoviæ animam ſe agere intelligeret, & ſcriptum ſuum, & uxorem fidei amici *Sendivogii* commendâſſe, adeoqve *Sendivogium* à morte *Sethonii*, uxorem duxiſſe viduam illam, & ſcritum

Itali Chemici.

Chemici Galli.

Germani Chemici.

Chemici Angli.

Chemici Belgæ.

Chemici Scoti.

An Sendivogius Auctor celebris illius Scripti?

ptum suo nomine evulgâsse, id qvod prudentissimus ille Reginæ Polonicæ à secretis consiliis *Denoyæus*, & ipse in reliqvâ ingenii magnitudine Chemiæ indefessus amator, pluribus nobis non ita pridem Parisiis ostendit. Ex Daniâ nostrâ cùm plures liceret, duos nominâsse libet, alterum, nobilem illum *Tychonis Brahei* genium, non in Astronomiâ magis cœlesti admirabilem, qvàm in subterraneâ illâ assiduum; alterum, *Petrum Severini Ripensem*, Civem meum, Professorem olim Hafnienſem, & mox Archiatrum *Friderici Secundi*, Danorum Regis glorioſæ memoriæ, Chemicum sine controversiâ excellentem, cujus ingenio multum debet splendoris sui, alioqvin inanior futurus Paracelsismus; cujus calamum veneratur Germania, adorat pæne *Davissonius*, invidet Bombastéo gregi *Verulamius Baco*.

Chemici Dani.

Cæterùm obducet morosior aliqvis, mirum videri, qvòd tot omnium nationum cœlestissima ingenia in arte tam lubricâ, & vix unqvam spei respondente bonas horas occupent, deferendum tot patrimoniorum naufragiis infame studium, & ad securiora appellendum navigium. Neqve is ego sum, *Aud.* qvi stultis, temerariis, profanis auctor esse velim, ut sacra hæc Eleusinia illotis, qvod dicitur, manibus involent, temeritatem alioqvin suam serâ tandem pœnitentiâ expiaturi, cùm providentia in cæteris artibus utilis habeatur, in hac planissimè sit necessaria; neqve is sum, qvi Crœsi divitias amatoribus Artis vel proposuerim unqvam, vel proponam, certus Divæ Chemiæ, præsertim jatricæ [qvæ meæ professionis est] aliud institutum esse, scilicet ut arcana Naturæ omnis generis perveſtiget, ut Elementorum intima scrutetur, ut plantarum abdita proferat

Abdicandané Chemia ut noxia.

Meta Chemiæ veræ.

in lucem, ut animalium texturas recognoscat, ut telluris opaca subeat, ut pharmaca gratiora, & subtiliora temperet, ut inspiciat, versetqve omnia, & Creatorem in operibus suis admiretur, laudet, extollat. Hæc perpetua Chemiæ nostræ opera erunt, hæ columnæ nostræ Herculeæ, qvas ultra nec tendere decretum, nec adeo prospicere. Amet, qvi volet, ambigua flecti acroceraunia, non omnium est adire Corinthum; viderit hoc anno *Elector* Coloniæ, *Helvetius* Hagæ Comitis, *Blondellus* Aqvisgrani, provectos ultra illas Charybdes qvosdam Dîs genitos, qvod & mihi Amstelredami olim spectatum, ostendente *Gothofredo* qvodam *Gerstorffio*, nobili Pragense, cæterùm qvia è millibus vix unum excipit indulgens illa fortuna, vetantibus altiora fatis, tenendi erunt nobis portus tuti, nec ventorum ludibriis vela sine rectore permittenda; satis nihilominus arcanorum plenâ manu suggerit nunqvam effœta hæc scientia, ut ad solium Jovis non sit adspirandum. Inprimis non temere habenda libris Chemicis fides, nisi ad unguem cognitâ Auctorum experientiâ, qvòd plurimi post insumptos in qværendis frustra immensis labores, aliis libros malè consarcinando viam ostendere parent sibi ignotissimam, hoc instituto, ut plures secum in culpam pertrahant, nè soli videantur insaniisse; non dissimiles Pœno illi Heliodoro ad Gades tumulato, cujus sepulchrali marmori hæc insculpta: HELIODORUS. INSANUS. CARTHAGINIENSIS. AD. EXTREMUM. ORBIS. SARCOPHAGO. TESTAMENTO. ME. HOC. JUSSI. CONDIER. UT VIDEREM. SI. ME. QVISQVAM. INSANIOR. AD. ME. VISENDUM. USQVE. AD. HÆC. LOCA.

Tenendus in Chemiis ex sapientiâ modus.

LOCA. PENETRARET. Scilicet dulce qviddam & ἑλκυστικὸν reputatur, alios secum videre in communi luctantes naufragio. Ejusmodi censenda vegrandia illa *Majeri*, *Fabri Castelnovidarienſis*, *Fioravantæ*, *Penoti*, *Birelli*, aliorum volumina; talis censendus *Fernelii lib. de abd. rer. caus.* processus, qvem ab irridente se *Mollanſio* thesauri loco obtinuit, ipse Chemiæ secretioris ignarus, uti rem diducit *Blasius Vigenerius in Philostr.* à similibus prudenter abstinendum Chemiæ metallicæ sectatoribus, & potius uni *Zosimo*, uni *Villanovano*, uni *Lullio*, uni *Gebro*, ut indubitatis Magistris presse, & providè inhæresendum; nam Chemiæ Medicæ studioso nullus adeo liber formidandus, si cum judicio evolvatur, cùm non prodierit unqvam scriptum tam jejunum, ut non aliqvâ parte prodesse valeat. Neqve nihil facit ad penetranda Chemiæ mysteria subtilis illa *Cartesii Philosophia*, ut de omnibus, vel minimis particulis in consilium ire jubens, ut cos ingeniorum Chemicorum, & via patens ad sublimiora. Qvanqvam non diffitendum, cùm in Mathematicis dominaretur demonstrationibus Cartesius, in metallicis victum diversitate φαινομένων hæsisse, & ad experimenta, qvibus dirigeretur in speculatione subtilis genius, seriò anhelâsse, contra multorum tamen Cartesianorum ingenium, qvibus nihil hodie familiarius, qvàm *se à priori omnia videre, neq; indigere experimentis.* Modestiùs sanè subtilis Magister *Princip. Philos. part. IV.* *Atq; sic*, inqvit, *tria hic habemus, qvæ pro tribus vulgatis Chymicorum principiis, sale, sulphure, ac Mercurio sumi possunt, sumendo scilicet succum acrem pro sale, mollissimos ramulos oleaginea materia pro sulphure, ipsumq; argentum vivum pro illorum Mercurio.*

Qvinam libri Chemiæ studioso evolvendi.

Cartesius non inutilis futuro Chemico.

Credi q; potest omnia metalla ideo tantùm ad nos pervenire, qvòd acres succi per meatus corporis C. fluentes qvasdam ejus particulas ab aliis disjungant, qvæ deinde materiâ oleagineâ involutæ, atq; vestitæ facilè ab argento vivo calore rarefacto sursum rapiuntur, & pro diversis suis magnitudinibus ac figuris diversa metalla constituunt. Quæ forsan esse singula descripsissem hoc in loco, si varia experimenta, qvæ ad certam eorum cognitionem requiruntur, facere hactenus licuisset.

Cartesii judicium de Elementis Chemiæ.

Recognoscite hic, *Audit.* cognitionem mineralium exactiorem germen ephemeron non esse, sed experimentis seculorum indigere. *Cartesius* citra pulverem & cœli vorticosa expedivit, & Cometarum inordinata, & maculosa Solis, & magnetis admiranda; hic autem *sumi possunt* timidè subjicit, & *credi potest*. Prædicandam Viri modestiam! neqve enim *sumi debent*, sustinuit scribere, nec *credi oportet*, difficultates pæne ineluctabiles animo prospiciens. Ut enim alia taceam, qvomodo argentum vivum vulgi admitti meretur, tanqvam principium, cùm in plantis, & animalibus deficiat? In hominum qvandoqve sangvine inventum non inficiamur, sed qvorum corpus lue Venereâ afflictum vexavit unguentum Mercuriale. Ad graminum radices qvandoqve in Poloniæ pratis repertum, & in valle Sangii ad Taurinorum Augustam concomitatum radicibus doronici agnoscimus, sed aliunde illuc translatum, non innatum plantis. *Mollissimi ramuli oleagineæ substantiæ* ægrè in auro, argento, adamante demonstrabuntur. Sulphur fixum iis inesse non abnuerim, sed illud constare oleagineis ramulis [uti constare putatur sulphur commune] difficillimè qvisqvam ostenderit. Metalla deniqve omnia ex inferiori terræ cortice eructari itidem

cre-

creditu difficile, tum qvòd minera ferri, paludosa dicta, in ipso summo terræ cortice natales suos ostendat, tum qvòd paucæ sub aprico cœlo inveniantur arenæ, qvæ non aliqvid metalli vehant, tum deniqve qvòd pyritæ globosi, seu marchasitæ mammosæ ære prægnantes & ferro, sub Dio, in agris ingenti sæpe copiâ inveniantur, ut in Nivernensibus Galliarum, sine matrice, sine fodinis, de qvibus sapienter *Paracelsus: Cœlum*, inqvit, *illorum fodina est.* Qvæ verba dum attentiùs trutinor, subit memoriam experimentum Illustrissimi Eqvitis *Kenelmi Digbei*, Cancellarii Reginæ Britannicæ, qvod ipse mihi Londini humanissimè communicavit: *Vivebam*, inqvit, *Parisiis, tempestate Cromwellianâ Patriam flagellante, & fallendæ tristium memoriæ identidem Chemicis vacabam studiis, cùm curiosior qvidam de terræ Arcueilensis virtutibus metallicis mira subinde auribus meis occentaret. Qvid multis? rapior impetu deniq; & Arceuilum* [distat unum ab urbe Parisiensi lapidem] *feror, jubeo libras circiter viginti terræ illius rubicundulæ erui, inq; urbem mecum deportari. Postridie divido terram hanc in duodecim partes eqvales, iná; duodecim vasculis terreis, iisq; amplis dispono, aëriq; libero committo in solario ædium mearum, tegmine ligneo, qvòd à pluviæ, & ventorum fortuitis defenderet, perfunctoriè supra vascula suspenso. Jubeo bis, tervé qvotidie materiam aqvâ pluviâ tantillum irrorari. Exacto demum mense, argillam vase primo exceptam aqvæ pluviæ copiosiori incoqvo, vehementiùs intendens ignem; aqvam percolatam lentâ evaporatione cogo in spissamentum, & in fundo veri vitrioli rudimenta, colorem, saporem, angulos evidenter deprehendo. Continuo irrigationem vasculorum cæterorum, & exeunte mense secundo, in secundo vase laborem præ-*

formatum repetens ſulphur germanum reperio. Verbo, menſe tertio plumbum ſe mihi offert, qvarto ſtannum, qvinto ferrum, ſexto æs, in qvo argenti tenuia aliqvot ramenta. Reliqva ſex vaſcula ſuperveniens tempeſtas dujecit, & finem experimentorum ſpectare prohibuit. Pariſios ut poſtea ventum, eadem ſe tentâſſe, eadem reperiſſe teſtabatur *D. de l' Oberie*, Senex venerandus, & *D. Locqves* Spagyricus Regius, niſi qvòd in ordine extractionis tantillum variarent. Cernitis, opinor, *Audit.* qvid aër præſtet, qvid cœlorum influxus, ut ad fictos ingeniosè cortices deſcendere non adeo ſit neceſſum. Sed nos ad experimenta, qvæ vel ipſo judice *Carteſio* utramq; hic paginam faciunt, ſed illa tamen non à qvovis facta, ſed ab exercitatorum ſenſuum ingeniis, qvibus nihil temerè perſvadetur, nihil temerè rejicitur. Ad experimenta ergo Naturæ cultoribus provocandum freqventiùs, qvàm vulgo fieri ſolet; ſine experimentorum apparatu nihil facile admittendum, qvòd ſine iis Phyſica, Medicina, Chemia, aliæqve artes mutæ ſint & ingloriæ; reviviſcant ergo, *Audit.* in Academiis, palæſtrisqve ſapientum aliis experimenta, ut generoſa Chemia, ſummum illud Naturæ, & erectiorum mentium delitium, in Lycéis noſtris cum fructu omnium, præſertim Medentium refloreſcat, nè artem ſacram à Tubalcaino in Chami domum propagatam, à Chamigenis profectam in Ægyptum, ab Ægypto in Græciam, & deinde in Latium, hinc ad Arabas, Chinenſesqve, tandem in Hiſpaniam, Gallias, totamqve adeo Europam regyrantem patiamur in noſtro qvoq; Aqvilone per ignaviam, veternumqve ſeculi obtorpeſcere.

Experimenta in Chemicis regnant.

DIXI.

Errata conspectiora.

Pag. 18. Lin. 28. pro acres, lege, ac res.
p. 26. l. 15. do- l. docente.
p. 34. l. 29. pro interfluisse l. interfuisse.
p. 63. l. 10. pro Asiæ l. Africæ.
p. 102. l. 14. pro Encycop. l. Encyclop.

HERMETIS, ÆGYPTIORUM,

Et

CHEMICORUM SAPIENTIA

Ab

HERMANNI CONRINGII

animadversionibus

Vindicata

Per

OLAUM BORRICHIUM.

Deuteronom. XXIII. v. VII.

Noli abominari Ægyptium.

HAFNIÆ,

Sumptibus PETRI HAUBOLDI, Reg. Acad. Bibl.

ANNO M. DC. LXXIV.

APPROBATIO.

PErlegi ea, quæ ad Hermetis, Ægyptiorum, & Chemicorum sapientiam *illustrandam, multiplici, ac variâ rerum scientiâ concinnavit Vir experientissimus atq; Clarissimus,* D. Olaus Borrichius, *in Academiâ Hauniensi Prof. Regius; neq; alium hanc aut curâsse studiosiùs, aut cumulatiùs vindicâsse animadverti. Quare cùm nec à judicio illo mea discrepet opinio, & fructum hæc parere studiosorum hominum ingeniis possint, carere publicâ & communi luce non debere Censeo*

Hauniæ, die XXVIII. Martii,
Anno MDCLXXIII.

Erasmius Bartholin.

EXCELLENTISSIMO.

ET.

ILLUSTRISSIMO. DOMINO.

JOANNI. BAPTISTÆ. COLBERTO.

CHRISTIANISSIMO. FRANCIÆ. ET. NAVARRÆ. REGI. A. SANCTIORIBUS. CONSILIIS. ET. INTERIORIBUS. SECRETIS. MINISTRO. STATUS. PROVIDENTISSIMO. ÆRARII. MODERATORI. SUMMO. ÆDIFICIORUM. REGIORUM. PRÆFECTO. REGIORUM. ORDINUM. QVÆSTORI. MARCHIONI. DE. SEIGNELAY. &c:

DEDICATIO.

EXCELLENTISSIME, ET ILLUSTRISSIME DOMINE,

Animosè fortaſſis, ſed, qvemadmodum ſpero, non injuſtè ante cœleſtiſſimum vultum Tuum, de injuriâ Hermeti, Ægyptiis, Chemicis, & mihi deniq; illatâ expoſtulare decrevi, poſtqvam omnes nos ad tribunal Tuum reos egit ſcripto de Hermeticâ Medicinâ *Hermannus Conringius. Enimvero qvid juſtius, qvàm auriũ alteram alteri parti commodare? præſertim in controverſiâ tam gravi, qvæ tot gentium exiſtimationem complectitur. Qvid juſtius, qvàm Te ſedere judicem ad recognoſcendam Gallorum etiam Tuorum cauſam? hi ante ſeptendecim jam ſecula, qvod incorruptus ſcriptor Julius Cæſar tradit, Hermetem omnium artium inventorem declaravere; qvod Gentis Tuæ judicium deformare laborat Conringius, ego ut ſincerum & circumſpectum defendere. Qvid juſtius, qvàm ad pulvinar Tuum ſubmiſſè deponi Opus, qvod plurimum roboris ſui debet MSStæ Chriſtianiſſimi Regis bibliothecæ? Et ego qvidem hòc confiden-*

tiùs

tiùs ad ſanctum illud tribunal me ſiſto, qvò optatiorem mihi auguria omnia ſpondent controverſiæ eventum; ita admirabili ſimilitudine genius Tuus cum illo antiqvi Hermetis (qvem ſcripto hoc laudandum mihi propoſui) conſpirat. Is intimus beneficentiſſimi Regis Oſiridis conſiliarius: Tu intimus Regis Chriſtianiſſimi Ludovici XIV. Is omnium artium præſtantiorum inventor: Tu omnium generoſiſſimus propagator. Is auſpiciis magni Regis ſui honoravit, fovit, indulgenter habuit præclara ingenia: Tu magni Regis Tui auſpiciis munificè & magnificè præſtas idem. Is naturam in naturâ, non in librorum lacunis inveſtigandam voluit: Tu per præſtantiſſimos naturæ Conſultos feliciter imitaris. Unde docti paſſim & ſibi, & publico auguſtam lucem pollicentur. Eſt qvod mecum gaudeant illuſtres Galli Tui, Mommorii, Gobelinii, Bourdelotii, Thevenotii (ſemper honorata mihi ob ſuavem & fructuoſam biennii converſationem nomina) tam beneficum ſtudiis ſuis in Re-

rum Naturâ acceßiſſe Patronum. Eſt qvod gaudeant experimentis addicti Provinciales, inq; ſcenam prodeant alacriores, novis beaturi ſecula inventis: qvæ inter ad nos qvoq; jam, Gallo auctore, tranſiit illa omni ævo hactenus inaudita ſiſtendi ſangvinis ratio, Pythagoricam uſu ſalutari meritura hecatomben. Præcipuè eſt qvòd gaudeant electißimi illi Tui Carcavi, Hugenii, Caßini, Piccarti, Ducloſii, Borelli, Freniclii, alii, inq; emolumentum poſteritatis nihil non immortale conentur. Ad ſummam,

Macte illo, *Colberte*, animo! non Gallia ſola eſt
Conſiliis robuſta Tuis: complecteris omne
Humanum genus officio: diffundis ubiqve
Ingentis meriti radios. Qvòd panditur æther,
Qvòd tellus, tibi deferimus; Tua promit Elevſis
Abdita, & in toto miracula parturit Orbe.

Excellentißimo, & Illuſtrißimo
Nomini Tuo

æternùm devotus

OLAUS BORRICHIUS.

Candide, & Cordate Lector,

NÆ infelix noſtra conditio eſt, qvi eruendis Chemiæ miniſterio Naturæ arcanis operam addiximus: domi inqvinamur fuligine, exedimur ſumptibus, mordacesq; inter mineralium halitus conficimur; foris etiam ab eruditis (nam vulgi diſſonas voces Spartanâ concoqvimus nobilitate) vellicamur, ſed ab iis, qvi turbidis qvandoqve animi motibus indulgentes eruditione ſuâ abutuntur, & fœcunditatem ingenii jam iræ ſuæ ſervire cogunt, jam amicitiæ. Inter hæc mala deſtituti abjeciſſemus haſtam, niſi multitudo benigniorum judiciorum nos ſolaretur, inſtandumqve moneret ſucceſſibus, & vel inter ſpinas perrumpendum ad inveſtiganda ea, qvæ profutura ſint poſteritati, non omnes eſſe *Eraſtos*, non omnes *Conringios*, qvi ſternere malint, qvàm erigere. Nec reformidamus judices, flagitamus etiam, ſed æqvos, ſed in palæſtrâ Vulcaniâ exercitos, ſed qvi in ſubſelliis artis duraverunt antè lacertos, qvàm è tribunali pronuncient. Qvos inter an æſtimari mereatur *Conringius*, Lectoris incorrupti exiſtimatio erit: is qvidem jam à viginti qvinqve annis docto, ſed aculeato volumine, *De Hermet. Medicinâ*, gravis incubuit artis noſtræ anteſignanis, ipſamqve adeo artem ſpecioſo colore ab imâ ſede propemodum ſubvertit. Exſpectavimus tot luſtris, ut

magnificum iterum, ruinarum loco, moliretur ædificium nè incendere se posse doceret more Herostrati, ædificare autem non posse. Sed involutum cineri suo templum reliqvit. Interea nos infelicitatem artis innocentissimæ lugere, ad resarciendas paulatim convulsas ædes cum aliis admovere manus, & censuræ illius severæ indignitatem, nè qvis modestiam in conscientiam duceret, ferre paullo ægriùs, sine felle tamen, sine stomacho. Contra ille, nil molliri, qvin & edito in vulgus iterum dentato scripto insistere subinde ferociùs, asperqve monitoribus in fremitus & convitia despumare; immò nè punctiunculam ferre apiculæ, qvi ipse ante in jugulum Ægyptiorum omnium, Chemicorumqve infesto mucrone descenderat. Parcendum enimvero sibi vult, qvi pepercit antè nemini. Verùm expendat nobiscum primum illud mortalis sapientiæ præceptum: *qvod tibi non vis fieri, alteri nè feceris.* Potuisset, opinor, nisi omnis mortuorum reverentia excessisset animo, ignoscere exstinctis, & glorioſam famam bene meritis non invidere: sed fulminandæ erant totæ gentes, & patiendum adhuc *Ægyptiis* aliqvid ferro Cambysis funestius. Mitiùs utiqve Achilles Grajus, qvi non nisi Trojanorum

πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν,

qvàm *Conringius*, qvi Ægyptiorum omnium. Qvàm sedatè autem, placideq; Divinus Moses *Deuteron. c.* XXIII, ὃ βδελύγμα Αἰγύπτιον. Insedit genti superstitio, qvis abnuit? sed nè id qvidem effecerit, ut in historiâ naturæ non inclarue-

claruerit pæne ad ſtuporem, qvippe ingenioſa, ſobria, & origini ſuæ, fontiqve veritatis propior, atqve à ſanctiſſimis hominibus, Abrahamo, ſecundum *Artapanum*, *Beroſumq;*, Joſepho, ſecundum *oraculum Davidis Regis*, informata. Compoſiti ingenii eſt, non ideo in nationem univerſam arietare, qvòd ſepulta jam plectere neqveat ſuum *Boccalinum*. Et cur vernili more flagellandus iterum *Hermes?* beneficus ille magni Regis Oſiridis conſiliarius, nomen ob tot inventa ſalutaria toti antiqvitati venerabile. Cur è monumento ſuo excitandus iterum *Paracelſus* in ludibrium? cur toties jugulatus rurſum jugulandus eſt? jam Manibus ejus qvies debebatur, poſtqvam

— — *nulli gravis eſt percuſſus Achilles*,

poſtqvam non fruſtra ſpiravit. Peccaverit aliàs totâ vitâ, ſi tamen beneficio haud alio beâſſet mortalitatem, qvàm qvòd ſalium lixivorum hiſtoriam locupletaverit, traducto eorundem uſu ad febres expugnandas, utilius qviddam præſtitit Hercule proterente hydram, qvòd huic etiam non attactæ pereundum fuiſſet intra periodum unius ſeculi, illæ omnibus repullulent, & his ſalibus feliciter coërceantur. Qvid tam enormiter deliqvere germani Chemici, (genus hominum inſons, laborioſum, experrectum, ſcrutandis naturæ abditis, & procurandæ mortalium ſanitati, etiam ſuo qvandoqve periculo intentum,) ut nihil propemodum eorum probetur *Conringio*? Generoſi erat contemplatoris, demereri eos potiùs verborum humanitate, ut vellent in laudabili inſtituto perdurare, & pendente ſemper hamo inqvirere, qvid

Elevsis revisentibus ostendere destinet, qvàm terrere supercilio, & stylo gladiatorio confodere. Nihil & illis foret facilius, qvàm scripta Auctorum evolvere, & puris manibus formare de omnibus judicia; sed cùm advertant parum hac viâ promoveri historiam Naturalem, malunt vigilatarum, inter labores catenatos, noctium fastidia devorare, malunt carbonibus immergere manus, qvàm ut seculum suum à posteritate, ob experiundi ignaviam, atro carbone notetur. *Sed frustrantur se & alios ratiocinando, plus exsculpere parant ex levi experimento, qvàm veritas permittit*; ita enim oblocuturum præsagio. Salva res est; si excidant sibi, emendandi sunt, sed humaniter, sed ab artifice, non serviliter increpandi. Neqve, utrum excidant sibi, cujusvis est definire, sed eorum tantùm, qvi his sacris assveti, qvi irâ & odio vacui momenta bene ponderant, &, qvæ circumstant conditiones, attentè trutinantur. Qvod an à *Conringio* præstitum, dubitant, immò negant plures, inq́; iis ego, qvi negandi, dubitandiq́; causas scripto hoc consignâvi, qvas ut candidiore animo, qvàm mea hactenus solet, excipiat, optare non desinam, qvomodocunqve res ceciderit, veritati obtemperare certus; qvam si ipse conculcavit nonnunqvam in *Opere suo*, philosophi est agnoscere, viri boni, non dissimulare: redibit facilè cum Chemicis in gratiam, si imitatus Poëtæ ingenuitatem vel semel profiteatur,

Pœnitet, & facto torqveor ipse meo.

Si id minùs placet, res cum re, ratio cum ratione sine

acer-

acerbitate confligat. Palma in medio posita est, non annis illa obseqvens, non præjudiciis, sed veritati. Ad qvam investigandam conspiret nobiscum *Conringius*, atqve ad construendum magis, qvàm ad destruendum manus accommodet, id sapientiam professo dignius est, id canitiei ipsius glorioſius, qvàm cum umbris, hoc est, cum mortuis luctari. Nondum occupata Natura est, multa adhuc delitescunt in puteo Democriti, sudore magis operantium in lucem protrahenda, qvàm genio speculatorum. Qvòd si qvid absonum fidei Aristotelicæ se offerat, non damnandum ideo, qvia absonum primâ specie videtur, sed *deliberandum* est diu, anteqvam decretoria feratur sententia, nè impetus antevertat judicium. Qvâ in re destituit qvandoqve *Conringium* providentia sua, qvemadmodum passim declarâsse toto Opere mihi videor, contentus hîc duo tantùm subjunxisse exempla, anatomicum alterum, alterum Chemicum. *Libr. 1. de Hermet. Medic. c. X.* Ægyptiorum sententiam de nervo à corde ad digitum annularem propagato ita is salsè excipit: *Risum*, inqvit, *eam doctrinam potiùs mereri, qvàm confutationem veltyronibus rei anatomicæ est notum.* De qvo ego qviddam p. 142. attigi, nunc id adjicio: Virum Clariss. nominis, *Dn. de la Chambre*, Medicum Regis Christianissimi, *Discurs. de Princip. Chiromant.* variis argumentis ostendere majorem huic digito cum corde sympathiam intercedere, qvàm reliqvis, inter cætera, *hunc unum in chiragricis ultimò affligi*, adeoqve non irridendos hoc nomine Ægyptios. Altera *Conringii* censura

exstat

exstat *l. de Herm. Med. 2. c. 8.* ubi pernegat *in calce, & cineribus rerum combustarum supereſſe adhuc eſſentiales integrarum virtutes.* De qvo actum à me pag. 324. & alibi. Nunc id annectendum, qvod ſolers ille Regis Magnæ Britanniæ Chemicus *Feburius* notavit in Tractat. ſuo Chemic. *Mais il faut pourtant*, inqvit, *qve je prouve le contraire par l' hiſtoire, de ce qvi m' eſt arrivè à Sedan, apres avoir travaillé ſur le fenouïl: car comme je croyois avec les autres, qve les cendres depouïllées de leur ſel eſtoient tout à fait inutiles, une les fit jetter dans une cour, ou on tenoit ordinairement du fimier, & des autres immondices; je reconnus par ce, qvi arriva l' année ſuivante, qve je m' eſtois trompé: car il creut une grande abondance de fenouïl dans cette cour; dont je tiray beaucoup d' huille diſtillée, apres qv' il fut venu en ſa perfection. Ce qvi me fit reconnoître avec cet excellent Philoſophe & Medecin Helmont, qve la vie moyenne des choſes ne perit pas ſi facilement, qv' on ſe l' imagine.* De utroq; ut & aliis *deliberandum* Philoſopho, & litandum experimentis, priusqvam ſeverè definiat. Qvam & patientiam *Conringio* exopto, rogans publico nomine, ut non tam magnum in orbe nomen qværat diruendo, qvæ minùs videbuntur palato arridere, qvàm bene merendo de genere humano, de Naturâ rerum, ſalutare. Vale, *Corda te Lector*, & veritati applaude. Haſniæ 24. Jan. Anni 1674.

LIBRI

LIBRI PRIMI

CAPUT I.

I. Hermetem à Conringio malè deformari; fuisse tamen hominem beneficum, & optimis inventis celebrem, literas etiam impensè promovisse. II. Invenisse artes, & disciplinas. III. Arithmeticen, & rationem supputandi tempora. IV. Leges primùm Ægyptiis dedisse. V. Invenisse Grammaticam & Musicam. VI. Utilissimum legationum, & pacificationum ministerium. VII. Mensuras, & pondera, artemqve negotiandi. VIII. Invenisse Geometriam, Astronomiam, Astrologiam: appellatum qvidem veteribus qvandoqveNumen, & Deum, non qvòd homo non esset, sed more seculi, propter insignia merita. IX. Traduxisse homines feros ad humanitatem. X. Inexspectata lucra mortalibus attulisse. XI. Perspectam habuisse creationis historiam. XII. Theologum fuisse. XIII. Scrutatum naturam animalium. XIV. Scrutatum naturam metallorum. XV. Creditum Antiqvis omnium artium inventorem; nec exceptiones Conringii in contrarium allatas diversum ostendere. XVI. Fuisse magnorum Principum consilia-

liarium. Nec qvæ Conringius ex Philone Byblio adversus Hermetē convectat, magni esse ponderis.

CLariſſimam qvondam toto terrarum orbe Ægyptiorum gentem, & eruditionis Græcæ, Latinæqve magiſtram accerſitis undecunqve coloribus infuſcare jam pridem inſtituit *Hermannus Conringius*, eorumqve ſapientiam omnem, utcunqve in Moſe & Salomone à Dio ſpiritu prædicatam, ut tenuem, impiæqve ſuperſtitionis plenam, nec cum Græcorum conferendam ſtudiis, immemori tot beneficiorum ſtylo pungere, jugulare: Hermetemqve adeo ipſum, celebratiſſimum ab omni ævo hominem inter hominum monſtra, immò tantùm non in pravorum Dæmonum familiam referre. Qvam cenſuram Conringianam, ut acerbiorem, & ſive ex parum meditatè expensâ antiqvitate Ægyptiâ, ſive ex nimiâ literarum Græcanicarum [qvibus immorari oportet, non immori] admiratione, ſive deniqve ex faſtidio ſtudii Chemici, ut diſciplinæ Ægyptiæ ſibi minùs per experientiam cognitæ, natam paulò attentiùs nunc conſiderare decretum eſt, & veritatem ſine partium ſtudio inveſtigare, ducto ab Hermete primordio, ut à qvo præcipuè ſapientiam ſuam accerſunt Ægyptii.

Qvæ autem de Hermete hîc attingenda, ad tria potiſſimum capita revocabuntur. I. Oſtendere conabimur Hermetem fuiſſe hominem, & qvidem excellentiſſimum. II. Fuiſſe Medicum; III. Fuiſſe Chemicum; ut vindicemus benemeritum de humanâ ſocietate virum à totidem infeſtiſſimis Conringii telis; qvanqvam enim & alia ingeſſerit, his tamen ut pugnacioribus in Auctorem ſuum rejectis, cætera, ut ignaviora & minùs formidabilia, facilè & ſponte ſuâ hebetabuntur.

Is igitur, qvi Phœnicibus *Taautus*, Ægyptiis jam *Thoor*, jam *Thoth*, jam *Thoyth*, jam *Theuth* appellatus traditur, ut ex *Philone Byblio*, *Platone*, *Tullio*, aliis conſtat; *Voſſio* etiam *Thout*, l. 1, de Idololol.

lol. c. XXXVII. Græcis *Hermes*, Latinis *Mercurius*, in scenam à *Conringio* producitur, ut ludibrium debeat orbi universo, & omnium lingvis, calamisqve vapulet. Id verò qvàm non sit meritus magnus Hermes, dum contemplamur, rogamus incorruptum lectorem, ut sine partium studiô hanc scenam judex ingrediatur. Itaqve ut legamus vestigia antecedentis *Conringii*: *Unus*, inqvit, l. 1. de Hermet. Med. c. II. *an diversi hoc nomine fuerint culti, nihil ad hanc rem nostram.* Admittemus institutum hoc, & qvanqvam plures fuisse *Mercurios* constet ex *Cicer.* l. III. de Nat. Deorum, ex *Lucio Ampelio*, & *Clemente Alexandrino*, extra fines tamen à *Conringio* hîc descriptos non temerè evagabimur. Ita autem ille pergit: *Hinc nè istud qvidem disputabo nunc, fueritné aliqvando Hermes, aut Mercurius qvidam humani sangvinis, an verò Dæmon aliqvis, vel occulta qvædam naturæ vis isthoc nomine per fabulam denotetur.* *Idem* l. 1. c. IV. *Ut taceam*, inqvit, *ne id qvidem satis esse certum, num qvis olim fuerit Hermes, qvalem illum ferunt Ægyptii.* Iterum l. 1. c. VII. *Non debemus aut possumus dissimulare, non tantùm scripta omnia, qvæ feruntur Hermetis, Hermeticamq; doctrinam, suspecta esse fidei, verùm ne qvidem securè credi posse, fuisse apud Ægyptios aliqvem Hermetem Trismegistum, auctorem multæ apud illos sapientiæ.* Nihilominus l. 1. c. VIII. *eundem* Hermetem *Magum, nefarium δαιμονολατρείας Magistrum, impiumq; consultorem* appellare non dubitat. Cæterùm si nullus fuit *Hermes*, cessabunt intenta ipsi crimina; si Dæmon fuit impurus, cessabit Magiæ suspicio; si Magus, cessabit nomenclatura Dæmonis, & tamen cumulantur hæc omnia simul à *Conringiô* ad deformandum *Hermetem*, qvasi unum non everteret alterum planissimè. Sed hæc levia sunt. Eundum nobis per optimorum Auctorum scripta, ut *Conringius* discat *Hermetem* & hominem fuisse, & beneficum, & in artibus, scientiisqve laudatissimis sine controversiâ summum. *Clemens Alexandrinus, vir πολυμαθέστατος*, & lectionis infinitæ, qvin & ipse incola Ægypti, eoqve de natalibus *Hermetis* sui certior, l. 1 Stromat. *Qvin etiam*, inqvit, *ex iis, qvi aliqvando fuere homines in Ægypto, opinione autem*

hominum Dii, fuerunt Hermes Thebanus, & Æsculapius Memphitanus, & rursus Tiresias & Manto Thebis, ut dicit Euripides. Lactantius l. 1. *Hermes tametsi homo, fuit tamen antiquissimus & instructissimus in omni genere doctrinæ: adeo ut ei multarum rerum & artium scientia Trismegisti cognomen imponeret. Hic scripsit libros & quidem multos ad cognitionem divinarum rerum pertinentes; in quibus majestatem summi, & singularis Dei asserit, iisdemq; nominibus appellat, quibus nos Deum & Patrem*, &c. Idem iterum l. 1. *Quod si verum est, sicuti est; apparet Herculem, Apollinem, Liberum, Mercurium, Jovemq; ipsum cum cæteris, homines fuisse, quoniam sunt ex duobus sexibus nati.* Idem l. IV. *Ego verò non dubito, quin ad veritatem Trismegistus hac aliquâ ratione pervenerit, qui de Deo Patre omnia, de Filio locutus est multa, quæ divinis continentur arcanis.* Philo Byblius apud *Euseb. Pamphil.* præp. Evang. l. 1. c. IX. *Sanchuniathon*, inquit, *præcipuam quandam in perveſtigandis Taauti* [i. e. Hermetis] *rebus diligentiam adhibuit, quòd satis intelligeret, omnium sub sole genitorum primum fuisse Taautum, qui literas invenisset, & commentaria auspicatus esset. Plutarchus* de Isid. & Osirid. *Narrant autem Ægyptii*, inquit, *Mercurium alterum cubitorum habuisse breviorem* [Ἑρμῆν τῷ σώματι ῥυπόδη γαλιάγκωνα] *Typhonem fuisse rufum, Orum album, Osirim nigrum; ut qui homines naturâ exstitissent.* [ὡς τῇ φύσει γενομένους ἀνθρώπους] *Diodorus Siculus* Bibliothec. l. 1. *De Diis igitur cœlestibus, ac sempiternum genus sortitis hoc ab Ægyptiis narratur. At præter hos alios esse terrestres perhibent, naturâ quidem mortales, sed mentis solertiâ & beneficentiâ erga homines universos ad immortalitatem evectos, quorum aliqui etiam Reges Ægypti fuerint. Horum alios, si interpretatio fiat, communia cum Diis cœlestibus nomina, alios propria obtinuisse. Sunt autem Sol, Saturnus, Rhea, Jupiter, Ammon à nonnullis cognominatus, Juno, Vulcanus, Vesta, ac deniq; Mercurius.* Idem *Diodorus* postea: *Apud Osiridem in maximo ante omnes honore fuit Mercurius, eximiâ ingenii perspicacitate in excogitandis iis, quæ vitæ communi utilia essent. Hic enim primus, ut ferunt, & communem loquelam articulatè distinxit, & multis rebus nomine destitutis nomen indidit. Inven-*

ventor fuit literarum; qvæ ad Deorum cultus & sacrificia pertinent, ordinavit. Astrorum ordinem, vocum harmoniam, & naturam primus observavit. Palæstræ insuper inventor, numerosæ concinnitatis, & corporis decorè effingendi studiosus artifex. Lyræ à se inventæ tres chordas induxit. Græcis elocutionis Magister fuit, unde Hermes nominatus est ipsis. Osiridis denig; sacrorum notarius fuit [ἱερογραμματεὺς] *cum qvo is omnia communicabat, & cujus maximè utebatur consilio. Ipse, non Minerva, ut Græci contendunt, oleæ plantam invenit.* Postea: *Osiris ad tritici, hordeig; sementem genus humanum edocendam profectus Isidi uxori consiliarium adjunxit Hermetem, qvod prudentiâ cæteros antestaret universos.* Hæc sunt argumenta, nisi fallor, clarissima, qvibus demonstratur Hermetem & hominem fuisse, & hominem sapientissimum. *Cicero* l. III. de Nat. D. *Mercurium qvintum*, ait, *Ægypto præfuisse, atq; Ægyptiis leges, & literas tradidisse, ab Ægyptiis Thoyth appellari, eodemq; nomine primum anni mensem apud eos vocari.* Qvæ immensa Hermetis in Ægyptios merita admiratus olim *Plato* divinum aliqvid in ipso visus est sibi agnoscere, unde ipsi in Philebo *Thevth vel Deus aliqvis, vel divinus homo* fuisse æstimatur, *ut qvi tam sapienter literas invenisset. Idem* in Phædro scribit, *Thevth primum omnium numerum, & numeri computationem invenisse, Geometriamq; & Astronomiam, talorum item, aleæq; lusum, & denig; literas.* Subjicit: *eum cum Thamo* [fortasse *Chamo*] *Ægypti Rege conversatum, atq; ab eo & πυκνικώτατον, & πατέρα τῶν γραμμάτων nuncupatum fuisse*, qvæ hominem utiqve latè ostendunt. Vocet ergo ipsum alicubi vel θεὸν, vel δαίμονα, dum hominem divinum fuisse ex honoratis illis titulis simul declaret. Ita svetum *Platoni* illustrissima qvæqve in Deorum numerum referre; hinc in *Epinomi* omnes planetas *Deos* expressè appellat. Nec minùs *Hesiodus* optimos qvosqve aureiseculi homines vitâ functos nominat δαίμονας. Scilicet meruit nobilissima *Hermetis* anima, ut ultra communem hominum sortem ab antiqvis prædicaretur. Hinc *Synesius* in suo Dione: *O omnium audacissimi*, inqvit, *si sciremus vos illam animæ præstantiam obtinuisse, qvam aut Amus, aut Zoroastres, aut Hermes, aut Antonius, minimè*

castigandos vos, aut disciplinis informandos esse censeremus, ut insigni mentis magnitudine præditos. Sed contemplemur paulò diductiùs magni *Hermetis* inventa, qvibus laudes & encomia à posteritate emeruit, neqvaqvam fictas speciosè calumnias.

I. Initio ergo *Hermes* literarum inventor fuit, ut ex *Platone, Philone Byblio, Tullio, Diodoro Siculo* demonstratum, non qvòd ipse omnia rerum nomina primus confinxerit, sed qvòd integram & perspicuam elocutionem impensiùs cæteris excoluerit, ut rem explicat *Diodorus* biblioth. l. v. Unde apud *Clement. Alex.* Strom. l. vii. eruditissimi Græcorum Mercurio sacrabant fructum mali punici, qvòd in oratione multæ latebræ recondantur.

II. *Hermes* disciplinas & artes reperit, teste *Diodoro Siculo* sect. ii. l. i. Οἱ δ' ἱερεῖς εὑρετὴν μὲν τῶν παιδειῶν, καὶ τῶν τεχνῶν μυθολογοῦσι τὸν Ἑρμῆν γενέσθαι. i. e. *Sacerdotes autem Mercurium disciplinarum & artium repertorem fuisse memorant.*

III. *Hermes* arithmeticen, & rationem supputandi tempora invenit. De primo securos nos esse jubet *Plato* loco superiùs allegato; de secundo ita *Strabo* l. xvii. *Qvi Thebis Ægyptiis vivunt Sacerdotes, Philosophi & Astronomi maximè dicuntur. Hi non lunæ, sed solis cursu annos numerant duodecim mensibus, qvorum qvisq; XXX. constet diebus, qvinq; dies qvotannis adjicientes. Ad totius verò anni complementum, cùm qvædam diei particulæ excedant, circuitionem qvandam componunt, è totis diebus, totisq; annis: qvot particulæ excedentes & coëuntes diem conficiunt. Hujusmodi sapientiam omnem Mercurio attribuunt:* αἰτιᾶσθαι δ' τῷ Ἑρμῇ πᾶσαν τὴν τοιαύτην σοφίαν.

IV. *Hermes* leges dedit Ægyptiis. *Diogenes Laërtius* l. i. *De justitiâ qvoq; leges sanciverunt Ægyptii, qvas ad Mercurium Auctorem referunt.* Cic. l. iii. de Nat. Deor. *Mercurius dicitur Ægypto præfuisse, atq; Ægyptiis leges & literas tradidisse.* Ælianus de var. Histor. l. xiv. *Ægyptii jura sua à Mercuriô profecta esse jactant: Judices autem apud Ægyptios iidem qvondam fuerunt, qvi & Sacerdotes,* &c. Nec obstat, alios etiam Reges Ægyptios fuisse legislatores, dum primus & clarissimus agnoscatur *Hermes*. Unde & postea *Mneves* Rex leges sibi

à *Mer-*

à *Mercurio* traditas ſimulavit, ut iis plus veneration is accederet, de qvo *Diodorus Siculus* l. 1 Sect. II.

V. *Hermes* Grammaticam & Muſicam invenit. *Plutarchus* de Iſid. & Oſirid. Ἑρμῆν γραμματικῆς καὶ μουσικῆς εἶναι δοκιμώτατον νομίζουσι.

VI. *Hermes* utiliſſimum illud legationum, & pacificationum miniſterium invenit. Probè *Diodorus Siculus* l. v. bibl. Hiſt. *Mercurii inventioni attribuunt caduceatorum legationes & pacificationes. Erat enim conſilio & ſapientiâ probatiſſimus.* Hinc *Ælianus* docet de Var. Hiſt. l. XII. Ægyptios tradere, *Seſoſtrim à Mercurio ſolertiam & conſilia didiciſſe.* Qvod tamen de *Mercurio* διυπέρω, vel ſcriptis primi interpretandum.

VII. *Hermes* menſuras, & pondera, & negotiationum lucra primus invenit. *Diodorus Siculus* bibl. Hiſt. l. v. φασὶ δ' αὐτὸν [Ἑρμῆν] καὶ μέτρα, καὶ σταθμὰ, καὶ τὰ ἐκ τῆς ἐμπορίας κέρδη πρῶτον ἐπινοῆσαι.

VIII. *Hermes* Matheſin invenit. Geometriæ, Aſtronomiæ & numerorum inventionem *Hermeti* attribuit *Plato* in Phædro, ut ſuperiùs memoratum. Libros IV. ſcripſit de Aſtrologiâ ex *Clement. Alexandr.* Strom. VI. Aſtrorum ordinem primus obſervavit, monente *Diodoro.* Qvò ſpectat & illud *Manilii* Aſtronom. l. I.

Tu princeps, auctorq; ſacri Cyllenie *tanti,*
Per te jam cœlum in terris, jam ſydera nota,
Qvem primùm infernis licuit cognoſcere terris
Munera cœleſtûm.

Ubi *Joſeph. Scaliger* in commentario: *Tu enim*, Mercuri, *inqvit, primus es repertor Aſtronomiæ in terris.* Malè ergo *Conringius* l. I. c. VII. ita Manilium *Scaligeri facit loqventem*:

Per te jam, cœlum *interius*, jam ſydera nota,
Major uti facies mundi foret.

Manilium imitatur hìc *Julius Firmic. Maternus* Aſtron. l. III. c. I. *Mundi itaq; genituram hanc eſſe voluerunt, ſecuti Æſculapium & Anubium, qvibus potentiſſimum Mercurii Numen iſtius ſcientiæ ſecreta commiſit.* Neqve verò per Numen aliud hìc intellectum voluit *Maternus*

qvàm,

qvàm divinum virum, qvemadmodum & ipſe ſub finem libri ſecundi Imperatorem Conſtantinum & Deum vocat & Numen. Haud aliter *Statius* v. Sylvar. *exorabile Numen Cæſaris* appellat, & *Ovidius* de Auguſto:

Numen adorandum eſt, non ut mihi fiat amicum?,
Sed ſit ut infeſtum, qvàm fuit ante, minus.

Propertius l. III. el. III.

Arma Deus Cæſar dites meditatur ad Indos.

Non ideo cenſendum *Hermetem* Deum eſſe, qvòd Numen qvandoqve appelletur, enimvero, ut ex *Diodori Siculi* l. II. c. I. conſtat, *Dii ipſi Ægyptiorum homines mortales fuere, ſed propter ſapientiam & communia qvædam in genus humanum merita immortalitatem conſecuti ſunt, imò & qvidam eorum Reges fuere.* Clariſſimè etiam *Philo Byblius* ex Sanchuniathone apud Euſeb Pamph. Præp. Evangel. l. I. c. IX. *Hoc enim ante omnia conſtituere nos oportet, barbarorum antiqvisſimos, Phœnices inprimis, & Ægyptios, à qvibus cæteri deinceps populi morem illum receperunt, maximorum Deorum loco eos homines habuiſſe, qvi res ad vitam agendam neceſſarias inveniſſent, qvig, beneficium aliqvod in genus humanum contuliſſent.* Qvalem ſanè fuiſſe *Hermetem* ex Scriptoribus liqvidum eſt. Qvin & Præfat. l. IV. *Maternus* iterum Matheſin adſcribit Mercurio: *Omnia*, inqvit, *qvæ Æſculapio Mercurius, Enichnusq, tradiderunt, qvæ Petoſiris explicavit & Necepſo, qvæ Abraham, Orpheus, & Critodemus ediderunt, cæterig, omnes hujus artis antiſcii, perlecta pariter ac collecta, & contrariis ſententiarum diverſitatibus comparata in his perſcripſimus libris, divinam hanc ſcientiam Romanis omnibus intimantes.* De numeris etiam audiendus *Stobæus* Eclog. Phyſic. c. II. *Numerorum diſciplinam maximi videtur feciſſe Pythagoras, & in medium à mercatorum uſu abductam protuliſſe, rebus omnibus cum numeris comparatis. Ægyptii verò Mercurii, qvem Thoth vocant, inventum hoc eſſe ſtatuunt.*

IX. *Hermes* feros hominum mores ad humanitatem traduxit, de qvo *Horat.* carm. l. I. Od. X.

Mer-

Mercuri facunde nepos Atlantis,
Qvi feros cultus hominum recentûm
Voce formasti catus & decorâ
More palæstræ.

X. *Hermes* fortuitis & inexspectatis lucris homines qvandoqve beavit. Bene *Cornutus* de Nat. Deor. Gentil. *Si qvis*, inqvit, *iter faciens fortè fortunâ qvid invenit, consvetudo inolevit, ut inventor exclamet rei inventæ partem etiam Mercurio competere; inventionis enim adjutor est, cùm sit viarum præses.* Hinc Græci omnia, qvæ forte fortunâ inveniuntur, Ἑρμαῖα, id est, Mercurialia nuncupant. Hinc apud *Lucianum* in Timone, Plutus ita: *Sursum, ac deorsum*, inqvit, *circumcursans oberro, donec imprudens in aliqvem incidero. Hic autem qvisqvis ille sit, qvi forte primus me nanciscitur, abducit ac possidet, te, Mercuri, pro lucro præter spem objecto adorans.* Ibidem Timon invento in terrâ thesauro exclamat: Ὦ Ζεῦ πρόσπτε, καὶ φίλοι Κορύβαντες, καὶ Ἑρμῆ κερδῶε, πόθεν χρυσίον τοσοῦτον.

XI. *Hermes* creationis historiam perspectam habuit, namq; apud Homerum in hymno ad Mercurium inducitur citharâ cantans:

Κραίνων ἀθανάτοις τε θεοῖς, καὶ χαῖαν ἐρεμνὴν,
Ὡς τὰ πρῶτα γένοντο, καὶ ὡς λάχε μοῖραν ἕκαστος.

XII. *Hermes* Theologus fuit. Ex Sanchuniathonis historiâ Phœnicum ita *Eusebius Pamphilus* Præpar. Evang. l. 1. c. x. *Taautus ille, qvem Ægyptii Thoth appellant, cum ingenti apud Phœnices sapientiæ laude floreret, qvæ ad religionem, cultumq; Deorum pertinebant, primus extra populi insciti am, & imperitiam, in scientiam experimentalem transtulit. Hujus occultam & allegoriarum umbris involutam Theologiam illustrârunt Surmubelus Deus, & Thuro, qvæ deinceps mutato nomine Chusarthis apellata est.* De eodem Hermete *Diodorus Sic.* bibl. l. 1. *Hermes, qvæ ad Deorum cultus & sacrificia pertinent, ordinavit.* Neqve mirum cuiqvam videri debet, Hermetem & apud Ægyptios inclutum meritis sacris fuisse, & apud Phœnices, non enim illæ na-

tiones tam spatioso à se distabant intervallo. *Lutherus* & in Germaniâ sacrorum cultus ordinavit, & in Sveciâ, Norvegiâ, Daniâ, Hungariâ, distantissimis provinciis. Sic & in Galliâ, Angliâ, Scotiâ, Hyberniâ, Belgio, tractibus Poloniæ, Germaniæque *Calvinus*, & antea *Pontifex Romanus* per orbem ferè universum. Tacebo Saturnum *Patrem*, Isin & Osiridem *liberos ejus* fuisse, teste *Diodoro* l. II. c. I. ut propterea non difficile fuerit uni *Hermeti*, utrisque inservire.

XIII. *Hermes* animalium naturas scrutatus est: *Eusebius* ex Phil. Byblio & Sanchuniathone, Præp. Evang. l. I. c. X. *Taautus quidem draconis, serpentumq; naturæ divinitatem aliquam tribuebat, quam ejus opinionem Phœnices, & Ægyptii postea comprobârunt. Etenim hoc genus animantis præ cunctis reptilibus, vi & copiâ spiritûs abundare docet, ejusq; naturam igneam esse.* Et mox: *Est autem serpens diuturnæ vitæ, nec solùm exuto senio juvenescit, verùm & majora corporis & virium accipit incrementa, donec tandem confecto certo quodam annorum curriculo, in se ipsum iterum dissolvatur, quemadmodum in sacris etiam tabulis idem Taautus scriptum reliquit,* Ὡς ἐν ταῖς ἱεραῖς ὁμοίως αὐτὸς ὁ Ταάυτ καταγράφει χαράξας.

XIV. *Hermes* naturæ metallorum non imperitus fuit. Quo spectat non tantùm illud *Philonis Byblii* loco proximè citato: *Saturnus Minervâ, & Hermete auctoribus ex ferro falcem, & hastam conflavit*, verùm & illud Cedreni: Ἑρμῆς τῷ χρυσῷ πίηνν ἐξεύρε ἐκ μετάλλων ἀνθρώπις. Sed de eo postea disertiùs.

XV. *Hermetem* omnium artium inventorē credebant Antiqvi. Interqvos jam olim Galli, à Pythagoricis haud dubiè edocti ejus erant sententiæ. *Fulgentius* eqvidem *Hermetem omnium artium auctorem Gallis creditum* scribit. Disertè etiam *Julius Cæsar* de Bello Gall. l. VI. *Galli Deum maximè Mercurium colunt: hujus sunt plurima simulacra, hunc omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atq; itinerum ducem: hunc ad qvæstus pecuniæ, mercaturasq; habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem & Martem, & Jovem, & Minervam.* Hîc *Conringius* ut elevet magni Cæsaris auctoritatem,

tem, ita confidenter: *Nec enim credendum*, inqvit, *ab uno Mercurio omnes omnino artes repertas: nemo sanè id aliàs dixit: eoq; ad fraudulentas artes restringenda est oratio.* Si fraudulentas saltem artes intellexisset *Cæsar*, & non legitimas, non prætulisset Hermetem magnis Diis Apollini, Marti, Jovi, Minervæ. *At nemo aliàs dixit Hermetem omnes artes invenisse.* Id verò falsum esse jam jam ostendetur. Satis tamen forsan fuisset, dixisse id *Cæsarem* incorruptæ fidei Principem. Neqve *Cæsarem* omnes omnino sellularias artes intellexisse credibile est, sed tantùm nobiliores illas, qvæ aliqvid ingenii poscebant. Qvid qvod & alii idem qvod *Cæsar* confirment. *Diodorus* l. I. bibl. οἱ δ' ἱερεῖς διαφερόντως μὲν τῶν παιδείων καὶ τῶν τεχνῶν μυθολογοῦσι τὸν Ἑρμῆν γεγονέναι, τῶν δ' εἰς τὸν βίον ἀναγκαίων τῆς βασιλείας. *Jamblichus* expressiùs de Myster: Ægypt: *Ægyptii Scriptores*, inqvit, *putantes omnia inventa esse à Mercuriô, suos libros Mercurio inscribebant.* Notum, qvàm latè pateat *Platonis* & *Pythagoræ* philosophia; at illam didicerunt ex columnis *Mercurii* in Ægypto, docente ibidem *Jamblicho.* Didicit *Pythagoras* in Ægypto, Gallorum Druidæ à *Pythagorâ*, vel certè à Pythagoricis, qvemadmodum ex *Diodori Sic.* l. v. & *Ammian. Marcellini* l. xv. constat. Cæsar sententiam suam hausit à Druidis. Accedit luculentum *Galeni* testimonium Orat. Svasor. ad artes, ubi non tantùm Ἑρμῆν vocat ἐφευρέτην τέχνης ἁπάσης, sed & disertè magistrum Geometrarum, Arithmeticorum, Astronomorum, Philosophorum, Medicorum, Grammaticorum, pictorum, plastarum, sculptorum, fabrorum, architectorum, & cæterorum artificum. Ecce fidem Conringianorum Oraculorum! Et qvas demum fraudulentas artes Mercurio impingent invidi? mercaturæ præsidem facient; at mercatura licita est, honesta est. Furandi solertiam objicient; illa verò apud Ægyptios, Lacedæmoniosqve certis de causis laudi ducebatur. Disertè *Sextus Empiricus* Pyrrh. Hyp. l. III. *Furari apud nos*, inqvit, *legibus contrarium & injustum habetur: at qvi Mercurium dicunt furacissimum esse Deum, faciunt, ut injustum hoc non censeatur. Qvomodo enim Deus sit malus? Adde qvod ajunt solitos Lacedæmonios*

punire fures, non qvòd furati, sed qvòd in furto deprehensi essent. Causam addit *Gellius* l. Noct. Attic. XI. c. XVIII. *Id etiam memini legere me in libro Aristonis jureconsulti, haud quaquam indocti viri: apud Ægyptios, qvod genus hominum constat & in artibus reperiendis solertes exstitisse, & in cognitione rerum indagandà sagaces, furta omnia fuisse licita, & impœnita. Apud Lacedæmonios qvoqve, sobrios illos & acres viros, cujus rei non adeo ut Ægyptiis fides longinqva est, non pauci neqve ignobiles Scriptores, qvi de moribus, legibusq; eorum memorias condiderunt, jus atqve usum fuisse furandi dicunt, idq; à juventute eorum, non ob turpia lucra, neq; ad sumptum libidini præbendum, comparandámve opulentiam, sed pro exercitio, disciplinaq; rei bellicæ factitatum: qvòd & furandi solertia & assvetudo acueret, firmaretq; animos adolescentium, & ad insidiarum astus, & ad vigilandi tolerantiam, & obrependi celeritatem.* Unde hæc Lacedæmonii? ab Ægyptiis, qvorum Reipublicæ formam imitatos esse Lacedæmonios *Plutarchus* in laud. Busir. abunde testatur.

XVI. *Hermes* magnorum Principum consiliarius & administer fuit. Ostensum jam ante ex *Diodoro Siculo* Hermetem fuisse ἱερογραμματέα Osiridis, qvicum omnia consilia sua communicaret; fuisse & Isidi à consiliis, profecto ad exteros Osiride; nunc adjiciendum, consiliarium itidem fuisse Saturni, de qvò iterum *Philo Byblius* ex Sanchuniathone apud *Euseb.* de Præp. Evang. l. 1. c. x. *Interea Saturnus, ubi virilem ætatem attigisset, Mercurii Trismegisti, qvi ipsi à tabulis & codicillis erat, consilio & opibus fultus, ut maternas ulciscereturinjurias, Urano patri se acriter objecit.* Hîc insectandi iterum ansam arripiens *Conringius* l. 1. c. VIII. ita scribit: *Jam ante idem Philo:* Περὶ δὲ τούτων ἱερὸς Τάαυτος, μιμησάμενος τὴν Οὐρανοῦ τῶν ἰδίων αἰδοίων, καὶ τὴν τοῦ Δαγῶνος, καὶ τῶν λοιπῶν θεῶν τὰς ἱερὰς στοιχείων χαραχτῆρας. *Secundum Philonem igitur, omnes sacræ imagines Deorum apud Phœnices, Cœli, Saturni, Dagonis & aliorum à Principe Taavto, sive Hermete sunt effictæ, hic etiam primus docuit Reges & Principes, eosq; vitiis contaminatissimos divinis honoribus venerari. Si qvid porrò veri inest illis de Hermete, aliisq; fabulis Phœniciis, (qvod*

fatcor

fateor, mihi non sit verosimile) & Saturnus consiliis Mercurii se se regi est passus, meritò dixeris cùm alia Saturni impia facinora ab Hermetis consilio fluxisse, tum illud de filio unico ex legitima uxore suscepto, ad averruncandam pestilentem luem immolato, & exusto Cœlo patri, deq; filio altero Muth post obitum consecrato. Digna enim hæc sunt impio consultore. Philo sanè diserte scribit Hermetis Trismegisti consilio, Saturnum patri suo Cœlo bellum moviſſe, & Atlantem fratrem, quòd eum haberet suspectum, altâ terrâ defossum obruisse. Imò ne quis dubitet Hermetem fuisse Magum, scribit: Εἶτα ὁ Ἑρμῆς τοῖς τοῦ Κρόνου συμμάχοις λόγοις μαγικοῖς διαλεχθεὶς πόθον ἐνεποίησε τοῖς καθ' Οὐρανοῦ μάχης ὑπὲρ τῆς Γῆς. In speciosâ hac dissertatione nihil tam evidenter docuit *Conringius*, quàm hominem se esse, & ab erroribus sæpe non immunem. Non attingam morosè, quòd σαλοικίζων *venerari* significatione passivâ usurpet; non repetam, in paucis his Græcis *Philonis* sexies lapsum *Conringium:* Περὶ δὲ τούτων Θεὸς Τάαυτ, Philo recte: Περὶ ᾧ τούτων Θεὸς Τάαυτ. Conringius, πόθον ἐνεποίησε τοῖς καθ' Οὐρανοῦ μάχης ὑπὲρ τῆς Γῆς. *Philo* autem: πόθον ἐνεποίησε τοῖς καθ' Οὐρανὸν [in margine tantùm adscribitur οὐρανοῦ] μάχης περὶ τῆ γῆς. Adducta hæc tantùm, & quidem ex eodem Parisiensi codice, quem citat *Conringius* ut constet, quàm non integrâ fide Scriptores in testimonium advocet. Ejusmodi plurima oscitantis diligentiæ Conringianæ exempla ex hoc eodem ejus scripto adferre in promptu esset, si necessitas ita juberet. Sed hæc, ut ex ungve leonem æstimetis. Accedamus ad rem ipsam! I. Falsò interpretatur verba *Philonis*, quæ ita reddenda, ut planum est: *Ante hæc autem Taavtus Deus imitatus Cœlum, vultus Deorum Saturni, Dagonis, & reliqvorum expressit.* Taavtus non expressit Cœli imaginem, sed primum imaginum talium architectum, Cœlum imitatus, Saturnum, Dagonem q̃ve figuravit. Immò non Hermes, sed Uranus primus Deos sacrificiis veneratus est. Rotundè *Diodorus Siculus* apud *Euseb. Præp. Evang.* docet, τὸν Οὐρανὸν πρῶτον θυσίαις τιμῆσαι τοὺς ἄλλους θεούς. Et cur imaginem Urani, capitalis inimici sui vel exprimeret, vel inter Deos locaret? Uranus ille Eliunis, qvi à feris postea occisus est, & Be-

ruthiæ filius, ex sorore propriâ susceperat filios qvatuor, Saturnum, Betylum, Dagonem, & Atlantem, cumqve alienis postea amoribus irretiretur, uxor ipsius, Saturni mater, etiam post divortium ab Urano malè mulctata oppossuit se impio marito, & tandem filio Saturno jam adolescenti injurias suas ulciscendas permisit. Ille ut infamem parentem ab injuriâ matri ulterius inferendâ arceret, bellum movit, consilioqve usus Hermetis, prælio superior, Uranum regno ejecit, Atlantemqve fratrem suspectum sibi, itidem svadente Hermete, in alto specu superobruit; postea Saturnus appetitus iterum & Urani insidiis, & maleficis ejusdem sceleratæ Magiæ artibus, gravis insurrexit vindex, & in Urani verenda, tot adulteriorum causam, severè animadvertit. Hæc compendio, qvæ susè *Philo Byblius.* Igitur si qvid hîc peccavit *Hermes*, secutus est antecedentis vestigia Urani, cui parum fuisse videtur, vultus Deorum exprimere, nisi [qvod *Hermes* imitari detrectavit] saxeis imaginibus animas qvoqve maleferiatâ arte inspirâsset. Huc enim tendunt illa *Philonis*: Ἐπ ἐπινόησε θεὸς Οὐρανὸς βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος. II. Sed qvid adeo deliqvit hîc *Hermes*? imagines Saturni Regis sui, Dagonisqve fratris ejus figuravit? ideóne jussit eas adorari? hoc de suo affingit *Conringius*, de eo enim ne verbum addidit *Philo.* III. Affingitur iterum *Hermeti*, qvòd Saturnum instigaverit ad liberos suos interficiendos, neqve enim vel jota, vel vestigium in *Philone* apparet, qvo illud demonstretur. Immò verò contrarium potiùs elucet. Disertè enim *Philo* docet abhorruisse Deos [id est *Hermetem*, Dagonem, aliosqve humanos Deos, qvemadmodum & Senecæ l. de Tranqvill. Cæsar Deus appellatur.] crudelitatem illam nefariam, ὡς παίζειν ἐκπεπλῆχθαι θεὸς τὸ κρόνου γνώμην. IV. Deniqve qvodnam adeo intolerabile flagitium est, si *Hermes* svasit Saturno, ut flagitiosum & horrendæ Magiæ crimine fœdatum Uranum, matri suæ violenter insultantem bello, cùm aliâ viâ non liceret, amoliretur? qvodnam scelus, si svasit, ut suspectus maleficii Atlas, vel perpetuo subterraneo carcere damnaretur, vel, in morem delinqventium Vestalium, sepeliretur in specu?

Qvid

Qvid qvod nec satis constet, vivúsne an mortuus terrâ obrutus sit Atlas, neqve enim rem disertè explanant illa *Philonis*: ἐις βάθος γῆς ἐμβαλὼν κατέχεσθαι. V. *Immò nè qvis dubitet*, inqvit Conringius, *Hermetem fuisse Magum* &c. At si verum est illud *Conringii*, qvod paulò ante scripsit, *fabulis illis Phœniciis nihil veri inesse*, verum qvoqve erit, ex iisdem fabulis nihil colligi posse, qvod *Hermetem* Magum fuisse demonstret. Si tabulæ sunt, illa qvæ scripsit *Philo*, fabulæ etiam erunt, Hermetem per λόγους μαγέας instigâsse milites Saturni ad bellandum. Sed fingamus veracem esse *Philonem*; unde ostendet *Conringius* rationes illas *Hermetis* svasorias ex nefariâ magiâ fluxisse? prædixit fortè ex Mathematicis artibus [in qvibus ad stuporem usqve versatum fuisse constat] fatum Urani, eoqve facilè commilitones Saturni, ad arma contra infelicem jam tum ex astris declaratum Principem accendit. Notum qvoqve qvàm olim magia & fuerit venerabilis, & extra omne crimen, anteqvam superstitiones accederent; erat videlicet accuratior illa naturæ rerum cognitio, ex dituturnis observationibus, experimentisqve hausta, qvâ *Hermetem* valuisse plurimùm, nemo nisi hospes in omni antiqvitate negaverit. Eâ arte fabricatæ olim Memnonis chordæ, qvæ Magicæ *Juvenali* appellantur, & miraculi vicem in animo Germanici Cæsaris supplebant, ut est apud *Tacitum* lib. II. Annal. qvas tamen secretius qvoddam, sed ex mediâ naturâ innocentissimè petitum artificium formaverat, ut prolixè in Oedip. Ægypt. docet *Kirckerus*. Accedit magnum innocentiæ Hermetis argumentum, qvòd *Plinius* l. xxx. c. 1. cùm sollicitè omnes fraudulentæ Magiæ auctores recitet, nè Mose qvidem [qvem per errorem eò qvoqve traxit] intacto, *Hermetem* alto transeat silentio, non taciturus, si vel minimam scelestæ Magiæ suspicionem ipsi impegissent Antiqvi. Sed qvod validissimum hîc pro Hermete telum est, ipse *Philo* præclariùs de eo sentit: Τάχα δ', inqvit, ἂν Αἰγύπτιοι ἰδίᾳ θεσπιῳδοῦσι, σοφίᾳ διενεγκόντων παρὰ τοῖς ἄλλοις, πρῶτος μὲν ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων ἀπειρίας, εἰς ἐπιστημονικὴν ἐμπειρίαν διέδραμε ὁ μετὰ γενεὰς πολλὰς, Ἑρμῆς Σαμοβριλλὸς, θεραπὼν καὶ μεθερμηνεὺς τῶν χρησμῶν, ἀκολουθήσαντες, κεκρα-

κεκρυμμένην τῶ Τααύτῳ, καὶ ἀλληγορίαις ἀπεσκιασμένην τὴν θεολογίαν ἐφώτισαν. Horum prima verba cùm recitat etiam *Conringius* l. 1. c. VIII. temperare sibi non potest, qvin bis impingat ὃν πρωταγορέσι scribens. Sed hæc levia. Interpres autem ita: *Taautus ille, qvem Thot Ægyptii vocant, cùm ingenti apud Phœnices sapientiæ laude floreret, qvæ ad religionem, cultumq; Deorum pertinebant, primus ex humilium & plebejorum capitum inscientiâ vindicata, eleganti, & accommodato ad scientiæ leges ordine disposuit. Cui cùm Surmubelus Deus, & Thuro, qvæ deinceps mutato nomine Cusarthis appellata est, longo ætatum intervallo successissent, occultam ipsius, & allegoriarum involutam umbris Theologiam illustrârunt.* Qvæ ergo alia nefariè designavit Saturnus, Hermeti non debet, sed partim feroci suo & à consultoribus optimis regi nescio ingenio, partim vanis à Thabionis filio ortis sacrificulis, qvorum τύφος à *Philone* ibidem perstringitur. Hinc judicent cordati de veritate acroamatis illius Conringiani: *Qvod suæ εὐδωλομανίας unum Hermetem Magistrum & Principem Phœnices coluerint.* Habuere Phœnices ante *Hermetem*, docente *Byblio*, Hierophantam Thabionis filium; habuere postea successores ejus, vanos ostentatores: viderunt Uranum circa λίθους ἐμψύχους insanientem, *Hermetem* autem agnoscunt insciitiam superiorum temporum emendâsse, religionem ad certæ scientiæ leges [qvantum in illa veræ religionis caligine homini licuit,] accommodâsse, de Idolorum cultu ab *Hermete* primùm introducto, ne gry qvidem meminere. Utqve aliqvis largiretur *Hermetem* à seculi sui moribus, torrentis instar abreptum ad Magicas qvasdam vanitates prolapsum fuisse, non ideo ipsi magis insultandum, qvàm *Pythagoræ*, *Empedocli*, *Democrito*, *Platoni*, qvos *Plinius* l. XXX. c. 1. narrat ad inanem illam Magiam discendam *navigâsse*, *exiliis veriùs*, *qvàm peregrinationibus susceptis*: *hanc reversos prædicavisse*, *hanc in arcanis habuisse*. Sed urget adhuc *Conringius* in contumeliam Taauti, illud *Philonis*: Τῷ μὲν ὄφει τὸ δράκοντος φύσιν, καὶ τῶν ὀφέων αὐτὸς ἐξεθέασεν ὁ Τααύτου, καὶ μετ' αὐτὸν αὖθις φοίνικές τε, καὶ Αἰγύπτιοι. Mittam duo illa *Conringii* errata ὀφίων & Τααύτου, cùm ὄφεως & Τάαυτος scribat *Philo*,

Philo, & subjungam illa *Philonis*, qvæ proximè seqvuntur: Πνευματικώτατον δὲ τὸ ζῶον παίντων τῶν ἑρπετῶν, καὶ πυρώδες ὑπ' αὐτοῦ παραδέδοται. In qvo licet nihil adeo deliqvisse videatur *Hermes*, invenit tamen & hîc *Conringius*, qvod reprehenderet. *Qvamvis verò*, inqvit, *divinæ draconum, serpentumq; naturæ argumenta qvædam adducat Philo, nemo tamen non videt inepta illa esse rei isti demonstrandæ. Indubie igitur Hermeti ita creditum fuit, qvòd sub illius animalis specie, vel etiam in illo animali perfrequenter se se exhiberet Dæmon; qvod nobis notissimum est ex sacrâ Mosis historiâ.* Qvò non trahit etiam optimè cogitata sinistrum judicium! Agnovit *Hermes* singulare qviddam in serpente; animadvertit eum spirituum copiâ abundare, & igneæ esse naturæ: qvid in eo deliqvit? agnoscunt idem hodieqve Medici; agnovit in nobili qvadam serpentum specie divinum pharmacum *Galenus* pro exigendâ elephantiasi desperatâ l. XI. de simpl. med. fac. & l. de subfig. Empir. c. XII. & Machaones nostri nullum hodieqve divinius medicamentum in arcendâ pestilentiâ reperere. Qvod si qvis de spirituum copiâ inde pullulante dubitet, adeat Chemicorum furnos, & negâsse se manifestam veritatem recognoscet. Deniqve ubi exstat in sacrâ Mosis historiâ Dæmonem *perfreqventer* in illo animali se se exhibere? *semel* exhibuisse se *Moses* docet; *perfreqventer* & voce barbarum est, & re falsum, nihil enim tale *Moses*; sed ex Romanâ historiâ id sæpius factum colligimus. Videndum nunc an *Ægyptii*, qvod tradit *Conringius*, εἰδωλομανίᾳ *sua unum Hermetem Magistrum & principem coluerint.* Tria adfert Conringius argumenta. I. *Hermes Deorum cultus & sacrificia ordinavit*, ex *Diodoro*. II. *Osiridem mortuum sacrificiis dignatus est.* III. *In Æsclepio Hermetis ars illa εἰδωλοποιϊκὴ summis laudibus extollitur.* Sed respondetur ad *primum*; esto, ordinaverit qvædam circa sacra Ægyptiorum *Hermes*, illa tamen id temporis fuisse præcisè idololatrica qvando demonstrabitur? successores autem paulatim degenerâsse ad ineptiora certissimum, qvod idem populo DEI contigisse nimis qvàm liqvidum est. Sed intueamur sacra, qvæ suis Ægyptiis commendavit Hermes. Ea nobis duo gravissimi Ecclesiæ Patres, ut alios

taceamus, ita consignant. *Lactantius* l. I. *Hermes scripsit libros & qvidem multos ad cognitionem divinarum rerum pertinentes, in qvibus majestatem summi & singularis Dei asserit, iisdemq; nominibus appellat, qvibus nos Deum & patrem*, &c. *Idem* l. IV. *Ego verò non dubito qvin ad veritatem Trismegistus hac ratione pervenerit, qvi de DEO Patre omnia, de filio locutus est multa, qvæ divinis continentur arcanis. Cyprianus* l. de Idol. vanit. *Hermes qvoqve Trismegistus unum Deum loqvitur, eumq; ineffabilem, & inæstimabilem confitetur.* Hoc enim vero non est ἀδολομανίαν docere, sed in sacris tradendis sanctè, incorrupteqve versari. Qvod secundum *Conringii* momentum spectat, non inficiandum fortassis, *Hermetem* Osiridi mortuo excogitatissimos admensum esse honores, in qvibus, si nimius fuit, dandum id credidit summis Regis sui in omne genus humanum meritis, de qvibus inter alia *Diodorus* l. I. *Osiris ad tritici, hordeiq; sementem genus humanum edocendam orbem peragravit.* Item, *Totum orbem emensus Osiris mitissimorum fructuum communicatione de vitâ communi bene meruit. Qvod si qva tellus plantam vitis non admitteret, conficiendam ex hordeo potum docuit vini fragrantiâ & efficaciâ haud multò inferiorem.* Credidit ergo *Hermes* tantis beneficiis honorem aliqvem à morte supra vulgarem hominum sortem deberi. Hæc omnia tamen in memoriam beneficiorum Osiridis instituta sacra, ut gratum animum testarentur Ægyptii, non ut debitos immortali Deo honores subtraherent. Consecrationes illæ Principum initiò non tendebant aliò, qvàm ad civilem cultum, & diuturnam post fata reverentiam, sed superstitiosa temporum succedentium intemperies cuncta tandem fœdavit. Neqve etiam antiqvissimi Ægyptii nisi precibus & thure solo placabant Deos, neq; vel Saturnum, vel Serapim [id est Osirin, ut docet expressè l. I. bibl. *Diodorus*. Τὸν δ' Ὄσιριν οἱ μὲν Σάραπιν, οἱ δὲ Διόνυσον, οἱ δὲ Πλάτωνα, οἱ δ' Ἄμμωνα, τίνες δὲ Δία, πολλοὶ δὲ Πᾶνα νενομίκασι] receperant in arcana templorum usqve ad Alexandri Magni occasum qvemadmodum fusè docet *Macrobius* Saturn. l. I. c. VII. Sed de eo latiùs, ubi de Theologiâ Ægyptiorum dicetur. Saltem hinc constat, *Hermetem*, cùm

cùm verum Deum agnoſceret, teſte *Lactantio*, Oſiridi veræ adorationis non attribuiſſe cultum, ut qvi demum cœpit, multis póſt ſeculis, oppreſsâ per tyrannidem Ptolemæorum Ægypto, qvemadmodum ibidem *Macrobius* fatetur. Dicat itaqve *Diodorus* Oſiridem τυχὸν ὑπὸ Ἴσιδος καὶ Ἑρμοῦ θυσιῶν, καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπιφανεστάτων θεῶν τιμῶν, dum conſtet, per Deos illos non intelligi Deum verum, purâ mente, colendum, ſed τὰς ἀρχαιοτάτας τῶν βασιλέων, ut ipſe Deorum vocem explicat *Diodorus*. Neqve etiam præcisè ſcribit *Diodorus*, qvod creditum *Conringio: Hermetem Deorum cultus & ſacrificia ordinâſſe*, ſed, τὰ περὶ τὰς τῶν θεῶν τιμὰς, καὶ θυσίας διεταξάμενοι. i. e. qvæ circa cultus & ſacrificia Deorum confuſa invenerat, in ordinem convenientem redegiſſe. Præceſſerant enim Oſiridem, Hermetemqve alii Reges in Ægypto, ſi *Diodoro* credimus, nec illi ſacrorum uſu deſtituti, qvin & diſertè *Plutarchus*, l. de Iſid. & Oſirid. ſcribit *templum Jovis exſtitiſſe Thebis Ægyptiis antè natum Oſiridem.* Ergo & ante Hermetem alii in Ægypto ſacra Deorum curavere. Ergo falſum eſt illud *Conringii*, *qvod ſuæ εἰδωλομανίας unum Hermetem Magiſtrum & Principem Phœnices pariter & Ægyptii coluerint.* Tertia *Conringi* ratio ab *Aſclepio* petita ſuâ mole ruit; evertitqve eandem ipſe *Conringius* l. 1. c. v. docens, *libros qvi Hermeti Triſmegiſto attribui ſolent, vel nullius, vel incertæ omnes fidei, nec multùm antiqvos eſſe; eoq; Hermeticam doctrinam tutò inde peti non poſſe.* Si doctrina Hermetis inde peti tutò non poteſt, cur in contumeliam *Hermetis* verba Aſclepii tam operosè advocantur? ut taceam, in eodem *Aſclepio* εἰδωλοπληκτῶ diu ante Hermetem inventam prædicari; immò *Conringium* præpoſterâ narratione manifeſtam *Hermeti* facere injuriam. Fingamus enim *Aſclepium* ſive λογον τέλειον, *Hermetis* germanum eſſe ſcriptum, [qvod *Auguſtinus* & Patrum alii judicant] certè poſtqvam *Triſmegiſtus* dixiſſet ibidem, *ſtatuas animatas & futurorum præſcias, imbecillitates hominibus facientes, easq; curantes*, oſtendit clariſſimè ſe non ex ſuâ hæc ſententiâ protuliſſe, ſed ex ſuperſtitione hallucinantium proavorum. Ipſius enim *Hermetis* ſententia hæc ſeqvitur: *Qvoniam ergo proavi noſtri multùm errabant*

bant contra Deorum orationem increduli, & non animadvertentes ad cultum, religionemq; divinam, invenerunt artem, quâ Deos efficerent; cui inventæ adjunxerunt virtutem de mundi naturâ convenientem, eamq; miscentes; & quoniam animos facere non poterant, evocantes animas Dæmonum, vel Angelorum eas indiderunt imaginibus suis, divinisq; mysteriis, per quas sola Idola & benefaciendi & malefaciendi vires habere potuissent. Vel solus hic locus ostendit falsum esse illud *Conringii: Unum Hermetem εἰδωλομανίας Ægyptiæ Magistrum & Principem fuisse.* Postremò, non ideo *Hermes* flagitiosi Magi titulo infamandus, si ex *Philone* fabulis pleno, & *Diodoro* in intima Ægyptiorum non admisso, exsculpi quiddam posse videatur, quod suspicionem moveat; sanè si accusâsse sufficerit, quis innocens erit? Ferenda autem hæc convitia *Hermeti* eò patientiùs, quò certiùs constat, optimos quosque ab omni ævo similibus calumniis prosciscos. Nam ut taceam *Salvatorem* generis humani à Judæis obtrectatoribus jam olim sceleratæ Magiæ palam insimulatum fuisse *Luc.* XI. Certè, nec sanctissimus *Joseph* genuinum evasit *Justini* l. XXXVI. nec divinus *Moses* evitare valuit virulentas cavillantium lingvas. Vox *Plinii* l. XXX. c. I. *Est & alia Magicis factio à Mose, Jamne, & Jotape Judæis pendens.* Qvamnam autem Magiam professus sit Jamnes, nemini hodie ignoratur. *Apulejus* in Apologiâ: *Nec satis*, inqvit, *mihi duco, si me omnium, quæ insimulatis, abunde purgavi; si nusqvam passus sum vel exiguam suspicionem Magiæ consistere. Reputate vobiscum qvantâ fiduciâ innocentiæ meæ, qvantoq; despectu vestri agam, si una causa vel minima, fuerit inventa, cur ego debuerim Pudentillæ nuptias ob aliqvod meum commodum adpetere; si qvamlibet modicum emolumentum probaveritis, ego ille sim Carinondas, vel Damigeron, vel is Moses, vel Jannes, vel Apollonius, vel ipse Dardanus, vel qvicunq; alius post Zoroastrem, & Hostanem celebratus est.* Qvid qvod antiqvi, ut bene mereri viderentur de summis Viris, eas aliqvando iis laudes imprudenter admensi sunt, qvas, cùm ipsi sine exceptione solidas, germanasqve arbitrarentur, compertum fuit deniqve multum ex vano secum traxisse. Ita *Josephus* Antiqv. Jud. l. VIII. c. II, de *Salomone*: *Hic* inqvit, *nullam naturam ignoravit,*

ravit, nullam non examinatam præteriit; sed de omnibus philosophatus est, & disciplinam proprietatûm eorum eminenter exposuit. Præstitit autem ei Deus, ut etiam contra Dæmones artem ad utilitatem hominum, & eorum curas ediscceret: & incantationes instituit, qvibus ægritudines solent mitigari. Modos etiam conjurationum, qvibus obstricti Dæmones, ne rursus redeant, fugantur, invenit: & hæc cura hactenus apud nos multum prævalere dignoscitur. Vidi enim qvendam Eleazarum de gente nostrâ, præsente Vespasiano, & ejus filiis, & simul exercitu, curantem eos, qvi à Dæmonibus vexabantur. Modus autem Medicinæ fuit hujusmodi: intulit naribus ejus, qvi à Dæmonio vexabatur, annulum habentem subter signaculum, radicem à Salomone monstratam: deinde Dæmonium per nares odorantis abstraxit, & repente cecidit homo. Postea conjuravit eum, juramentum objiciens Salomonis, nè ad eum denuo remearet, id est, cantica, qvæ ille composuit, edixit super eum. Volens autem satis facere atq; probare præsentibus Eleazarus, hanc se habere virtutem, ponebat ante eos, aut calicem aqvâ plenum, aut pelvim: & Dæmonio imperabat, ut egressum ab homine hæc everteret, & videntibus præberet indicium, qvòd hominem reliqvisset. Qvo facto sapientia Salomonis cunctis innotuit: propter qvam, ut omnes magnitudinem ejus naturæ cognoscerent, atq; religionem, & ut nullius rei virtus sub sole eum lateret, hæc dicere sum compulsus. Qvàm autem superstitiosis illa radix Baaras evellatur ceremoniis, ipse *Josephus* edocet l. VII. Bell. jud. c. XXV. Atq; hæc de Salomone. Qvid mirum igitur, si simile qviddam *Hermeti* à laudatoribus molestè sedulis, & officiosè mentientibus attribuatur. Ita optimum qvemqve veterum Magiæ, sed falsò insimulatum olim fuisse docet singulari libello illustris *Naudæus*, & calumnias ejusmodi eruditè diluit. Sed colligenda hæc vela, ut ad alterum illud membrum deveniatur, in qvo triumphare sibi videtur

Conringius.

Cap. II.

I. Constare Galeni testimonio Hermetem Medicorum fuisse Magistrũ. II. Ideo etiam Antiqvos ἰητρικὰς Hermeti adjunxisse. III. Ex Diodori, Julii Cæsaris, & Jamblichi testimoniis evidenter conseqvi, Hermetem inventorem fuisse Medicinæ. IV. Pythagoram arte medicâ & botanicâ clarum didicisse in Ægypto ex columnis Hermetis. V. Inventiones diversarum herbarum Hermeti assignatas ostendere sapientiam ejus medicam. VI. Cognitionem Hermetis exactiorem in historiâ animalium, & lapidum medentium viribus docere, ipsum in re medicâ fuisse versatum, idqve diserte tradi ab antiqvissimo Orpheo. VII. Colligi id ipsum ex Hermetis peritiâ in rebus metallicis. VIII. Isidem medicinæ inventricem creditam, ab Hermete didicisse. IX. Ἰατρικὴν ab Hermete inventam, etiam teste Martiano Capellâ, rerum Ægyptiarum gnaro scriptore. X. Libros physici & medici argumenti Hermeti attributos demonstrare, ipsum in hac palæstrâ fuisse subactum. XI Idem ex Clemente Alexandrino constare apertissimè. Nec qvæ contra libros Hermetis operosè movet Conringius, promovere qvicqvam.

ITa ergo *Conringius* l. 1. c. 11. *Neq; Græcos neq; Phœnices, neq; Ægyptiorum vetustiores qvosqve, Hermeti olim artis alicujus Medicæ inventionem tribuisse: factum id ex parte qvidem à nonnullis recentioris ævi Ægyptiis*

ptiis, inconstanter tamen itidem, & contra narrationes majorum. Et mox eodem capite: *ut proinde certo sit certius, nullam olim vel Græcis, vel Latinis populis memoratam fuisse Hermeticam Medicinam.*

I. Dispiciendum nobis, nihilne ex Græcorum, Latinorum, aliorúmve veterum scriptis colligi possit, qvod artis alicujus medicæ inventionem *Hermeti* svadeat attribuendam. Prodeat ergo in primam aciem *Galenus* noster, cujus vel primas pagellas *Conringio*, homini Medico, nè lectas qvidem esse, stupori proximum, qvando & aliis, melioris antiqvitatis ignorantiam exprobrare, ipse tam oscitans, & superficiarius *Galeni* lector, non erubescat. Ita ergo *Galenus* noster Paraphr. Menod. Orat. Svasor. ad Art. Τὰ μὲν δὴ τῆς τύχης ἔργα, τοιαῦτα. Τὸν δ' Ἑρμῆν ἅτε λόγου μὲν ὄντα διαπότην, ἐργάτην δὲ τέχνης ἀπάσης, θεάσαι πάλιν, ὅπως ἐξ ἑκατέρας τῶν τύχων ἐκοσμήσατο πάλιν· οἱ γράφοντές τε καὶ πλάττοντες· νεανίσκον ἐστὶν ὡραῖον. Οὐκ ἀθλητὴν, οὐδὲ κομμωτικὸν ἔχον κάλλος· ἀλλ' οἷός ὡς τε συνεμφαίνεσθαι τῷ τῆς ψυχῆς ἀρετῷ δι' αὐτοῦ· ἔτι δὲ φαιδρὸς μὲν τὰς ὄψεις· δέδορκε δὲ δεμνῶς. Καὶ ἡ βάσις τὸ παίτων σχημάτων ἑδραιότατόν τε καὶ ἀμεταπτωτότατον ἔχει τὸν κύβον, ἔνθ' ὅπερ ἦν καὶ αὐτὸν τὸν θεόν. Τούτῳ τῷ σχήματι κοσμοῦσιν. Ἴδοις δ' ἂν τοὺς θιασώτας αὐτοῦ φαιδροὺς μὲν ὁμοίως τῷ κατηγεμόνι θεῷ· μεμορφωμένους δ' ἑδέστητι αὐτὸν, ὥσπερ οἱ τῇ τύχῃ, &c. Postea. Ὁ δ' ἕτερος τῶν χορῶν, παίτης μὲν κόσμιοι, καὶ τεχνῶν ἐργάται, ἀ θέσει ἦ, ἐδὲ βοῶσιν, ἐδ' ἀλλήλοις μάχονται· ἀλλ' ἐν μέσοις μὲν αὐτοῖς ὁ θεός. [Ἑρμῆς] ἀμφ' αὐτὸν ἦ ἅπαντες ἐν τάξει κεκόσμηνται. Χώραν ἕκαστος, ἣν ἐκεῖνος ἔδωκεν, οὐκ ἀπολιπόντες. οἱ μὲν ἔγγιστα τοῦ θεοῦ, καὶ δὴ αὐτὸν ἐν κύκλῳ κεκοσμημένοι, γεωμέτραι, καὶ ἀριθμητικοὶ, καὶ φιλόσοφοι, καὶ ἰατροὶ, καὶ ἀστρονόμοι, καὶ γραμματικοί. Τούτων δ' ἐφεξῆς ὁ δεύτερος χορὸς, ζωγράφοι, πλάσται, γραμματισταὶ, τέκτονές τε καὶ ἀρχιτέκτονες, καὶ λιθογλύφοι, καὶ μετ' αὐτοῖς ἦ· ἡ τρίτη τάξις, οἱ λοιποὶ τέχναι πᾶσαι· κῆ μέρη μὲν ἄτω κεκόσμηται. παίτης ἦ πρὸς τὸν θεὸν ἀποβλέπουσι κοινῷ τῷ παρ' αὐτοῦ προστάγματι πειθόμενοι. *Ludovicus Bellisarius*, Medicus Mutinensis, ita vertit: *Sed talia fortunæ opera sunt: Mercurium verò tanqvam orationis Parentem & artium omnium auctorem aspice rursus, ut aliâ qvâm fortunam effigie tum pictores, tum plastæ decorârunt. Nam juvenis est formosus, nec ejuscemodi, ut fucatum qvic-*

qvam

qvam in eo, aut comptum deprehendas, sed in cujus formâ animi virtutes protinus eluceant. est enim hilari vultu, acribus oculis, basi innititur sic undiq; figuratæ, ut qvadrantal referat, qvâ maximè figurâ res ipsa stabilis atq; immobilis redditur. Qvin & ipsum Deum eadem hac figurâ interdum honestant. Cujus etiam comites æqve ac dux ipse hilares splendidiq; conspiciuntur, nec unqvam de suo principe qveruli, qvales fortunæ seqvaces memoravimus. &c. Postea. *Mercurii verò chorus modestos omnes continet, eosdem artium peritos, non currentes, non exclamantes, non inter se dissidentes, sed inter qvos medium Deus ipse locum teneat. Hi verò ordine omnes circum dispositi sunt, sic ut nulli locum ab eo designatum relinqvant, eo tamen discrimine, ut qvi primam sedem, Deoq; proximam in ambitu occupant, ii geometræ, arithmetici, astronomi, Philosophi, Medici, grammatici sint; qvi verò alteram tenent, ii secundum chorum constituunt, in qvo pictores, plastæ, sculptores, fabri, architecti, Magistri prima rudimenta docentes conspiciantur. Post qvos tertius locus seqvitur, qvo cæteri artifices omnes continentur. Sic singulis qvidem assignatæ sedes propriæ sunt, omnes tamen pariter intuentur in Deum, ejusq; communi parent imperio.* Tandem adjicit: *Hic* [sc. apud Mercurium] *cernes Socratem, cernes Homerum, Hippocratem, Platonem, & qvi hos viros amant, qvos omnes hic Deus sibi Ministros elegit, & apud se primos, & qvasi alteros Mercurios esse voluit.* Ita interpres Latinus, sed Græcus codex, οἵλνες ὑπαρχοί τινες, καὶ ὑπηρέται τοῦ θεοῦ. Qvod si liber ille, qvi apud Galenum *Medicus* inscribitur, *Herodoti* est, qvò inclinat *Conringius* l. 1. de Herm. Med. c. x. necesse est *Menodoti* hujus *Galenici* testimonium antiqvius & luculentius adhuc esse, qvòd liber ille manifestè meminerit *Menodoti*, ut sectæ Empiricæ doctoris; non esse tamen antiqvissimi illius *Herodoti* res ipsa loqvitur, & vidit jam ante eruditissimus *Jonsius*. Qvicqvid sit, merebatur sanè illustris locus legi hic integer, ut dediscat tandem abuti ingenio suo, Hermetiqve insultare *Conringius*, ut agnoscat Medicis inter Hermeticos primas deberi sedes, & commendet posthac magni *Hermetis* curas, atqve industriam in propagandis bonis artibus, identidem repetens illud sapientissimi *Tullii* l. 1. ad Attic. Epist.

Epist. IV. *Qvod ad me*, inqvit, *de Hermathenâ scribis, per mihi gratum est: ornamentum Academiæ proprium meæ, qvod & Hermes commune omnium.* Qvis ergo post hac communi omnium Academiarum ornamento *Hermeti* audebit oblatrare, nisi intemperiis actus? qvid meruit Cambyses, cùm Amasis, Ægyptii Regis cadaver pungeret, flagellaretqve? ut scribit *Dion* in Corinthiacis; qvid lucratus est ineptiis suis ille, qvi, ut idem *Dion* in Rhodiacis docet, Theagenis, viri de Republ. optimè meriti statuam in mediâ urbe sitam noctu flagris cædebat? Sed reprimo qverelas, & ad secundum argumentum me accingo.

II. Antiqvi, ut apud *Cornutum* [aliis *Phurnutum*] est, de Nat. Deorum Gentil. Hermeti τὴν ὑγίειαν συνώκησαν, i. e. *conjunxere cum Mercurio sanitatem*, non alio instituto, ut cuivis licet conjicere, qvàm qvod eum sanitatis Magistrum agnoscerent. Inde enim ὑγίειαν ipsi adscriptam esse, ut dicendi facultate omnibus profimus, qvod *Cornuto* ibidem visum, nimis frigidum, nimis longè petitum schema est.

III. *Diodorus Siculus* l. I. Οἱ δ' ἱερεῖς εὑρετὴν μὲν τῶν παιδειῶν, καὶ τῶν τεχνῶν μυθολογοῦσι τὸν Ἑρμῆν γεγενῆσθαι, τῶν δ' εἰς τὸν βίον ἀναγκαίων τὰς βασιλεῖς. i. e. *Narrant sacerdotes* [Ægyptii] *Hermetem disciplinarum & artium inventorem fuisse, necessariarum autem ad vitam sustentandam Reges.* Scilicet frumenti, viniqve usum invenere Reges Ægyptii, ut apud eundem est, reliqvas artes *Hermes*. Fuisse autem inter artes Ægyptias Medicinam, adeo certum est, ut *Herodotus* etiam scripserit suo tempore *Ægyptios omnes fuisse Medicos*. Qvin explicat *Diodorum* & *Julius Cæsar* bell. Gall. l. VI. *Galli*, inqvit, *Mercurium omnium inventorem artium ferunt.* Et *Jamblichus* de Mysteriis Ægypt. *Ægyptii scriptores putant omnia inventa à Mercurio.* Qvô haud scio an qvicqvam evidentius, efficaciusqve esse possit ad asserendam Hermeti Medicæ inventionis gloriam.

IV. Pythagoras, ut apud eundem *Jamblichum* est de Myster. Ægypt. *didicit Philosophiam suam in Ægypto, ex columnis Mercurii.* Illa autem Philosophia propter studium etiam medicum commen-

data est. Unde *Apulejus* in Floridâ *medentem* inducit *Pythagoram*; & *Laertius* l. VIII. *Pythagoras*, inqvit, *ne Medicinam qvidem neglexit.* Et qvomodo negligeret, qvi ipse de re botanicâ commentatus est? *Plinius* l. XXV. c. II. *Homerus*, inqvit, *& alias nominatim herbas celebrat, qvas suis locis dicemus. Ab eo Pythagoras clarus sapientiâ, primus volumen de earum effectu composuit.* Scripsit & de brassicâ, monente *Plinio* l. XX. c. IX. Hinc & ἰατρεύσων magis urbes lustrâsse, qvàm διδάξων creditus apud *Ælian.* var. Hist. l. IV. c. XVII. Qvin & Pythagorei, scribente *Æliano* var. Hist. l. IX. c XXII. *summum studium, operamq; medicandi facultati navabant*, & auctore *Jamblicho* de vita Pythag. *maximè recipiebant speciem Medicinæ dieteticam, & in hac parte longè erant exactißimi. Tractabant & plurimum cataplasmata, & emollientia remedia.*

V. Inventiones herbarum assignatæ *Hermeti* ostendunt etiam sapientiam ejus Medicam. *Plinius* l. XXV. c. IV. *Laudatißima herbarum est Homero, qvam vocari a Diis putat moly, & inventionem ejus Mercurio aßignat, contraq; summa veneficia demonstrat.* Iterum *Plinius* l. XXV. c. V. *Linozostis, sive Parthenion, Mercurii inventum est, ideo apud Græcos hermupoan multi vocant eam, apud nos omnes Mercurialem. Dioscorides* l. IV. c. CXCI. Λινόζωστις, ὁι δὲ παρθένιον, ὁι δὲ Ἑρμοῦ βοτάνιον καλοῦσι. Sic & *Aëtius* tetrab. I. Serm. I. *pentaphyllon Mercurii herbam* appellat. Halimus in *Dioscorid.* noth. ἑρμοῦ βάσις vocatur: qvam & appellationem apud *Neophytum* de Halimo reperit illustris *Salmasius*, de qvo ipse operosè Exercit. Plin. in Solin. p. MXCVII. An & ficum invenerit *Hermes*, non perinde constat, certè qvicunqve ficum olim in viâ repererat, *Mercurii* signo appendebat, ut ex *Zenobio* docet in Physiol. Christ. l. V. Ger. *Vossius.* Apud *Homerum* Odyss. κ. *Mercurius* cùm offert Ulyssi φάρμακον illud ἐσθλὸν, ostendit se potestates herbarum & medicaminum nôsse:

Ὣς ἄρα φωνήσας πῖρε φάρμακον Ἀργειφόντης,
Ἐκ γαίης ἐρύσας, καί μοι φύσιν αὐτὸς ἔδειξεν.
Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δ᾽ εἴκελον ἄνθῳ·
Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί.

Probè

Probè etiam *Diodorus* l. 1. *Ipſe Hermes*, inqvit, *non Minerva, ut Græci tradunt, oleæ germen invenit.*

VI. Cognitio *Hermetis* exactior in animalium hiſtoriâ, & lapidum medentium viribus demonſtrat ipſum in re Medicâ fuiſſe verſatum. De animalibus videantur, qvæ ſuperiori capite, Num. XIII. & XVI. perſecuti ſumus. Qvod ad lapides, antiqviſſimus Orpheus Hermetem eorundem peritum agnoſcit, & vires Corallii ab eo mortalibus fatetur manifeſtatas, Carm. de Corall. poſtqvam enim ita cœpiſſet.

Ἰαθὶ δ' ἀμαλδύνειν σκορπίια κέντρα δύναθαι,
Καὶ περσηίδαο μέν θ' μέγα κηρὸν ὀλοῖο
Ηδὲ παλαμναίῳ ἀνεμώλιον ἀκτίδα ϑεῖναι.

Tandem in fine ſubjungit:

Κεῖνο πολὺ πρώϊζον ἀνερχομένοις περάτηϑεν
Κηρύλιον ϑνητοῖσι φέρων πόρεν Ἀργειφόντης
Τύνη δ' ἀκρήτοιο μεϑ' ἡδυ πιέμεν αἰεὶ
Μέμνεο, πευκεδανῆ σὺν ἀκτίδι ὥστε ἔκηπον.

Qvæ ita reddidit Hannardus Gamerius:

Vulnera qvæ fecit per acumina ſcorpio caudæ,
Lethalesqve notas ſerpentum dente paratas
Coralii virtus ſacro medicamine tollit.

Et poſtea:

Mercurius vigilis mactator providus Argi
Has in Coralio mortalibus obtulit artes,
Et vires docuit: qvibus ut confidere poſſis,
Diſce qvòd à vino ſoleat prodeſſe bibenti,
Qvem pupugit ſerpens, vel acuto vipera telo.

Et alibi in eodem carmine docetur vis illa ſalutaris Corallii adverſus venena, ut deceptum fuiſſe conſtet Conringium ſcribentem l. II. c. VI. de Herm. Med. *Videtur laus prima Coralliorum in rem Medicam, Arabibus deberi.* Enimvero Hermeti deberi ex Orpheo hîc palam eſt. Qvas autem ſuperſtitioſas in Coralliis virtu-

tes recenſet unà Orpheus, illas non Hermeti, ſed Zoroaſtri & Metrodoro adſcribit Marbodæus. Plinius l. xxxvii Indorum aruſpicibus, ita enim ille: *Aruſpices Indorum, vatesq; inprimis religioſum id geſtamen* [coralliorum] *ameliendis periculis arbitrantur.* Neqve vim Coralliorum medicam duntaxat mortalibus apportavit Mercurius, ſed &, auctore Orpheo, virtutes medicas cæterarum gemmarum, de qvibus ita auſpicatur Thrax Poeta:

Δῶρον ἀλεξικάκοιο Διὸς θνητοῖσιν ὀπάσαι
Κεκλόμεν Μαίης ἐριβώλακος ἦλθε κομίζων
Τιὸς, ὅπως αὐέχωμεν ὀϊζύος ἀτρεκὲς ἄλκαρ, i. e.

Venit Majæ filius [Mercurius] apportans hominibus donum ſingulare averrunci Jovis, ut læti verum ærumnarum præſidium obtineamus.

Verùm qvænam ſunt illa Mercurii munera? rurſus Orpheus:

Ἐς πολυήρατον αὖτρον ὑπελθέμεν Ἑρμείαο,
Ἔνθ' ὅγε παντοίων ἀγαθῶν κατέθηκεν ὅμιλον. Et mox:
Οὐδέ ἑ νοῦσος ἄκικυς ἐνὶ μεγάροισι δαμάσσει, Poſtea:
Εἴσῃσι ἠδ' ὄφεων ἰὸν σβέσαι ἐρπυςήρων.
Δώσω τοι καὶ φῶτα σοπῇ πίπτοντα σελήνης
Ῥυσάσθαι, καὶ νοῦσον ἀπειρησίῃ ἐλέφαντος. Tandem:
Ἄλλαι δ' ἀπειρέσιοι πολυμήτεος Ἑρμείαο
Δωτῖναι κομίσσαι σὺν ἀπήλυγγι κέονται. Senſus eſt:

Ingredi [oportet] *in optatiſſimum Mercurii antrum, ubi ille magnam vim omnis generis bonorum repoſuit. In qvâ domo debilis morbus non regnat, ubi permittetur venenatum ſerpentis jaculum edomare, ſanare lunaticos, mederi elephantiacis. Sunt & alia in ſpeluncâ Mercurii egregia munera.* Qvæ inter & Chemica fuiſſe, cui dubium erit?

VII. Peritia *Hermetis* in rebus metallicis docet ipſum etiam intima rei Medicæ cubilia penetrâſſe. *Cedrenus* diſertè: *Faunus*, inqvit, *qvi & Hermes nominatus fuit*, τὸ χρυσᾶ τὼ φύσιν [in margine, τὼ πίσιν] ἐξεῦρεν ὁκ μετάλλων αἰθρώπως. Sed de eo, capite proximo

ximo uberiùs. Interea cùm *Tertullianus* in Apologet. inducat *Mercurium mortuos cauterio examinantem*, credibile videtur, *Hermetem* & olim metallico instrumento candenti usum ad explorandam in depositis corporibus vitæ, mortisqve fidem. Qvo modo forsan, succurrente *Hermete*, Horus in aqvis inventus propemodum mortuus, in vitam postliminio rediit; sed ut miraculo vicina res videretur, insperata salus à Sacerdotibus φαρμάκῳ ἀθανασίας Isiaco tortassis attributa est. Ut colligamus notum id *Hermeti* fuisse, qvod post observavit *Hippocrates* l. Aphorism. VIII. Ὁκόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται. ὁκόσα σίδηρος οὐκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται.

VIII. Qvanqvam autem in præcedentibus luculentè satis intueamur, etiam post universale illud scriptorum Ægyptiorũ naufragium, *Hermetem* tria illa regna [vegetabile, animale, & metallicum] felici genio excoluisse, adeoqve nullam Medicinæ partem reliqvisse intactam, juverit nihilominus & *Diodori Siculi* testimonium in eandem sententiam advocare. Is postqvam biblioth. l. 1. scripsisset: Φασὶ δ' Αἰγύπτιοι τὴν Ἶσιν φαρμάκων τε πλῆθος πρὸς ὑγίειαν εὑρεῖν γεγονέναι, καὶ τῆς ἰατρικῆς ἐπιστήμης μεγάλην ἔχειν ἐμπειρίαν i. e. *Tradunt Ægyptii Isin multa sanitati hominum pharmaca invenisse, utpote qvæ scientiæ Medicæ fuerit scientissima.* Ubi sanè non tradit *Diodorus* Isin primam Medicinæ inventricem fuisse, sed inveniisse multa in eam rem, qvod nemo negaverit, salvâ *Hermetis*, primi inventoris reverentiâ. Sed recognoscamus ea, qvæ paulo post seqvuntur: *Nec me fugit*, inqvit, *Scriptores qvosdam tradere, sepulcra horum Deorum esse in Nysâ Arabiæ, unde & Nysæus appelletur Dionysus, & columnam utrique Deo sacris literis inscriptam esse erectam, inq; earum illâ, qvæ Isidis est, hæc notata legi:* Ἐγὼ Ἶσις εἰμὶ, ἡ βασίλισσα πάσης χώρας, ἡ παιδευθεῖσα ὑπὸ Ἑρμοῦ, καὶ ὅσα ἐγὼ δήσω, οὐδεὶς δύναται λύσαι. id est: *Ego Isis sum, totius Regionis Regina, ab Hermete edocta; & qvæ ego ligavero, nemo dissolverit.* Qvis jam adeo hebes est, ut non videat *Hermetem* Medicinæ primum hîc Magistrum designari? Isis invenit pharmaca, sed ab *Hermete* edocta; *Hermes* merita sua tacet. Isis eadem eloqvitur. Isis viva videri voluit in hoc mustaceo lau-

reolam qvæsiviſſe, mortua ingenuè, qvo docente profeciſſet, agnoſcit. Neqve obſtat, qvòd alii Iſidem Memphi ſepultam exiſtiment; diſtingvendum enim inter vera ſepulcra, & honoraria. Honorarium Nyſæ fuit, Memphi in templo Vulcani verum. Ita ſepulcrum Oſiridis honorarium fuit ad Nyſam Arabiæ, ut dictum, verum autem in Ægypto. Unde *Jul. Firmic.* de error. profan. Relig. *Nam & ſepulcrum*, inqvit, *Oſiridis hodie in Ægypto eſt, & cremati corporis reliqviæ cernuntur.* Et Scipionis Africani ſepulcrum verum fuit extra portam Capenam viâ Appiâ, ut ex *Tullio* I. Tuſcul. conſtat, honorarium autem in viâ Vaticanâ, ut ex *Acrone* in Horatium colligimus. Qvin & aliud in eandem ſententiam ex eodem *Diodoro* argumentum petitur, veri ſtudioſo non faſtidiendum: Vox ejus bibl. l. 1. Τὸν Ἑρμῆν καὶ παλαίστρας εὑρετὴν ὑπάρξαι, καὶ τῆς εὐρυθμίας καὶ περὶ τὸ σῶμα πρεπούσης πλάσεως ἐπιμεληθῆναι. Ut præteream adjungi: καὶ τῆς ἐλαίας ὑπ' αὐτοῦ [Ἑρμοῦ] εὑρεῖν, ἀλλ' οὐκ Ἀθηνᾶς, ὥσπερ Ἕλληνες φασί. Sed qvò tendit illa πρέπουσα περὶ τὸ σῶμα πλάσις, de qvâ ſollicitum fuiſſe *Hermetem* narrat *Diodorus*, niſi ad cognitionem Medici? Nolim nunc operosè ex *Mercuriali* de Arte gymnaſticâ rationes conqvirere, contentus *Diodori* interpretem adduxiſſe, Horum Ægyptium, qvi apud *Macrobium* Saturn. l. VII. c. XIII. *Dic*, inqvit, *Diſari, (omnis enim ſitus corporis pertinet ad Medici notionem, tu verò ultra qvàm Medicina poſtulat, conſecutus es) dic, inqvam, cur ſibi communis aſſenſus annulum in digito, qvi minimo vicinus eſt, qvem etiam medicinalem vocant, & manu præcipuè ſiniſtrâ geſtandum eſſe perſvaſit?* Sed in re manifeſtâ ſupervacaneum eſt plura verba conſumere.

IX. *Martianus Capella* [olim qvidem *Greg. Turonenſi*, nuper etiam *Hugoni Grotio*, laudatiſſimis viris laudatus, qvòd antiqvitatis Ægyptiacæ peritus naturalis ſcientiæ ſecreta ſub Numinum variorum figmentis, & φιλολογίας titulo adumbrârit] l. III. de arte Gramm. inducit *Jatricen* ſive artem Medicam, ceu *Mercurii* miniſtram, & à *Mercurio* repertam atqve educatam. Verba ita ſe habent: *Admoverat igitur Latoides unam priori loco Mercurialium miniſtra-*

nistrarum ætate qvidem longævam, sed comitate blandissimam, qvæ se in Memphide ortam Rege adhuc Osiride memorabat, diuq; obtectam latibulis ab ipso repertam, educatamq; Cyllenio, id est, *Mercurio... Gestabat hæc autem teres qvoddam ex compactis annexionibus ferculum, qvod lævi exterius elephanto prænitebat. Unde velut medendi solers Magistra curandorum vulnerum insignia proferebat. Nam ex eodem scalprum primò vibranti demonstrabat acumine: qvo dicebat circumcidi infantibus vitia posse lingvarum. Dehincq; nigello qvodam pulvere, qvi ex favillâ confectus, vel scpiâ putaretur, illato per cannulas eadem resanari. Tunc etiam qvoddam medicamen acerrimum, qvod ex ferulæ flore, caprigeniq; tergoris resectione confecerat, rubri admodum coloris, exprompsit, qvod monebat faucibus admovendum, cùm indoctâ rusticitate vexatæ fœtidos ructus vitiosi oris exhalant. Demonstrabat etiam qvendam gratissimum gustum vespere multo, olivoq; laboratum, qvo depulsâ vocis insvavissimæ diritate canoros etiam fieri posse memorabat. Arterias etiam, pectusq; cujusdam medicaminis adhibitione gargarizando purgabat. In qvo & cera fago illita, & gallarum, gummeosq; commixtio, & Niloticæ fruticis collemata notabantur. Qvæ vis epithematis licet memoriam, intentionemq; procuraret, tamen naturâ sui etiam vigilias inferebat.* Mox: *Hanc igitur fœminam tali multorum curatione callentem cùm Deorum nonnulli Iatricem, alii Genethliacen, diversis rerum operibus æstimarent, adderetur q; fidei medendi solertia, qvod eam opitulari posse oris vitiis nec Pallas denegaret, nec ipse Majugena; inconsentaneum tamen videbatur incedere Medicam penulatam.* Qvæ hausit *Martianus* hic Afer in Ægypto, ut rem arcanam, per arcanos etiam verborum Mæandros ita exponit, ut ostendat nihilominus Medicam illam sive Iatricen à Cyllenio, & Majugenâ, hoc est, *Hermete* & repertam olim & educatam fuisse.

X. Colligitur etiam ex tot libris argumenti partim Physici, partim Medici, qvi attribuuntur ab antiqvis *Hermeti*, iniqvum esse, laudem scientiæ Medicæ eidem detrahere. Non tangam nunc Τελεσιγένες Ἑρμῆ ἱερὰ βιβλία, de qvibus ad Ptolemæum Philadelphum *Manethos*, ut apud *Eusebium* legimus in Chronicis; non advo-

advocabo vel Γενικὰ τῦ Ἑρμῦ, de qvibus iterum *Eusebius*; vel Myriogenesin Æsculapii à *Mercurio* profectam, de qva *Julius Firm.* Mathes. l. v. c. 1; vel ἱερὸν λόγον Ἑρμῦ, de qvo *Stobæus* in Physicis; non contendam nunc vel Iatromathematica illa *Hermeti* adscripta, vel *Kyrannidum* librum hodiernum à germano *Mercurio* promanâsse; sed ad partes vocabo libros Physicos, Medicosqve *Hermetis*, qvos inter recenset τὰ Φυσικὰ τῦ Ἑρμῦ [forsan tamen Chemica] *Zosimus*, & ille cev vetustissimus Chemicorum scriptorum *Conringio* laudatus. *Zosimus* autem id agit, l. ix. de Chemiâ, qvemadmodum eruditissimus *Henricus Valesius* Annotat. in *Ammian. Marcellini* l. xxii. observavit. *Sanchuniathon* scripsit περὶ Ἑρμῦ Φυσιολογίας, ut auctor est *Suidas*. *Jacobus Golius*, cùm ex Oriente *Gebri* scripta Arabica secum in patriam afferret, attulit & opus *Hermetis* de Venenis & Antidotis, qvod adhuc Lugduni Batavorum exstat. In bibliothecâ Th. Erpenii libellus erat Arabs, titulo, *Hermetis de lapidibus pretiosis*. Qvo credibile est usum jam olim *Albertum Magnum*, in erudito, & *Conringio* etiam laudato de mineralibus opere, in qvo ad *Hermetis* testimonium freqventer provocatur. Vidisse *Tertullianum* hæc ipsa *Hermetis* scripta vero simillimum, cùm disertè libr. adversus Valentinianos *Mercurium Trismegistum* Magistrum omnium Physicorum pronunciet. Esto, perierint horum librorum alii, alii centonibus hinc inde perperam assutis deformati veterem non fateantur majestatem, id tamen, qvod hic qværimus, vel ex solis librorum titulis conficitur, nimirum *Hermetem* olim scriptis Physicis, Medicisqve inclaruisse.

XI. Agmen claudit illustris *Clementis Alexandrini* locus Stromat. l. vi. *Sunt ergo qvadraginta duo libri Hermetis valde necessarii; ex qvibus triginta qvidem & sex, qvi continent omnem Ægyptiorum Philosophiam, ediscunt ii, qvi ante dicti sunt: reliqvos autem sex* παστοφόρους, id est, *qvi gestant pallium, ut qvi pertineant ad Medicinam, nempe de constructione corporis, & de morbis, & de instrumentis, & medicamentis, & de oculis, & postremò de mulieribus. Et res qvidem Ægyptiorum, ut paucis dicam, sunt ejusmodi.* *Conringius* ut hoc testimonium elevet:

Et

Et vero, inqvit, *qvid est manifestius qvàm illa hujus ævi commenta cum priscis Sacerdotum narrationibus adversâ fronte dissidere? qvis in monumentis omnis prioris ævi legit, universam Philosophiam & artem Medicam ab Hermete literis & libris fuisse traditam? & tamen neq; Græcos, neq; Latinos potuissent istæc fugere, qvùm multis seculis Ægyptum omnem durissimo imperio tenuerint, omnisq; sapientiæ curiosi satis fuerint scrutatores.* Monstret dissidium illud *Conringius*! Prisci Sacerdotes apud *Diodorum* Siculum l. 1. tradunt *Hermetem disciplinarum & artium fuisse inventorem.* Galli apud *Jul. Cæsarem* de bell. Gall. l. VI. agnoscunt *Mercurium omnium artium inventorem. Clemens Alexandrinus* qvænam fuerint illæ artes, speciatim exponit & l. v. & l. VI. Si invenit illas *Hermes*, necesse est descripserit, alioqvin inventæ citò periissent. Qvin & scripsisse varia ex superioribus liqvet. Et si nemo alius scripsisse *Hermetem* testaretur, testimonium *Clementis*, hominis eruditissimi & veracissimi, immò forsan popularis *Hermetis*, adeoq; rerum Ægyptiarum scientissimi satis luculentum esset. Qvod si *noviter illa à sacrificulis conficta essent*, ut pertendit *Conringius*, scripsisset id qvoqve, nemini obsequi certus, nisi veritati. Hinc furta & flagitia Philosophorum Græcorum adeo non tacet, ut indelebile iis ob crebra mendacia stigma inurat, non parsurus Ægyptiis profanis ipse sacer, si hac parte deliqvissent, ut neqve pepercit aliis, l. III. Pædagog. c. II. *Sed non potuissent ista fugere Græcos & Romanos.* Duo respondeo, *unum*, plerosq; regnatorum Græcorum, Romanorumq; contempsisse hæc sacra, reliqvos ad omnia nõ fuisse admissos. Probè ipse *Clemens Alexandr.* Strom. v. Αἰγύπτιοι δὲ πᾶσι ὁπωσοῦν τὰ παρὰ σφίσιν αἰτήσασι μυστήρια. i. e. *Ægyptii non qvibuslibet ea, qvæ erant apud ipsos, committebant mysteria.* Neqve vero hîc loqvitur *Clemens* de libris Hermetis, ut vulgò parabilibus, sed producit eos, ut sacrum aliqvod κειμήλιον, inter solennes qvasdam ceremonias à Sacerdotibus Ægyptiis in religiosâ qvadam processione dignis ostensum. *Alterum est*, Græcos, Latinosqve antiqvos Palæstinæ diu imperâsse, nec, qvæ vel tractarent ipsi Jerosolymitani Sacerdotes, vel eorundem libri, satis explorâsse unqvam. Testis l. Hist.

v. *Tacitus*, in rebus Judæorum explicandis fœdissimè lapsus; testis *Justinus* l. xxxvi. de Mose & Josepho fabulatus vanissima, ut alios prætream; & tamen jam tum sacra monumenta per Ptolemæum Philadelphum in lingvam Græcam migraverant. Cur non similia Græcis, Latinisqve in Ægypto contingerent, præsertim gente invidâ, & sacrorum suorum retinentissimâ? *Diodorus* ut alienigena, non admissus fuit ad spectandas sacras illas Ceremonias, ergo non mirum, libros *Hermetis*, qvi in iisdem circumferebantur, ipsi non fuisse conspectos; *Ammianus Marcellinus* l. xxii. de Ægyptiis Sacerdotibus: *Initia*, inqvit, *prima sacrorum cautè tuentur condita scriptis arcanis.* In qvem locum *Valesius*: *Intelligit*, inqvit, ἱερὰς βίβλους, qvas *à Mercurio Trismegisto interpretatas*, *in adytis Ægyptiorum reconditas esse tradit Manetho.* Qvid qvod *Clementis* hoc testimonium, ex *Philisti Syracusani* libris descriptum esse agnoscat *Kirckerus*. Constat autem *Philistum* illum *Eudoxo Cnidio* ætate supparem fuisse, de qvo *Vossius* l. de Histor. Græc. Hic *Conringius*, ut libros *Hermetis* suspectos reddat, l. i. c. iv. urget ex *Jamblicho*, & *Proclo Lycio*, Ægyptios ævo Hermetis, immò & seqventi, inscripsisse doctrinam suam non papyro, sed columnis. Vexat etiam acriter illa l. i. Chronic. Euseb. Ἐκ τῶν Μανεθῶ τὰ Σεβεννύθε ὃς ἦν ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου ἀρχιερεὺς τῶν ἐν Αἰγύπτῳ εἰδώλων γεγραμμένα, ἐκ τῶν ἐν τῇ Σειριαδικῇ γῇ κειμένων στηλῶν, ἱερᾷ, φησί, Συριακίῳ καὶ ἱερογραφικοῖς γράμμασι κεχαραγμένων ὑπὸ θοὺθ τοῦ πρώτου Ἑρμοῦ, καὶ ἑρμηνευθέντων μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐκ τῆς ἱερᾶς Συριακῆς εἰς τὴν ἑλληνίδα φωνὴν, γράμμασιν ἱερογλυφικοῖς, καὶ ἀποτεθεισῶν ἐν βίβλοις ὑπὸ τοῦ Ἀγαθοδαίμονος τοῦ δευτέρου Ἑρμοῦ, παιδὸς ὄντος τοῦ Τὰτ ἐν τοῖς ἀδύτοις τῶν ἱερῶν Αἰγυπτίων. Qvæ ita reddit: *Ex Manethonis Sebennythæ, qvi sub Ptolomæo Philadelpho summus Sacerdos Idolorum Ægypti fuit, ex iis, qvæ in columnis positis in terrâ Seriadicâ, sacrâ, ut ait, lingvâ, & literis sacris ab Thoyth primo Mercurio sunt scripta, & post diluvium versa ex sacrâ lingva in Græcam literis hieroglyphicis, & reposita sunt in libris ab Agathodæmone altero Mercurio, Patre Tat, in adytis templorum Ægyptiorum...* Ex his verbis varia elicit *Conringius*. I. *Saltim primus igitur*, inqvit, *Mercurius*, *si Mane-*

Manethoni credimus, librum nullum scripsit, sed columnis sua insculpsit. II. *De altero, quod dixit, Græcè illum vertisse doctrinam avi, & quidem post diluvium, non tantùm refellitur verè sacrâ historiâ Hebræorum, sed vel per se liquet, alienum esse à veritate; utpote quum illo sanè tempore, gens Græcorum fuerit obscura, ignobilis, nec in ullâ doctrinæ laude, imò omnium literarum rudis. Qui ergo in illorum linguam jam tum fuerit sacra & antiquissima doctrina, ab ipso Hermete, patre Tat, hoc est, ipso Trismegisto Mercurio translata?* III. *Accedit quod diu peregrinos omnes, adeoq; & Græcos terræ suæ aditu Ægyptii prohibuerint. Quo tempore Mercurium aut aliquem Græcè scripsisse quis crediderit?* Neque hic quiescit *Conringii* adversus Manethonem vehementia, sed IVtò insurgit acriùs l. 1. c. VII. *Quàm fabulosum præterea est*, inquit, *primùm Thoyth Ægyptium ante cataclysmum scientias columnis inscripsisse, literis hieroglyphicis, sed lingvâ sacrâ, sive Ægyptiacâ, eamq; doctrinam post diluvium versam Græcè, & hieroglyphicis iterum notis in libros translatam ab Agathodæmone, altero Mercurio, patre Tat! Num lingvæ Ægyptiacæ usus fuit ante diluvium illud magnum? Nonne literæ hieroglyphicæ sunt signa rerum, non autem sonorum? Quei potuit itaq; per literas hieroglyphicas vel Ægyptiacè aliquid scribi, vel Græce? Certè Sinensium scripta non est, quod in hanc vel illam lingvam transferas, quoniam & illi utuntur characteribus rerum, non sonorum indicibus. Jam verò Agathodæmon ille, Pater Tat, est utiq; ipsemet Hermes Trismegistus, Isidis Magister; illum verò Græcè scripsisse ridicularium est commentum, ceu suprajam demonstravimus. Taceo vix videri probabile columnas superfuisse à diluvio, quæ doctrinam scriptam comprehenderint; licet illud Josepho etiam sit proditum de quadam columnâ Syriæ.* Animosè ista *Conringius*, nunc videbimus quàm verè. Ut transeant errata quæ in citandis *Eusebii* Græcis commisit, Σεβεννύθ, ὁς, θεὸθ, φησί, & in latino, Ptolomæus, pro Eusebianis, Σεβεννύτ, ὁς, θωὺθ, φησὶ Ptolemæus, constabit spero absurda illa, quæ *Manethoni* impingit, in auctorem *Conringium* reditura. Sanè expenderunt scriptum *Manethonis*, ut viri alii summi, ita nostro hoc seculo *Josephus Scaliger*, & *Ger. Joh. Vossius*, qui de fide exscribentis *Manethonis* non dubitavere,

tavere, sed in eò tantùm peccâsse Ægyptium arbitrati sunt, qvòd annos implicitos, explicitosqve, ceu vocant, non distinxerit. Disertè *Voßius* de Orig. & progress. Idololatr. l. 1. c. XXVIII. *Facilè qvidem hunc sibi nodum exsolvere videntur: qvippe Manetho ajunt fucum fecisse Ptolemæo. Sed enim scribebat Regi se ista hausisse ex columnis Seriadicis, atq; aliis monimentis hieroglyphicis. Ubi si falleret, redarguissent eum Sacerdotum alii: si non ob aliud, saltem ut sic gratiam sibi Regis conciliarent. Nunqvam enim defuere, qvi bene sibi esse mallent, qvàm alteri. Qvamobrem existimo Manetho qvidem optimâ fide exscripsisse ista, unde profitebatur: sed in eo cum sacerdotum aliis, ob antiqvi temporis tenebras aberrâsse, qvòd, qvas primo tomo dynastias refert, eas putârit alias aliis semper successisse; cùm multæ, ut loqvuntur, non successivæ fuerint, sed collaterales; hoc est eodem tempore, diversis fuerint locis.* Et qvis credat *Manethoni* tantum adfuisse impudentiæ, ut ad *Hermetis* scripta in Ægypto provocaret, coram Rege Ægyptio & sapientissimo, & scientissimo literarum, nisi ostendere eadem posset, si ingrueret necessitas? Ita autem ille apud *Eusebium Pamphilum* in Chronic: Βασιλεῖ μεγάλῳ Πτολεμαίῳ Φιλαδέλφῳ Σεβαστῷ Μανεθῶς ἀρχιερεὺς, καὶ γραμματεὺς τῶν καθ' Αἴγυπτον ἱερῶν ἀδύτων, γένει Σεβεννύτης, ὑπάρχων Ηλιουπολίτης τῷ δεσπότῃ μοῦ Πτολεμαίῳ χαίρειν. Ἡμᾶς δεῖ λογίζεσθαι, μέχρις βασιλεῦ, ὧν εἰ πάντων, ὧν βάλῃ ἡμᾶς ἐξετάσαι πραγμάτων. Ἐπιζητῶν δή σοι ὧν εἰ τῶν μελλόντων τῷ κόσμῳ γίνεσθαι, καθὼς ἐκέλευσάς μοι, παρεφασήσατο ἃ ἔμαθον ἱερὰ βιβλία γραφείσα τοῦ προπάτορος τρισμεγίστου Ἑρμοῦ. Ἐρρῶσθαί μοι δέσποτα μοῦ βασιλεῦ. Ergo tempore Ptolemæi Philadelphi visi sunt libri sacri ab *Hermete Trismegisto* scripti. Jam tangendæ difficultates à *Conringio* objectæ. I. Ubi scripsit *Manethos* primum *Mercurium* nullum scripsisse librum? an hæc adversâ fronte pugnant, scribere libros, & relinqvere aliqvid inscriptum columnis? Unum certè non evertit alterum. *Julius Cæsar* libros scripsit, & tamen Arimini vidimus columnam marmoream adlocutione ejus ad milites bello civili pulcherrimè inscriptam. Antiqvæ Romanorum leges, & marmoribus inscriptæ vetustissimis leguntur, & vetustissimis libris. Et

qvo-

qvomodo sculptores lapidarii incidissent Hermetica illa columnis, nisi scripta vidissent? Illa ergo scripta, si vel alia nulla edidit, libri *Mercurii* fuere, qvi, ut perennarent diutiùs, indulgente benefico auctore, columnis etiam in emolumentum posteritatis inscripti sunt. Cujus vestigia secuti posteri, licet & illi haud dubiè libros scriberent, artes in columnis tradidere. In qvam rem *Galenus* l. 1. contra Jul. c. 1. *In Ægypto*, inqvit, *olim artium inventum unumqvodq; à communi eruditorum confessu probatum columnis inscribebatur qvibusdam, in sacris locis positis.* II. Optarem ostendi, qvo loco tradat sacra Hebræorum historia, *Hermetem posteriorem* non vertisse à diluvio prioris *Hermetis* doctrinam. An in *Conringianis* hæc exstant bibliis? certè in nostris nusqvam. Gentem autem Græcorum ignobilem & literarum omnium rudem fuisse, vertente scripta illa *Hermete posteriori*, qvomodo probaverit *Conringius?* facit qvidem *Hermetem* primum avum posterioris, sed ubi id in *Manethonis* verbis legitur? Et si legeretur, notum, neqve πεππάπους Græcis, neqve *avum* latinis semper proximum designare progenitorem, sed frequenter eos, qvi longo intervallo antecesserint. *Virg.* IV. Georg.

Stat fortuna domus, & avi numerantur avorum.

Ovid. l. IV. Eleg. VIII.

Seu genus excutias, eqvites ab origine primâ
Usq; per innumeros, invenietur avos.

Sic illud *Virgilii* de Pico: Æneid. VII.

Imperat, & solio medius consedit avito,

denotat solium ab atavis, tritavisqve possessum, qvos ipse omnes *avos* ibidem appellat, Italum, Sabinum, Saturnum, Janum, alios. Πεππάπους autem hic ipse *Manethon* in epistolâ Ptolemæo Philadelpho inscriptâ appellat *Hermetem posteriorem*, qvem tamen non dubium est aliqvot seculis præcessisse *Manethonis* ætatem. Neqve δεύτερος semper notat *secundum*, sed sæpe *ultimum*. Ut enim præteream illud solenne τὰς δευτέρας φροντίδας εἶναι σφαλερὰς. *Homer.* Iliad. χ.

Μήτις κῦδος ἄεθλα βαλὼν, ὁ ὕστερος ἔλθοι.

& passim alibi. Constat autem ex *Tullio* l. III. de Natura Deorum, fuisse *Mercurios* qvinqve, qvos inter ultimum numerat Thoyt Ægyptium. Fuit ergo fortassis δεύτερος ille Ἑρμῆς omnium Mercuriorum ultimus. Sed esto, significet hîc δεύτερος præcisè secundum, fuerit hic *Trismegistus* secundus Ægyptiorum *Mercurius*, [Græcorum reliqvi] qvando tamen ille secundus vixerit, qvî demonstrabit *Conringius*? Potuit sanè aliqvot seculis post primum vixisse. Qvot secula numerant Theologi inter primum & secundum Adamum? Scripserit post cataclysmum *secundus*, sed qvo anno, qvo seculo post cataclysmum, definire non est humani ingenii. Qvid qvod incertum hodieqve, qvemnam *Manethos* cataclysmum respiciat, universalemne illum & magnum, an Ogygium, an verò Deucalionéum; ut adeoqve temerarium sit scribere, *illo scribente Græcorum gentem literarum omnium rudem fuisse.* Qvin si *Ælian*o, & *Cedreno* fides debetur, vixit *Hermes* ille secundus imperante Sesostre. Ita *Ælianus* Var. Hist. l. XII. c. IV. Φασὶν Αἰγύπτιοι Σέσωστριν παρ' Ἑρμοῦ τοῦ Νοήμονος ἐκμαθεῖν. i. e. *Ægyptii dicunt Sesostridem à Mercurio, solertiam & consilia didicisse.* *Cedrenus* autem: *Sub Sesostri*, inqvit, *ferunt Mercurium in Ægypto innotuisse, admirabilem virum, & sapientiæ causâ stupendum. Is Dei universi hujus conditoris tres esse maximas facultates, unicam verò divinam naturam dixit, itaq; etiam Trismegistos Hermes denominatus est.* Sesostrem autem non ita multò ante Iliaca tempora vixisse ex Evterpe *Herodoti* palam est; qvâ utiqve tempestate *literarum omnium rudem fuisse Hellada*, cui fiet verisimile? Neqve prudentiùs duo *Mercurii* confunduntur, qvorum utriqve non immeritò convenit *Trismegisti* nomen, *primo*, qvòd omnes artes invenerit, columnisqve inscripserit; *secundo*, qvòd collapsos præ vetustate nimiâ characteres veteres, & cum iis sepultam eruditionem omnem novus stator pristino nitori restituerit. Unde & Mercurius secundus in *Asclepio* freqventer *Trismegistus* appellatur. III. Illud autem *Conringii* frigidius est, *Hermetem secundum non vertisse primi doctrinam in lingvam Græcam, qvòd ante Psammetichum inaccessa peregrinis fuerit Ægyptus*; ostendere potiùs debuit inaccessam

sam Ægyptiis fuisse Græciam. Fac enim Græcos non adiisse tum Ægyptum, ut docerent *Hermetem*, qvid prohibet, qvò minus *Hermes* adierit Græciam, ibiqve didicerit saltem lingvam. Peregrinatum certè *Trismegistum* constat tum in Phoenicià ex *Philone Byblio*, tum in Italià ex *Cedreno*. Sed ut hoc mittamus, nè verum qvidem illud est: *Si ad Psammetichum Regem Ægyptii aditu terræ suæ prohibuerint alienigenas*, ergo ne Magister qvidem lingvarum admissus fuit ad edocendum vel Regem, vel purpuratorum optimos. Reges enim cùm aliis leges scribunt, non sibi adimunt libertatem. Licuit, opinor, Pharaoni totam Josephi familiam in Ægyptum admittere. Licuit Abrahamo visere Ægyptum. Prohibentur hodie Judæi aditu Hispaniæ, Lusitaniæ, Galliæ, inveniet tamen paulò curiosior & Madriti, & Olyssippone, & Parisiis Judæum. Prohibiti fuere hactenus aditu Britanniæ Jesuitæ, & qvidem severissimè, ego tamen Jesuitam Reginæ in publicâ concione adstantem Londini conspexi. Eqvidem prohibebantur olim aditu Ægypti advenarum ferociores, ut nimiùm militares animi, & prædis intenti, sed vel lingvarum Magistros, ut innocentissimum genus, vel scientiarum studiosos penitus excluſos fuisse probaverit *Conringius* ad Calendas Græcas. Neqve verò mos ille Ægyptiorum in advenas obliqvior duravit tantùm ad Psammitichum [ita Herodotus] sed ad Ptolemæum usqve Philadelphum; Vox *Diodori Sic.* l. 1. Ἀπὸ δὲ τῶν ἀρχαίων χρόνων ἄχρι Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου διεσωζετο ἡ τῶν ἱερέων πολιτεία, καὶ οὐκ ὀλίγοι τῶν Ἑλλήνων ἐπεδήμησαν εἰς Αἰθιοπίαν, ἀλλ' ἔτι μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων τῆς Αἰγύπτου διεσώθησαν. Et tamen ante Ptolemæum hunc, & *Platonem*, & *Pythagoram*, & *Solonem*, & alios Græcorum ingeniosiores, pacatisqve studiis deditos diu in Ægypto commoratos fuisse evidentissimum est. IVtò. Fingit sibi spinas *Conringius*, & nebulas, ubi nullæ sunt. Demonstret intelligenda *Manethonis* verba de diluvio illo magno, qvo non demonstrato, ruit mole suâ minax ille aries: *Num lingvæ Ægyptiacæ usus fuit ante diluvium illud magnum?* Utqve id *Manethos* tradidisset, nihil esset periculi, qvemadmodum jam ante ostendimus l. de Ort. & Progress. Chemiæ. Qvod autem

Conrin-

Conringius adjicit: *literas hieroglyphicas signa esse rerum, non autem sonorum, igitur non posse per eas vel Ægyptiacè aliqvid scribi, vel Græcè*, id aliqvid nihil est. Probet *Conringius* Hieroglyphicas ante diluvium ejusdem fuisse conditionis cum iis, qvæ diluvium secutæ sunt! Illud ex hieroglyphicis *Hori*, *Clementis*, *Kirckeri*, qvæ omnes diluvio posteriores sunt, velle ostendere, est funiculum texere ex arenâ. Dices, *nihil adeò constare nobis de naturâ hieroglyphicarum ante diluvium; ergo nec statuendum, ea sonos expressisse.* Respondeo, ex hoc ipso fundamento, non præfractè negandum, qvod de iis tradit antiqvissimus *Manethos*, sed acqviescendum potius sententiæ ejus, qvàm fingenda absurda, qvæ nulla sunt, qvæqve levi declinatione irrita reddi possunt, & in auctoris caput relabi. Neqve etiam solus *Manethos* ista, similiaqve tradit, sed disertiùs Chemicorum antiqvissimus, judice *Conringio*, *Zosimus*, qvemadmodum jam jam ostendimus. Posse autem hieroglyphica sonos exprimentia in omni lingvâ formari nullum est dubium, deqvo operosiùs actum nobis *dissert. de Ort. & Progr. Chemiæ.* Qvod autem hieroglyphica illa primi Hermetis spectat, qvæ columnis in terrâ Σηελαδικῇ inscripta docet *Manethos*, credit eruditissimus *Henr. Valesius* in *Marcellin.* legendum fuisse Συριγγικῇ, non Σηελαδικῇ, qvod & oppidò verisimile reddit illud *Ammiani Marcellini*, qvi ipse Ægyptum lustravit l. XXII. *Sunt &* [in Ægypto] *Syringes subterranei qvidam & flexuosi recessus, qvos, ut fertur periti rituum vetustorum adventare diluvium præscii, metuentesqve ne ceremoniarum obliteraretur memoria, penitus operosis digestos fodinis per loca diversa struxerunt: & excisis parietibus volucrum, ferarumqve genera multa sculpserunt, & animalium species innumeras, qvas hieroglyphicas literas appellârunt.* Qvo tendunt & illa *Martiani Capellæ* l. II. *Erantqve*, inqvit, *qvidam libri sacrâ nigredine colorati, qvorum literæ animantium credebantur effigies, qvas librorum notas Athanasia conspiciens, qvibusdam eminentibus saxis jussit adscribi; eademqve saxa stelas appellans, Deorum stemmata præcepit continere.* Idem l. VIII. *Per immensa spatia seculorum*, inqvit Astronomia, *ne profanâ loqvacitate vulgarer, Ægyptiorum clausa adytis occulebar: qvadringenta ferme*

anno-

annorum millia illic reverenti observatione delitui: atq; utinam post diluvialis consternationis excursum, Athenarumq; urbem longâ intercapedine restitutam nullæ me in Græciâ terrestres illecebræ, nec jactantes crinitorum scopæ palliolis tegendam potiùs, qvàm divulgandam cognovissent. Qvadraginta scripserat, opinor, *Capella*, secutus calculum Ægyptiorum, qvibus & anni menstrui [de qvibus *Plutarchus* in Numa] & collateralium, ut appellat *Vossius*, Regum anni pro successedentibus ordine collocati tantum numerum effecerant. De iisdem Syringibus *Pausanias* Atticis: *Colossum*, inqvit, *qvi Thebis Ægyptiis est, non longè ab eo loco, qvem Syringes appellant, majori admiratione conspexi.* *Callistratus* Ecphras. 1. Ἄντρον ἰδὼν, inqvit, τῶν Θήβας τὰς Αἰγυπτίας κεκοσμημένον σύριγξι. In his ergo antris Syringicis reliqvit *Hermes primus* ea hieroglyphicis characteribus signata, qvæ *posterior Hermes* postea explicatiùs reddidit, ut *Manethos* testatur; de cujus fide cùm nec dubitent ævo nostro viri summi *Scaliger*, *Vossius*, *Valesius*, alii, nec jam olim dubitârit vel *Eusebius*, vel *Josephus* l. 1. contra Apionem, nec qvicqvam in contrarium urgeat *Conringius* satis solidum, efficaxqve restat credere, vera esse illa *Eusebii*, & *Manethonis*, *Hermetem primum libros scripsisse hieroglyphicos* [qvemadmodum & Martiano Capellæ expressè *libri* appellantur] eosqve ab *Hermete posteriori* in lingvam Græcam versos fuisse.

Neqve officit V. Conringii argumentum: *vix videri probabile, columnas superfuisse à diluvio, qvæ doctrinam scriptam comprehenderint.* Cur enim non probabile videàtur columnas saxeas durissimas post annuam inundationem retinere inscriptos sibi characteres? An aqvæ diluvii ejus acrimoniæ fuere, ut saxa firmissima perederent? qvod nè aqvis qvidem fortibus, Regiisqve hodie dictis concessum. Accedit clarum *Josephi* testimonium l. Antiqv. Judaic. 1. c. III. de columnis illis, qvibus Seth ante diluvium inventa sua inscripsit, qvarum unam scripsit *Josephus* suo tempore μένειν ἄχρι τῆς δεῦρο ἔτι τῷ Συριάδι. Atqve ut non repetam nunc superiùs attacta *Marcellini* & *Capellæ* testimonia; ut præteream illud *Jamblichi* l. 1. de Myster. Ægypt. *columnas in Ægypto refertas esse Mercurii doctrinis.* Item,

Pythagoram, Platonemq; varia in Ægypto didicisse ex columnis Mercurii, certus sum non ita temerè scripturum fuisse *Conringium*, si vel Romæ tot antiqva marmora, & nummos æreos vidisset, salvis characteribus post tot seculorum lapsum ex terrâ, imò ex alveo Tiberino, qvod ipsemet conspexi, erutos in lucem prodire; vel, qvod præponderat, si antiqvissimos illos Ægyptiorum obeliscos ibidem fuisset intuitus, qvi cùm ex solido marmore Thebaico rubro leucostricto constent, infinitas literas sibi impressas ita hodie repræsentant accuratè, post intervallum aliqvot annorum millium, post tot imbrium, tempestatumqve injurias, ut pleræqve nudius tertius insculptæ videri possint. Erant autem Syringes ejusmodi ad Thebas Ægyptias, ut ex *Pausaniâ* & *Callistrato* ostendimus, ut proindè non defecerint Hermetem saxâ Thebaica in omne ævum duratura, qvibus doctrinam suam incidi juberet. Hîc cùm manifestè teneri se videat *Conringius*, fatetur tandem in Apologet. contr. Borrich. fieri id potuisse, ut columnæ à diluvio superfuerint, qvæ scriptam doctrinam comprehenderent, *neq; se illud omnino, aut ἁπλῶς negaviſſe*. At satis est negâsse, si qvis scribat: *vix videri probabile*: Imò verò satis est probabile, cùm *Manethos* id scribat, cùm saxa alia vetustissima Ægyptia cum insculptis sibi doctrinis hodieqve perennent. Sed qvia confitentem videmus reum, faciles erimus in absolvendo. Qvod autem addit *Conringius* in Apolog. eadem: *se monimentum illud Sarisburiense Britannicum longè ultra Danici imperii tempora retulisse ad Gigantes*, illud non tam dubito ab eo factum, qvàm miror nullis saltem speciosis fultum rationibus hominem, qvi Britanniam vidit nunqvam, multò minus saxeum illud monimentum, audere indigenis, sapientissimis viris, & in iis Regio Medico magni nominis *Gvalthero Charletoni* contrarium se ostendere, qvi multis & evidentibus argumentis hanc laudem Danis asserit libro, cui titulus: *Stoneheng restored tho the Dans*. Cui cùm Londini gratularer illum veritatis amorem, ostendit mihi humanissimè aliud, immò locupletius antiqvitatis Danicæ in Angliâ monimentum, qvod in Wiltshire exstat, ubi saxa plurima, xxxiv. circiter pedes alta, in

orbem

orbem latiorem disponuntur, circulo alio minori lapideo interiùs conspicuo, in cujus medio saxum unum erigitur XL. pedum altitudine, incolis *King-stool* appellatum, ut Danorum *Kong-stool* agnoscas, durantqve similia apud nos in publico saxa licet minora, ad qvæ Reges olim Danorum imperandi jura auspicati sunt.

His ita extra omnem dubitationis aleam, opinor, positis, restat inqvirere, cur non expressiùs vel Ægyptii, vel Græci tribuerint Medicinæ inventionem *Hermeti*. In promptu responsio est: Ægyptii, ut causam saltem speciosam redderent attonitæ illius, qvam Isidi deferebant, venerationis, deficientibus aliis operosè laudandi argumentis, Medicinæ inventum ipsi freqventiùs adscripsere, connivente in illâ meritorum aliorum multitudine *Hermete*, & Reginæ titulum honoratum, cùm ipse aliis innumeris inclaresceret, facilè indulgente, exemplo magnarum mentium, qvæ securæ meritorum, gloriæqve suæ, supervacuas laudes inter amicos partiri non dedignantur. Qvanqvam inficiandum non sit, Isidem, cùm hoc unum postea ageret, inventis *Hermetis* multa & præclara pharmaca adjecisse. Neqve etiam Ægyptii apud *Diodorum* tradunt Isidem primam esse Medicinæ inventricem, sed φαρμάκων πολλῶν πρὸς ὑγίειαν εὑρέσιν γεγενῆσθαι. Hac ratione, qvæ de *Hermete* tradit *Diodorus*, & de Isside, egregiè consentient. Græci autem, utcunq; aliqvando meliùs edocti, more suo artium incunabula ad Deorum filios transferre solebant. Testis εἰσαγωγὴ ἢ ἰατρὸς Galeni, sive qvisqvis demum ejus libri auctor est: Ἕλληνες, inqvit, τῶν τεχνῶν τὰς εὑρέσεις ἢ ἀρχὰς παισὶν ἀναπτέμπειν, ἢ πάνυ ἐγγὺς αὐτῶν, οἷς πρῶτοι οἱ θεοὶ πάσης τέχνης ἐκοινώνησαν· ὅτως ἔν γε τῷ ἰατρικῷ πρῶτον μὲν Ἀσκληπιὸν παρ' Ἀπόλλωνος τοῦ πατρὸς φασὶν ἐκμαθεῖν, καὶ ἀνθρώποις μεταδοῦναι. διὸ καὶ δοκεῖ εὕρετὴς γεγονέναι αὐτῆς. i. e. *Artium inventiones, vel Deorum filiis, vel qvibusdam eorum propinqvis, qvibus Dii primi artem communicavere, Græci ferunt acceptas. Hac igitur ratione & Æsculapius, Medicinæ, qvam primus ab Apolline patre institutus hominibus tradidisse dicitur, inventor exstitisse apparet.* Apparet, inqvit, & probè, verum enim inventorem Medicinæ fuisse *Æsculapium* re ipsâ falsum deprehenditur, qvòd lau-

dem illam *Hermeti*, ut artium omnium inventori antiqvitas nobilior reſignet. Qvid qvòd multis antenatum Æſculapium Græcum ſeculis inclaruit in Ægypto Medicina, ut vel ex Moſe conſtat Jacobi mortem deſcribente. Æſculapius enim ille Grajus cum Dioſcuris interfuit demum expeditioni Argonauticæ, paullo ante Trojanum excidium, ut teſtatur in Argon. *Apollonius Rhodius.* Ægyptius autem Æſculapius *Hermetis* diſcipulus fuit, ſi credimus *Jul. Firmico* Matheſ. l. III. c. 1. & præf. l. IV. Qvin ipſe Apollo, [qvem Patrem Æſculapii fuiſſe diſcimus ex Octavio *Minutii Felicis*] qvi apud *Ovid.* Metamorph. l. I. vociferatur:

Inventum Medicina meum eſt, opiferq; per orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis

Horus fuit, Iſidis filius, ſi *Diodorum* audimus. l. I. Τὸν ὃ Ὧρον μεταμπνευόμενον φασὶν Ἀπόλλωνα ἰατρεύειν, καὶ τὴν τι ἰατρικὴν, καὶ τὴν μαντικὴν ὑπὸ τῆς μητρὸς Ἴσιδος διδαχθῆναι. Igitur Horus, ſive Apollo edoctus fuit à matre Iſide, Iſis ab *Hermete*, ut ante ex *Diodoro* oſtenſum, manifeſto argumento *Hermetem* primum Medicinæ fuiſſe inventorem.

Cap. III.

I. Ex taciturnitate priſcorum Ægyptiorum non colligi, Hermetem non fuiſſe Chemicum. Cur autem tacuerint de eâ arte priſci, egregiè exponi à Zoſimo, Stephano Alexandrino, & Iſidis libro. II. Antiqviſſima Ægyptiorum monumenta alios Chemiæ auctores laudare, fruſtra perſvaſum Conringio. III. Olympiodorum neqvaqvam favere opinioni Conringianæ, ſed noſtræ; clariſſimè etiam Zoſimum. IV. Argumentum à Græcis & Romanis Ægypti

gypti qvandoqve dominis, artis tamen illius conatus ignorantibus petitum non rectè se se habere. V. Vestigia qvædam antiqvæ Chemiæ apud Homerum & Orphea exstare. VI. Eadem colligi ex connubio Martis & Veneris Homerico. VII. Item ex fabulâ de filiis Aloëi; manifestissimè autem ex Cedreno constare χρυσοποιΐαν Hermeti deberi. VIII. Exstare etiam indicia apud Dionem Chrysostomum. IX. Conringium de ortu Chemiæ pugnantia loqvi, immò argumenta ejus pro Chemiâ, qvam itidem Ægyptiis tribuit, esse invalidissima: non deesse tamen momenta alia, qvæ id persvadeant fortiùs. X. In illis esse scripta Antiqvorum. XI. Esse immensam illam auri vim, qvâ abundavere Ægyptii primis à diluvio seculis. XII. Incredibilium sumptuum moles ibi constructas. XIII. Divitias & thesauros etiam Mosis ævo ibidem celebres. XIV. Vel ex uno illo aureo circulo in Osymandyæ sepulcro de cæteris fieri posse judicium. XV. Ex scriptis Democriti satis constare antiqvam esse Chemiam, nec Conringium de magni illius Philosophi scriptis rectè sensisse. XVI. Jul. M. Firmici pro antiqvitate Chemiæ validius esse argumentum, qvàm visum Conringio. XVII. Manuscripta Chemica antiqva idem docere, & de iis non inspectis immaturum esse Conringii judicium. XVIII. Illustrem Suidæ locum de Antiqvitate Chemiæ, non

posse ita declinari, ut Conringio persvasum. XIX. Neqve in secundo Svidæ loco explicando Conringium dexteriùs versari. XX. Calices Ægyptiorum allassontes Hadriani ævo in Ægypto notos Chemici artificii exhibere vestigia. XXI. Cur de hydrargyro nihil usqvam videantur scripsisse Ægyptii? XXII. Qvid in gemmis imitandis præstiterint Ægyptii veteres? & ánne scierint artificium conficiendi vitri, qvod malleum ferat?

SEd contemplemur tertium *Conringii* adversus *Hermetem* telum! *Ut tamen*, inqvit, l. 1. c. III. *omni ex parte tuta sit veritas, etiam de Chemiâ ipsâ illâ μεγαλαγχνῃ demonstrabimus Hermeti auctori neqvaqvam illam deberi, ut ut in Ægypto natam primò & altam confiteamur.* Id ut demonstret, urget 1. *Apud priscos Ægyptios, cùm multa dixerint in Hermetis sui laudem, multaq; illi ut inventori adscripserint, inter illas laudes tamen, interq; illa inventa Chemiæ nullam mentionem occurrere.* Cæterùm illud non est demonstrare, sed suspicari tantùm. Neqve enim in illâ librorum Ægyptiacorum penuriâ, certò constare potest *Conringio*, an Ægyptii olim Hermeti Chemiæ inventum adscripserint. Laciniæ tantùm Ægyptiacarum rerum, scientiarumqve hinc inde apud Græcos, Arabas, Latinosqve reperiuntur, qvibus tacentibus non confestim existimandum tacuisse antiqvos Ægyptiorum Scriptores. Non utemur tamen excusatione illâ; dabimus liberaliter, in antiqvis Ægyptiorum scriptis inventum Chemiæ *Hermeti* nusqvam diserte assignatum vetustissimis temporibus fuisse; id tamen aliud nihil ostendet, qvàm admirabilem Ægyptiorum in reticendis arcanis suis taciturnitatem, necessariam ipsis utiqve, nè rapinis gentium vicinarum, earumqve prædatricium atqve bellicosarum paterent. Enimvero, si Hermetem artis μεγαλαγχνῃς inventorem apertè declarâssent, & [qvod consequitur]

hoc

hoc ipso cognitum sibi illud artificium ostendissent, jam alios ante Cambysen hostes fuissent experti. Sed in tacito sinu lætari maluere Sacerdotes, sphingas ὅστiis apponentes, ut plus in recessu suo, qvàm in fronte delitescere testarentur. Erant videlicet antiqvissimi Sacerdotes Ægyptiorum homines sapientes, & taciturni, eoq; scientiam illam Chemicam, nomenqve inventoris ejus pertinacissimè celabant, nè nimia illa felicitas raptores acciret, & thesauris invidendis acceleraret ruinam. Probè de iis *Diodorus Siculus*: *Qvæ sacerdotes*, inqvit, *cognita in arcanis habent, nolunt, ut veritas ignota sit, ad multos manare, pœnâ iis etiam adjectâ, qvi ea prodant in vulgus.* *Olympiodorus Alexandrinus* ad Petasium Armeniæ Regem, Εἰς τὸ καθ' ἑτέρους Ζωσίμου: Ἔθος δὲ τοῖς Ἀρχαίοις, συγκαλύπτειν τὴν ἀλήθειαν, καὶ τὰ παίγνια τοῖς ἀνθρώποις δόξαν, διὰ ἀλληγορικῶν τινῶν καὶ τέχνης τὴν φιλοσοφίαν ἀποκρύπτειν. *Zosimus* circa finem: Νόμος δὲ ἦν τοῖς Αἰγυπτίοις μὴ ἐγγράφως αὐτὰ ἐκδιδόναι, τί ἐς ἕν μέμφονται τοὺς Ἀρχαίους, ὡς μὴ μνημονεύσαντας τούτων τῶν δύο τεχνῶν, ἀλλὰ μόνων τῶν λεγομένων τιμίων· μάτην ἢ αὐτοὺς μέμφονται. Οὐ γὰρ ἠδύναντο, φίλοι ὄντες τῶν βασιλέων Αἰγύπτου, καὶ τὰ πρωτεῖα τῇ Περσικῇ ἀρχὴν ἔντες, ἀναφανδὸν μαθήματα τῶν βασιλέων δημοσίᾳ ἐκδίδοσθαι, καὶ δῆλον ἄλλοις πολεμίοις τυραννίδα. Qvod testimonium *Zosimi* egregiè argumento *Conringii* occurrit. *Stephanus Alexandrinus* Εἰς τὸ καθ' ἑτέρους: Κρύψαι δὲ τὴν τέχνην διὰ τὴν τῶν ἀμυήτων ἀφεστηκυῖαν ἐβούλοντο οἱ Ἀρχαῖοι, ἵνα μὴ ὑπ' αὐτῶν καταβληθῇ ἡ πλύσιμος διακόσμησις. Sed ecce jusjurandum, qvo Magistri Chemiæ Ethnici initiabant olim candidatos suos! Ὁρκίζω σε εἰς ἀέρα νοῦν, γῆν, φῶς, καὶ σκότος, ὁρκίζω σε εἰς πῦρ, καὶ ὕδωρ, καὶ ἀέρα, καὶ γῆν, ὁρκίζω σε εἰς Ἑρμῆν καὶ Ἀναβιβύ, ὕλαγμα, καὶ τετρακέφαλον δράκοντα τὸν φύλακα, ὁρκίζω σε εἰς τὸ παθμίον σκεῦος, καὶ ἀχαίρωτα ναυτίλον, ὁρκίζω σε εἰς τὰς τρεῖς ἀνάγκας, καὶ μάσπυγας, καὶ ζίφος, τάπις με ἐφορκίσας παρήγγειλεν, μηδενὶ μεταδιδόναι, εἰ μὴ μόνον τέκνῳ καὶ φίλῳ γνησίῳ, ἵνα ἦ αὐτὸς σύ, καὶ σὺ ἦ αὐτός. Ita in *libro Isidis ad filium Horum* conceptam hanc, firmatamqve tacendi religionem legimus in Bibliothecâ Regis Christianissimi. Christiani autem artis Magistri: Ὁρκίζω σε, καλὲ παῖ, εἰς μακαρίων καὶ σεβασμίαν τριάδα, τὸ ἅγι-

τὸ ἄγιον μὴ διαφθείρειν κυσί. In genere tamen, cùm Ægyptii teste *Jamblicho* l. de Myster. Ægyptior. agnoverint *omnia à Mercurio inventa fuisse*, simul non obscurè indicant Chemiam [qvam & in Ægypto natam fatetur *Conringius*] qvoqve ab eodem profectam esse. Unde Nausicles apud Heliodor. Æthiop. l. v. *Accipio*, inqvit, *hunc divinitus missum lapidem, perspicuum habens & hoc inventum mihi venire more solito à Mercurio Deorum optimo, & beneficentissimo, qui tibi omnino donum per ignem subministravit.* Et mox: *judico lucrum esse pulcherrimum, qvod cum nullâ jacturâ præbentis ditiorem efficit accipientem.* Qvæ cum aliis pluribus ibidem sparsim attacta manifestè loqvuntur & artificium Chemicum, & illud idem Hermeti tanqvam Auctori deberi.

II. Asseverat *Conringius, in antiqvissimis Ægyptiorum monumentis alios ejus artis Auctores laudatos fuisse.* Sed qvænam illa monumenta antiqvissima? *Est*, inqvit, *Minerva Mundi, in qvâ dux mysticæ traditur ὁ Ἀσκληπιὸς ὁ Ἰμούθης. Chemiæ autem artifices καθ' ὑποκλοὴν mystæ olim audierunt, qvod præclarè à Reinesio observatum.* Egregius verò iste *Minervæ* liber, qvem paullò post ipse *Conringius* spurium proclamat, & *circa Constantini Magni ævum, aut etiam aliqvandiu post subdolè effictum.* Ut taceam, vel id solùm elevare interpretationem Conringianam, qvòd nec Chemici unqvam inscriptis suis agnoscant *Asclepium illum* Magistrum suum, sed freqventissimè *Hermetem*, nec ante Olympiodorum [Christianum hominem] eam vim vocis fuisse, vel ipse, vel *Reinesius* ostendat. Secundum *Conringii* monimentum antiqvissimum ex *Zosimo* petitur, *qvi Angelis τοῖς ἐγρηγόροις Chemiæ ortum adscribit.* Sed ipse *Conringius* mox utrumqve hoc testimonium tanqvam futile enervat, in hanc sententiam scribens: *Non dubito eqvidem nihil veri inesse utriqve huic cùm Isidis, tum Zosimi narrationi: satis tamen hinc liqvet, antiqviores Ægyptios Hermeti Trismegisto Chemiæ inventionem nè qvidem per fabulas adscripsisse, qvod sufficit confutandæ, qvæ nunc prævalet, opinioni.* Sed si *Minerva mundi* subdolè conficta est circa Constantini ævum, non potest inter antiqvissimorum Ægyptiorum scripta invenire locum.

locum. *Zosimus* autem [si tamen hæc Germana *Zosimi* sunt] non docet se illa credere, nec ex suâ sententiâ hæc affert, sed ex aliorum monumentis. Neqve verò *Zosimum* ista credidisse vel inde liqvet, qvòd, cùm aliàs ad *Hermetem*, *Ostanem*, *Democritum* freqventissimè provocet in scriptis suis, nunqvam ad Magistros ἐγχειρήσεις. Id qvod tantò confidentiùs adstruo, qvantò majorem curam legendis *Zosimi* scriptis in bibliothecâ Regiâ Parisiis impendi. Sunt autem illa, qvæ ibi versavi: Ζωσίμου περὶ ἀρετῆς καὶ ἀφθορίας ὑδάτων.

Ζωσίμου τοῦ Πανοπολίτου γνησία γραφὴ περὶ τῆς ἱερᾶς καὶ θείας τέχνης τοῦ ☉ καὶ ☽ ποιήσεως.

Ζωσίμου τοῦ θείου περὶ ἀρετῆς καὶ ἑρμηνείας.
Fragmentum ἐκ βιβλ. Παλαιοῦ Ζωσίμου.
Ζωσίμου πλευσταία ἀπαχὴ πρὸς Θεοσέβειαν.
Ζωσίμου περὶ ὀργάνων, καὶ καμίνων.
Ζώσιμος περὶ τῆς ἀσβέστου.
Ζωσίμου μυστικὴ βίβλος.

Præter hos laudat & qvædam alia *Zosimi Reinesius* Var. lect. l. III. c. III.

III. Est adhuc qvod obducat *Conringius*: *Etsi*, inqvit, *Olympiodori Alexandrini supersit Commentarius*, εἰς τὸ καθ' ἐνέργειαν Ζωσίμου ὅσα ὑπὸ [lege ἀπὸ, ita enim inscriptio habet] Ἑρμοῦ καὶ τῶν φιλοσόφων ἦσαν ἑρμηνεία, *& jam tum apud Græcos circumlata fuerint Chemica qvædam Hermetis titulo*, *inventio tamen artis illi non adscribitur*, *sed annumeratur ipse ille Hermes Philosophis aliis*, *ut illi loqvuntur*, h. e. *aliis* τῆς χημευτικῆς *opificibus*. Tandem propria vineta cædit *Conringius*. Enimvero & confiteri hîc cogitur *Hermetem* fuisse Chemicis annumeratum, & simul in hac inscriptione [ut aliàs passim apud Auctores Chemicos] eundem reliqvis Philosophis Chemicis præmitti, evidenti argumento eum primum esse artis inventorem. Agnoscunt Chemici veteres *Hermetem* Chemicum, & neminem eo agnoscunt priorem, antiqviorémve, ergo Chemiæ eum inventorem agnoscant, necesse est. Sed qvid multa? audiatur ipse

Olympiodorus Philosophus, cujus liber alius exstat ad Petasium Regem Armeniæ, de divinâ illâ, ut vocat, & sacrâ arte lapidis Philosophorum, in qvo ita: Τάυτης δὲ, inqvit, πρῶτος τῆς τέχνης ἀναφέρεται Ἀγαθοδαίμων, ὁ τῷ δρόμῳ ἐν τῷ τέλει θεὶς, καὶ τὸ τέλος ἐν τῇ ἀρχῇ. Esse autem Ἀγαθοδαίμονα *Hermetem*, vel ex *Manethonis* verbis superiùs allatis liqvidum est. Et paulo post Idem: Ὁ Ζώσιμος, inqvit, ἐν τῇ καθ' ἑνέργειαν βίβλῳ, ἀληθῶς πρόσφωνεῖ μαρτυρίαν Ἑρμῇ λέγουσα, ἄπελθε πρὸς τὸν Ἀχαὰβ τὸν γεωργὸν, καὶ μαθήσεις, ὡς ὁ πρῶτος σῖτος, σῖτον γεννᾷ. Οὕτως καὶ ἐγὼ λέγω τὰς ἀρετὰς ἀπὸ τῶν ἀρετῶν βάπτεσθαι. Hic *Zosimus* antiqvissimus Chemicus Hermeti antiqviori, ejusqve Oraculis χημευτικοῖς reverentiam se debere agnoscit. Vocat & ad partes *Olympiodorus* Τῦ Ἑρμῦ Ἀρχιτὸ βίβλον, sive librum initiationis Chemicæ *Hermetis*. Et *Zosimus Thebanus* ἐν τῇ μυστικῇ βίβλῳ meminit libri *Hermetis*, cui titulus: Ἑρμῆ Φυσικὰ βαφά. i. e. *Hermetis* Tinctura Physicæ: Præclarè autem in eodem libro *Zosimus* de arte Chemicâ: Ἀλλὰ καὶ τὰς Αρχαίους μέμφονται οἱ Αἰγύπτιοι, μάλιστα Ἑρμεῖ, ὅτι ὅτε δημοσίᾳ αὐτοῖς ἐκδεδώκασιν, ὅτε ἐν παραβύστῳ, ὅτε ἠνοίξαντο καὶ ἐστίν. Αὐτὸς γὰρ μόνος ἀπέδειξεν ὁ Δημόκριτος εἰς τὸ σύγγραμμα, καὶ ἠνοίξατο. Αὐτοὶ γὰρ ἐν τοῖς σήλαις τὰς ἱερὰς τέχνας ἐνέγλυψαν ἐν τῷ σκότει, καὶ τοῖς μοιχοῖς τοῖς συμβολικοῖς χαρακτῆρσιν, καὶ αὐτὰς, καὶ τὴν χωρογραφίαν Αἰγύπτου, ἵνα κἂν τὰς πολυμήτας ἐπιβῆναι, τῶν μοιχῶν τὸ σκότος τῶν πλημμελημένων ἐπιλύσεων μὴ ἔυρῃ ἐπιλύσασθαι τὸν κακακτῆρα μετὰ σαυτὴν πόλεμον καὶ κάματον. i. e. *Sed & Ægyptii incusant antiqvos, præcipuè autem Hermetem, qvòd artem nec publicè tradiderint, nec privatim, occultèq; immò nè qvidem artem talem dari significaverint. Solus autem Democritus ostendit scripto, aperuitq;. Sed illi* [Hermes & reliqvi antiqvi] *columnis insculpsere in locis qvibusdam tenebricosis* [i. e. in Syringibus] *& qvidem literis symbolicis spuriis* [i. e. non vulgaribus] *tum sacras has artes*, [ita semper Zosimo vocatur Chemia] *tum chorographiam Ægypti, ut si qvis ingredi auderet, propriâ industriâ & labore interpretationem characterum ejusmodi spuriorum vagam, errantesq; explicationes non inveniret.* Qvi locus vel solus infinitas *Conringii* objectiones diluit, *Manethonis* sententiæ lucem addit, moresqve

Herme-

Hermetis, & Sacerdotum Ægyptiorum occultatorios vivis coloribus adumbrat. Inter alia *Conringius* Apologet: *Ut autem evicisset*, inqvit, *Borrichius, superfuisse à diluvio columnas, qvæ doctrinam scriptam comprehenderint, qvid hoc faceret ad antediluvianam Chemiam ostendendam?* Conferatur superior *Manethonis* locus cum hoc *Zosimi*, &, si ingenuus est *Conringius*, satisfactum sibi judicabit.

Non sunt hæ, & similes *Panodori*, aut *Syncelli* laciniæ, sed & hos, & *Eusebium* ipsum ætate antevertunt, qvod & *Conringium* fateri oportet, qvi *Zosimum* antiqvissimum scriptorum Chemicorum agnoscit. Profectò, si *Hermes* insculpsit Chemiam, ut hic docet *Zosimus*, columnis syringicis, & qvidem characteribus symbolicis sui generis, necesse est eum Chemicorum antesignanum fuisse, cùm & ea ante diluvium acta esse ex collatione *Manethonis* & *Zosimi* manifestè conficiatur. Decuerat ergo *Conringium* abstinuisse ab illâ Hermetem judicandi, condemnandiqve acerbitate, donec alteram partem patienter audisset, & providè examinâsset. Neqve enim vel auditam sibi hanc fuisse vel examinatam *ipse* fatetur l. Herm. Med. I. c. III. *Non enim hactenus*, inqvit, *integra Zosimi opera typis edita sunt, sed cum aliis Græcis Chemicorum libris latent* ἀνέκδοτα *in nonnullis Hispaniæ, Italiæ, Galliæ, & Germaniæ nostræ bibliothecis: qvæ, fateor, mihi non sunt inspecta.* Si adjecisset: *ergo de Ægyptiorum re Chemicâ, ejusq; primo inventore malim sententiam meam suspendere, qvàm de ignotis judicare*, jam esset cur viri ingenuitatem operosiùs commendaremus.

IV. Artem Chemicam ab *Hermete* non esse profectam, vel inde constare opinatur *Conringius, qvòd Græci, Romaniq; Ægyptiorum olim Domini, & ii auri, argentiq; cupidissimi, & nomen artis & conatus ejus omnes ignoraverint. Neq; enim ante seculum Christianum qvartum ullum Chemici operis fide aliqvâ dignum sibi hactenus occurrisse testimonium.* Hoc eqvidem argumentum, qvantumcunqve videri *Conringio* potest, debilissimi roboris est, laboratq; ἀδολεσχίας vitio: neqve enim satis observat *Conringius* admirabilem illam genti Ægyptiorum insitam taciturnitatem etiam in minoris negotii

gotii rebus, qvæ nullis fidiculis, nullo eculeo immutabatur. Probè *Ælianus* var. Hist. l. VII. c. XVIII. Αἰγυπτίους φασὶ δεινῶς ἐγκαρτερεῖν ταῖς βασάνοις, κἀκ οὐ ῥᾴστον τεθνήξεται ἀνὴρ Αἰγύπτιος τρεβλώμενος, ἢ τ' ἀληθὲς ὁμολογήσει. i. e. *Ægyptios ajunt patientissimè ferre tormenta, & citiùs mori hominem Ægyptium in qvæstionibus tortum, examinatumq́, qvàm veritatem confiteri.* Idem ingenium Pythagoréis ab Ægyptiorum disciplinâ calentibus, apud qvos tam obstinatum etiam in rebus levioris momenti durabat silentium, ut Timycha Pythagoréa dentibus sibi lingvam præciderit, ne causam abstinentiæ Pythagoricæ à fabis prodere cogeretur, de qvo testatur *Jamblichus*. Proindè *Pausanias* in Bœoticis narrat fulminatum Orphea, qvòd mysteria hominibus patefeciſſet. Et *Clemens Alex.* Strom. l. v. expulsum è scholâ Pythagoreum Hipparchum, eiqve tanqvam mortuo impositam fuisse columnam, qvòd decreta Præceptoris sui apertè scripsisset. Non mirum igitur, si Chemiæ arcana conscii non prodiderint, ex qvorum divulgatione malorum Lerna in Rempublicam videbatur redundatura. Qvid qvòd nemo tradat Ægyptiorum nationi promiscuæ hanc scientiam patuisse; nec enim nisi pauci admodum ex ordine sacerdotali, iiqve Regibus intimi, [ut ex *Zosimo* docuimus] artem calluere, qvibus tacentibus, qvid demum Græci, Romaniqve rudi, ignaræqve plebeculæ extorqverent? Ut præteream, videri artem qvasi intermortuam aliqvando elanguisse in Ægypto, tum qvòd non nisi per literas arcanas, easqve in Syringibus reconditas, nec omnibus intellectas traderetur, tum qvia sævitum non raro in Sacerdotum optimos ab irruente hoste, & vita possidentium simul cum scientiis malè multata, id qvod ferociente Cambyse actum, qvi non in Sacerdotes tantùm, sed in templa Memphitica etiam, insanientium more debacchatus est, ut ex *Herodoti* Thaliâ, & *Strabon.* l. x. & XVII. manifestum. Sed jam ante Cambysen Duces Pœnorum oppressere Thebas Ægyptias, & latè eas depopulati sunt, ut auctor est *Ammian. Marcellin.* l. XVII. *Post Cambysen* autem *Cornelius Gallus* [an Ælius Gallus] *Octaviano res tenente Romanas, Ægypti procurator, exhausit civitatem plurimis inter-*

interceptù; reversusq; cùm furtorum accerseretur, & populatæ provinciæ, metu nobilitatis acriter indignatæ, cui negotium spectandum dederat Imperator, stricto incubuit ferro, ut ibidem *Ammianus Marcellinus* tradidit. Nè nunc attingam hostiles Persarum, Æthiopum, aliorumqve per Ægyptum inundationes, in qvibus tot regnorum collisionibus, non mirum tum artes, tum artifices qvandoqve perire. Ita ex *Menecle Barcæo*, & *Androne* apud *Athen.* Deipn. l. IV. c. XXV discimus, liberales disciplinas in Ægypto defeciſſe ob crebros rerum motus ab Alexandri successoribus concitatos, solis Alexandrinis artes illas retinentibus, à qvibus postea & in Græciam, & ad reliqvos Barbaros disciplinæ transierint. Qvin & doctos Alexandriæ tandem à Ptolemæo septimo illo, & Cacergete malè multatos partim periisse, partim in exilium actos. Rediere tamen postea Alexandriam disciplinæ, qvæ ibi etiam *Amm. Marcellino* illas regiones lustrante, erant florentissimæ. Haud aliâ contigisse sacræ Chemiæ in Ægypto verisimile est, qvæ, cùm cœpisset gloriosè, vivo *Hermete*, intepuit post incursiones tot Barbarorum exercituum, & forsan obmutuit per aliqvot secula. Iterum tamen clariùs luxit in Ægypto sub pontificatu Ostanis Medi, cæterorumqve id temporis Sacerdotum Memphiticorum, qvibus audiendis cum fructu vacavit *Abderitanus ille Democritus*, ut ex *Synesii* in Democritum Commentar. liqvidissimum est, ex qvibus haud dubiè sua hausit de Democrito *Eusebius* in Chron. non ex *Syncelli*, aut *Panodori* lacunis.

Sed videamus, *annè ante seculum Christianum qvartum ullum Chemici operis testimonium in bonis Auctoribus occurrat*! Hîc propter obstinatam Ægyptiorum taciturnitatem nemo diserta semper verba exspectet, satis erit vestigia illa probè attendentibus, curiosisq; non posse obscura videri.

V. *Hermes* antiqvissimo Poetæ *Homero*, & ipsi Ægyptio, eoqve de popularis sui sapientiâ rectiùs judicanti non tantùm χαριδότης est, & bonorum promus condus, Hymn. in Mercurium:

Χαῖρ' Ἑρμῆ χαριδῶτα, διάκτορε, δῶτορ ἐάων;

Item Odyſſ. ϑ.

Ἑρμείαν Διὸς υἱὲ, Διάκτορε, δῶτορ ἐάων.

Non tantùm χρυσορράπις eſt, Odyſſ. κ. & ἀγγελοτῶν μακάρων, Hymno in Mercurium; non tantùm natus traditur, eodem hymno enarrante, in antro umbroſo, ubi

Πολλὸς ἦ χρυσός τε καὶ ἄργυρος εἶδον ἔκειτο.

Sed & ibidem Apollo donat ipſi præclaram illam felicitatis & divitiarum virgam auream. Ita enim Apollo:

Ὄλβιε καὶ πλούτῳ δώσω περικαλλέα ῥάβδον
Χρυσείην, τριπέτηλον, ἀκήρεον, ἥ σε φυλάξει
Πάντας ὑπερφιάλους θεούς. i. e.

Dabo tibi, Mercuri præclaram felicitatis & divitiarum virgam auream, trium foliorum, ſinceram, qvæ ſervabit te omnes perficiens Deos. Scilicet *Hermes* Apolline, h. e, luce qvadam cœleſti, arcanâqve [qvam ipſe *Homerus* ibidem clavem lucentem vocat, & μασίγα φαεινὴν] uſus ſincerum illum Philoſophorum lapidem, ex tribus principiis compoſitum invenit, qvo omnes Deos minorum gentium, hoc eſt, inferiora metalla perficere licuit; qvin & *Hermes* in diſcurſu cum Priamo Iliad. ω. fingit ſe Achillis famulum, & πλούκτῳ, inqvit, [id eſt, qvi multa poſſidet, à πλοῦς & κτάομαι] mihi pater eſt, dives ille qvidem & ſenex, ſicut tu, ſex illi ſunt filii, ego ſum ſeptimus:

Ἓξ ἦ οἱ υἷες ἔασιν, ἐγὼ δέ τι ἕβδομός εἰμι.

Ubi *Hermes* nomen ſuum communicat argento vivo, metallorum ſeptimo, in qvo fortaſſis figendo occupabatur. Et qvid aliud colligas ex illo vetuſtiſſimi Orpheos περὶ λίθων.

Ἐς πολυήρατον ἄντρον ἐπλήϑομεν Ἑρμείαο,
Ἔνϑ' ὅγε παιδνίων ἀγαϑῶν κατέϑηκεν ὅμιλον.
Οὐδέ ἑ νὺξ ὀκνεῖ ἀκικὶς ἐὺ μεγάεσσι δαμάσσει.

Et qvæ alia iſtuc ſpectantia ibidem leguntur.

VI. Si curioſo oculo inſpiciatur miſtura illa Martis atqve Veneris, qvam *Homerus* operosè deſcribit Odyſſ. ϑ. non poteſt ſe occulta-

cultare Chemicum qvoddam arcanum; enimvero traditur ibi Vulcanus utrumqve, hoc est, Martem & Venerem Chemicorum ita colligâsse,

—— —— κόπτε ἧ δεσμὸς
Ἀῤῥήκτους, ἀλύτους, ὄφρ' ἔμπεδον αὖθι μένοιεν,

ut dissolvi nescirent,

Οὐδέ π κινῆσαι μελέων ἰῶ, οὐδ' ἀναεῖραι,

Ubi nèqvis de præsentiâ *Hermetis* dubitet, eum ita alloqvitur:

Ἑρμείας, Διὸς υἱὲ, διάκτορε, δῶτορ ἐάων,
Ἦράκεα ἐν δεσμοῖσι θέλοις κραπεροῖσι πεδῆσαι
Εὐδοντ' ἐν λέκτροισι παρὰ χρυσῇ Ἀφροδίτῃ;
Τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα διάκτορος Ἀργειφόντης,
Αἲ γὰρ τῷ γένοιτο ἄναξ ἑκατηβόλ' Ἄπολλον.
Δεσμοὶ μὲν τρὶς πάσαι ὑπείροντες ἀμφὶς ἔχοιεν.

VII. Chemicum qviddam redolet illud Homeri Ægyptii Iliad. ε.

Τλῆ μὲν Ἄρης, ὅτε μιν Ὦτος, κραπεύς τ' Ἐφιάλτης,
Παῖδες Ἀλωῆος, δῆσαν κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ,
Χαλκείῳ δ' ἐν κειρὶ δέδετο τρισκαίδεκα μῆνας.
Καὶ νύ κεν ἔνθ' ἀπόλοιτο Ἄρης ἄτος πολέμοιο,
Εἰ μὴ μετρυιὴ περικαλλὴς Ἠερίβοια
Ἑρμείῃ ἐξήγγειλεν. Ὁδ' ἐξέκλεψεν Ἄρηα
Ἤδη τειρόμενον. i. e.

Passus est & mala varia Mars, cùm ipsum & Otus & fortis Ephialtes Aloëi filii robusto ligarent vinculo, erat autem duro carceri illigatus tredecim mensibus, & fortassis periisset ibi insatiabilis belli Mars, nisi pulcherrima noverca Eeribœa rem indicâsset Mercurio, qvi Martem jam confectum, attritumq; furtim subduxit.

Qvi hîc naturæ consultus in Oto, sive rectiùs Otho, ab ὠθέω impello, non agnoscit nitrum, & in Ephialte, ab ἐφάλλομαι subsulto, salem armoniacum, παῖδας ἁλὸς, & vera balnei pugilum *Basiliani* sub-

subjecta non agnoscit, nec vidit qvomodo post fotum diuturnum *Mercurius* ex hoc balneo Martem secum in altum qvasi furtim attollat, ei haud opportuniùs respondebitur, qvàm *Homerico* illo Odyss. ι.

Νήπιός ἐις ὤϊξεν, ἢ πλέον ἐλπήλυθας.

Expertus sanè fatebitur nihil verius esse illo Oydyss. ω.

Ἑρμῆς ἢ ψυχὰς κυλλήνιος ἐξεκαλεῖτο
Ἀνδρῶν μνησήρων. ι. c.

Mercurius procorum, seu metallorum masculorum animas evocat. Unde *Mercurius* Pythagoræ apud *Laertium* traditur *animarum gvæstor*, qvòd animas puras, purgatasqve in excelsum attollat. Et *Diodoro Siculo Mercurius* ex veteri Ægyptiorum instituto animarum censetur deductor.

At, inqvies, obscurum est, numqvid hæc ita *Homerus* explicanda voluerit. Cæterùm, ι. nihil credibilius, cùm omnia ita admirabiliter conspirent, qvàm *Homerum*, ut hominem Ægyptiũ,& sapientem, qviqve vera hîc palam profiteri religione vetabatur, aliud his fabulis qvàm meras fabulas insinuâsse. Certè aderat Ægyptiis sal ammoniacus, ut ex *Athenæo* constat; aderat nitrum, ex *Strabone*, opportuna balnei pugilum instrumenta. Bene *Origenes* contra Celsum l. ι. *Sacerdotes Ægyptii*, inqvit, *sub nominibus Deorum patriorum philosophabantur.* Unde *Kirckerus* Oedip. Ægypt. tom. ιι. credit Ægyptios à μλυθεία alienos qvidem fuisse, sed apparatum illum Deorum apud eosdem pædagogum fuisse ad res abstrusissimas. Apositè *Plutarchus* de Phys. Græcor. Theolog. Ὅτι μὲν ὅτι, inqvit, ἡ παλαιὰ θεολογία, καὶ παρ' Ἕλλησι, καὶ βαρβάροις, λόγος ἦν φυσικὸς ἐγκεκαλυμμένος μύθοις. *Cicero l.* ιι. de Nat. Deor. *Nam vetus hæc opinio*, inqvit, *Græciam opplevit, exsectum Cœlum à filio Saturno, vinctum aut em Saturnum ipsum à filio Jove. Physica ratio non inelegans inclusa est in impias fabulas.* Qvam cùm eruditè prosequatur more suo de astris cœlestibus *Tullius*, potuisset de terrestribus non minùs eleganter, vereqve exposuisse, advocando frigidum illud Saturni sac-

cha-

charum, qvo facilè salaciores castrantur, ut alia nunc non attingam. Et præcipuè *Dion Chrysost.* Orat. de Homero: *Dissiciendum*, inqvit, πάλαιον Ὁμηρῳ ἤμαρτε τοῦτο, ἢ φυσικὰς τινὰς ἰδέας ἐν τοῖς μύθοις λόγους καὶ τὸ τότε σωφρονικὰ παρεδίδου τοῖς ἀνθρώποις. Et *Pausanias* Arcadicis, docet etiam *eos qvi ex Græcis judicati sunt sapientes jam olim per ænigmata locutos, & ne nunc qvidem facile sine ambagibus loqvi.* II. Qvod fabularum mæandris implicuere Ægyptii, id ipsum nullâ religione prohibitus expressè revelat *Cedrenus* Histor. Comp. pag. XVI. Edit. Reg. Paris. *A morte Jovis*, inqvit, *Faunus eo natus regnum tenuit. Hic denominatus fuit Hermes, qvòd facundus admodum esset, ac Mathematicarum rerum sciens. Is etiam ex metallis auri naturam, confectionémve invenit hominibus.* Græcè ita: Ὃς καὶ τὸ χρυσοῦν τῷ φύσιν [& in margine, ex castigatiori exemplari, τῷ πίησιν] ἐξεῦρεν ἐκ μετάλλων ἀνθρώπους. Redit tamen eodem res, sive φύσιν τὸ χρυσοῦν scripserit *Cedrenus*, sive πίησιν, qvi enim φύσιν ejus certò callet, non potest non etiam callere τῷ πίησιν. Iterum *Cedrenus* pag. XVIII. Ὀγδοῦ Ἑρμῆς γοῦν τῷ καθ' αὐτὸ συσκευῇ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ, ὡς εἴπωμεν, ἀνεχώρησεν εἰς Αἴγυπτον, πρὸς τὸν Φυλῶ τὸ χάμ, υἱὸν Νῶε, ὅπινες ἐδέξατο αὐτὸν ἐν τιμῇ· ὃς καὶ διέτριβεν ἐκεῖ ὑπερφανῶν πάντας, καὶ Φοροῦν χρυσοῦν στολήν· καὶ φιλοσόφει παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις λέγων αὐτοῖς μαντείας· λογικὸς γὰρ ὢν φύσει· καὶ προσεκύνουν αὐτὸν Ἑρμῆν, ὡς λέγοντα τὰ μέλλοντα, καὶ διδασκοῦντα αὐτοῖς τὰ τῶν μελλόντων ἐκ τοῦ Θεοῦ δῆθεν ἐπίκλησιν, καὶ παρέχοντα αὐτοῖς χρήματα. ἐν καὶ πλουτοδότην ἐκάλουν, ὡς δὲ χρυσὸν Θεὸν νομίζοντες. Interpres ita: *Enimvero Mercurius cognitis, ut diximus, qvæ sibi à fratribus tendebantur, insidiis, in Ægyptum abiit ad stirpem Chami, qvi erat filius Noë: ab iis est cum honore acceptus, ibiq; permansit, omnes præ se despiciens, & auream vestem gerens. Philosophatus autem est apud Ægyptios, vaticinans, ut erat naturâ disertus. Adorabatur ab iis ac Mercurius Deus appellabatur, qvòd futura prædiceret, & divinitus nimirum de iis, qvæ post essent eventura, responsa administraret, pecuniamq; suppeditaret: itaq; eum divitiarum datorem vocabant, pecuniæ Deum putantes.* Hic *Hermes*, qvi *Homero* est δῶτορ ἐάων, tenetqve ῥάβδον θεικαλλέα χρυσείην, *Cedreno*, rem pressiùs explicanti, est πλουτοδότης, &

χρυσᾶ θεός, & χρυσᾶ πήσεως inventor. Neqve ſolus ita *Cedrenus*, ſed in Excerptis *Euſebii*, & *Africani* eadem ferè leguntur, ubi & polyolbius ſalutatur *Hermes*, id eſt, admodum dives, admodum beatus. Eadem propemodum refert *Chronicon Alexandrinum*. Sic & *Haled Arabs* Hermeti paſſim ſcientiam Chemicam attribuit. Hinc *Mercurii* caduceum inſerebatur olim dextræ Deæ felicitatis & divitiarum, qvemadmodum hodieqve in numiſmatis Juliæ Mammeæ notamus, obſervavitqve id jam ante *Vincentius Cartarus* in Imagin. Deor. Antiq. ut agnoſcamus ἐφέδρον illam χρυσάλω divitias feliciſſimas polliceri.

VIII. *Hermes* apud *Dionem Chryſoſtomum* [qvem ſub Trajano floruiſſe ex *Photio* conſtat] libr. de Regno Orat. 1. oſtendit Herculi fœminam ſpecioſam σκῆπτρον ἔχουσαν ἐκ χρυσοῦ, ἐδὲ δόρυ, ἀλλ' ἑτέρας φύσεως καθαρᾶς, καὶ πολὺ λαμπροτέρας, apud qvam καὶ χρυσὸς ἄπλετος σεσωρευμένος, καὶ ἄργυρος, &c. Hic *Dion* haud dubiè ex traditione Ægyptiorum, utcunqve ipſe arcani, qvod recenſet, ignarus, qvaſi aliud agens, oſtendit ſciviſſe *Hermetem* metallicum qviddam purioris, lucidioriſqve naturæ, qvàm aurum & argentum; qvin & adfuiſſe apud ſceptrum illud ſplendidiſſimum, immenſos auri, argentiqve acervos, id qvod lapidis Philoſophici germaniſſimum inſtitutum eſt.

IX. Videamus *Conringium* ſecum hoſtiliter pugnantem! *Cum jam tum*, inqvit, l. 1. c. III. *vivo Maximo Conſtantino Chemiæ meminerit Firmicus, nec artificum tamen, nec operum vetuſtior aliqua ſuperſit memoria, per eſt veriſimile, haud multò ante Conſtantinum illum Imperatorem artem Chemicam cœpiſſe oſtentari.* Et mox idem: *Omnino tamen etiam*, inqvit, *exiſtimo, Ægyptiorum Hierophantas, omnium mortalium principes* χρυσοποιΐαν *jactitaſſe, & ab his Chemiæ profluxiſſe exordia.* Qvin & paulò ante: *Chemiam* μεταλλαγικὴν *in Ægypto natam primò & altam confitemur.* Nolo, volo, volo, nolo, qvod dictum eſt, indictum eſt. Si in Ægypto nata eſt Chemia, & qvidem Hierophantis obſtetricantibus, neceſſe eſt cœperit ibi multis ante Conſtantinum ſeculis, nam diu ante Conſtantinum perierant

rant illi Hierophantæ mortalium omnium principes. Negat *Conringius Hermeti Ægyptio* antiqvissimo inventum Chemiæ, negat reliqvis Ægyptiis, imperantibus Græcis, Romanisqve, Chemiæ gloriam, qvando ergo nata & alta in Ægypto est Chemia? Recognoscat illa sua Conringius: *Argumentum autem*, inqvit, *novitatis Chemiæ certissimum, me qvidem judice est, qvòd cum Græci & Romani fuerint auri & argenti cupidissimi, & omni Ægypto aliqvàm multis seculis imperaverint, tamen & nomen artis, & conatus ejus omnes (ne qvid dicam de operibus, qvæ plerumq; vel nulla, vel rara fuerunt) penitus ignoraverint.* Si hæc sunt certissima novitatis Chemicæ argumenta, qvâ fronte in Ægypto jam olim natam, altamqve, Hierophantis inventoribus, adseverat? Enimvero pugnantia sunt, Chemiam demum circa Constantinum Magnum cœpisse, & tamen à Hierophantis illis Ægyptiorum, mortalium omnium principibus sumpsisse exordia. Nam, si Sacerdotes sive Hierophantas Constantini Magni ævo, seqventiqve viventes intelligat, illi tantùm abest mortalium fuerint principes, ut omnium hominum fuerint ineptissimi, sceleatissimiqve, ut ex *Hist. Eccles. tripart.* evidentissimum, qvos propterea invenisse Chemiam neqve ab ullo scriptore traditur, nec vero simile est. Usurpaverint per manus traditam ab antiqvis, nec enim abnuo, invenisse nullum usqvam indicium est. Qvin & ante Constantinum Magnum, & sub illo, & aliqvot seculis pòst, imperabant Ægyptiis Romani, & tamen, Judice *Conringio*, ne conatus qvidem ullos Chemicos interea ibi notârunt. Deniq; videamus, qvàm langvidè probet *Conringius* à Hierophantis Chemiæ fluxisse exordia? *Præterqvam enim*, inqvit, *qvòd id ipsum liqveat ex iis, qvæ de primis scriptoribus paulò ante memoravimus, manifestat idem tota scribendi & docendi ratio, omni Chemicorum ordini semper familiaris. Dictio nimirum à vulgo planè aliena; sermo omnis ænigmaticus, & mysteria sacra nunqvam non præ se ferens: scriptura porrò hieroglyphica per imagines & signa ignorabilia: docendi denique omnis forma occulta.* Sed nisi alia sese offerrent argumenta, nunqvam crederem vel Hierophantas, vel Ægyptiorum alios χρυσοποιικὴν calluisse.

Nam ipſe *Conringius* primorum illorum ſcriptorum, qvos allegavit, qvantum in ipſo eſt, peſſumdat auctoritatem: ænigmatica ſcribendi ratio, ut alios taceam, & Æſopo Græco, & Phædro Latino familiariſſima fuit, ſine ullâ Chemiæ ſuſpicione. Hieroglyphicæ literæ Æthiopibus uſitatiores fuere, qvàm Ægyptiis, nec Æthiopes tamen Chemici. Diſertè olim *Diodorus Siculus* Bibl. l. III. *Cùm enim ſuæ Ægyptiis ſint literæ, qvæ ab omnibus promiſcuè diſcuntur, qvas vulgares appellant, ſacras autem, qvas nominant, à ſacerdotibus tantùm ſecretâ parentum diſciplinâ traditas cognoſci tradunt, qvibus tamen omnes Æthiopes ſine diſcrimine utuntur.* Neqve illud *Conringii* diverſum ſvadet: *Inducti verò tandem*, inqvit, *præ aliis populis ad τὰ χρυσοποιητικὰ tunc fuerunt Ægyptii fortaſſis occaſione metallorum, qvibus olim regio iſta abundavit.* Eqvidem Ægyptus caruit ferè aurifodinis, unus duntaxat locus celebratur *Agatharchidi* & *Diodoro*, isqve in confiniis Ægypti, vicinæqve Arabiæ & Æthiopiæ, aurariis metallis celebris, ex qvo tamen magnis & ærumnis, & expenſis aurum effodiebatur, ut iidem aſſeverant. Deinde, fac abundâſſe Ægyptium ſolum auri fodinis, non ideo Chemicum ſtudium ibi fervidiùs excultum, ſed potiùs inde infertur contrarium; abundantia enim plerumqve contemptum parit, & qværendi negligentiam. Turditania olim Hiſpaniæ, ut ex *Strabonis* l. I. conſtat, auri, argentiqve metallis opulentiſſima fuit, ſed qvem olim Turditania Chemicum produxit? Qvænam unqvam fodinæ Potoſianis locupletiores? ſed rurſus, qvos genuit hactenus Potoſi χρυσοποίητους Magiſtros? Qvid qvod pluribus ante Conſtantinum Magnum ſeculis viguere fodinæ illæ, circa Conſtantinum autem viguiſſe nullum hactenus indicium eſt. Proinde aliæ pro Ægyptiis advocandæ rationes.

X. Oſtendunt latè ſapientiam Ægyptiorum Chemicam illa, qvæ proximè de Hermete Ægyptio Chemico, ex *Olympiodoro*, *Zoſimo*, *Cedreno*, *Homero*, aliisqve diſputata ſunt. Qvibus nunc adjungendum illud *Schiagiæ Arabis Hiſtorici* apud Kirckerum: *Ægyptios*

pòſt

pòst diluvium in variis scientiis, præcipuè incantationum, magiæ præstigiatricis, & Chemiæ edoctos fuisse.

XI. Ostendunt eandem immensæ Ægyptiorum divitiæ, jam tum Osiridis, Hermetisqve ævo celebres, cùm integras statuas, qvid statuas? immò templa integra ex solido auro fabricarentur. Testis luculentus *Diodorus Siculus* l. 1. Ιερᾶσιν τὸν Οσιρεν ἱδρύσασθαι καὶ ἱερὸν τῶν γονέων, Διός τε καὶ Ηρας, ἀξιόλογον τῷ τε μεγέθει, καὶ τῇ λοιπῇ πολυτελείᾳ, καὶ ΝΑΟΥΣ ΧΡΥΣΟΥΣ δύο, Διὸς τὸν μὲν μείζονα τῶ ἐρικίῳ, τὸν δ' ἐλάττονα τῶ βεβασιλευκότος· καὶ πατρὸς αὐτῶν, ὃν ἔνιες Αμμωνα καλοῦσι· καθασκευάσαι δ' καὶ τῶν ἄλλων θεῶν σεσεισμένων ΝΑΟΥΣ ΧΡΥΣΟΥΣ, ὧν ἑκάστῳ ὑμᾶς ἀποδείξαι, καὶ καθιερῶσαι τὰς ἐπιμελουμένας ἱερείας. Mox subjicit: Οσιρεν ἀγάλματά τε καὶ ΧΡΥΣΟΥΣ ΝΑΟΥΣ καθασκευάσασθαι τῶν θεῶν ἀξιώσαντα. Unde verò tantum auri primis illis à diluvio seculis, nisi ex Chemiâ? Neqve enim ætate Osiridis & Hermetis auri fodinas in Ægypto scriptorum qvisqvam agnoscit: fac tamen adfuisse, non sustinerent ideo has impensas; qvòd ex *Agatharchide Cnidio* apud Photium, ex *Diodoro Siculo*, aliisqve constet, aurarias veterum Ægyptiorum fodinas & impensarum gravium, & modici emolumenti, & laboris fuisse miserandi; neqve etiam in Siphniorum insulâ, [ubi speluncæ auriferæ adeo postea dites repertæ sunt, ex *Herodoti* Thaliâ, ut ex decimâ pecuniarum inde confectarum parte reponeretur Delphis thesaurus locupletissimo cuiqve par] tam sumptuosa unqvam fabrica attentata legitur.

XII. Ostendunt artem Chemicam in Ægypto antiqvissimis temporibus freqventatam immensæ illæ, & crebræ, & impensarum prope incredibilium moles ibi erectæ, qvæ vel hodie, post tot Orientis, Occidentisqve convasatas gazas, omnium melioris Orbis Principum loculos exhaurirent; tot pyramides, tot obelisci, tot monimenta, colossi, horti pensiles, urbes pensiles, opera alia credibili majoribus educta sumptibus, ut partim *Herodoto*, *Straboni*, & *Diodoro*, oculatis jam olim testibus, partim *Plinio*, & hodiernis credimus peregrinatoribus, partim ex reliqviis Romam translatis, ibiqve nuper adeo inspectis æstimamus, ex ungve leonem judi-

cantes, ut non difficulter fidem inveniat illud *Herodoti* in Euterpe: *Ægyptum plura habere admiranda, qvàm reliqvas regiones omnes.* Qvin immò *Herodotus*, qvi hæc oculis suis usurpaverat, docet in Euterpe, pyramidem qvandam Mycerini, & qvidem illam, si cæteras respicias, minusculam, innumerabilibus talentorum millibus stetisse. *Impensæ*, inqvit, in illam τάλάντων χιλιάδες ἀναρίθμητοι. Qvid ergo majoribus fiet? iterum *Herodotus* in Euterpe, agnoscit se spectâsse labyrinthum Ægyptium, admiraturqve eundem, ut famâ majorem, ut templo Dianæ Ephesinæ magnificentiorem [in qvô tamen fabricando Asiam universam ducentis & viginti annis opes, industriamqve suam impendisse refert *Plinius* l. XXXVI. c. XIV.] ut humanis operibus superiorem, & nihilominus vicinum Mœrios stagnum [opus Regis Ægyptii] labyrintho admirabilius fatetur. De qvo & *Diodorus* l. I. Sect. II. *Myris* [sive Mœris] *Rex*, inqvit, *lacum fecit ad Memphim, cujus mira utilitas, & magnitudo operis incredibilis; adjecitq; fossam stadiorum LXXX longam, CCC pedes latam, ad lacum ducentem, ut cùm Nilus plus justo exundaret, lacu illo aqva exciperetur. Hoc opus nemo pro veritatis merito satis laudaverit.* Non vacat hic attingere murum ad Orientale Ægypti latus, contra Syrorum, & Arabum irruptiones maximis sumptibus ad MD stadiorum longitudinem jussu Sesostridis ædificatum, ex eodem *Diodoro*, id qvod forsan imitati Chinenses, rerum Sesostridis non ignari, ut ostensum alibi, simili, sed illustriori structurâ vicinos Tartaros finibus suis diu excluse re. Non libet advocare Memnonis Regiam, Syringes subterraneas, navem Sesostridis cedrinam, qvam perhibet *Diodorus* exteriùs auro obductam fuisse, interiùs argento, qvam Deo Thebæorum dedicavit; Sed ad labyrinthum regredior, opus *Diodoro* κῆ τὸ μέγεθος τῶν ἔργων θαυμαστὸν, ὡς πρὸς τὸν φιλοτιμίαν δυσμήμητον, ad cujus similitudinem fabricatus ille Cretensis labyrinthus brevi intercidit, Ægyptius ad ætatem *Diodori* perduravit. Ad summam, expendantur hinc inde *Herodotus*, *Diodorus*, *Strabo*, *Plinius*, alii, de ingentibus Ægyptiorum operibus differentes, & stupore lectorem non hebetem complebunt.

bunt. Neqve juverit excipere, hauſtas ex commerciorum freqventiâ opes illas, cùm primi Reges Ægyptii ad uſqve Pſammitichum, ſecundum *Herodotum*, peregrinos finibus ſuis excluſerint, ſuis contenti; proinde nihil certiùs, qvàm commercia iſtic temporis oppidò fuiſſe modica, Ægyptiosqve tum emaces magis fuiſſe, qvàm vendaces, ut Catoninâ voce utar. Iſmaëlitæ qvidem jam olim vendenda in Ægyptum deportabant aromata, ſed Ægyptios interea temporis ſua bona aliò ad lucra captanda aſportâſſe, non perinde liqvet. Verè *Lucanus* l. VIII. de Ægypto:

Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Jovis —— ——

Unde *Strabo* l. XVII. Οἱ μὲν ἓν πρόπεροι τῶν Αἰγυπτίων βασιλεῖς ἀγαπῶντες οἷς εἶχον, καὶ ὁ πάνυ θρασυκάρδιος διόμενος. Ut vel hinc haud ægrè colligatur, antiqvos Ægyptiorum Reges Chemiam inter bona ſua numerâſſe, eoqve facilè ſuſtinuiſſe qvasvis impenſas. Rectè *Athenæus* Deipn. l. V. c. VIII. Ποία ἦν βασιλεία ἔτως γέγονε πολύχρυσος; ſc. qvàm Ægyptus. Ex hoc fonte viginti illa urbium millia prodiere, qvæ habitata vidit Ægyptus regnante Amaſe, uti auctor eſt *Plinius* l. V. c. IX. Ex hoc fonte innumerabiles illæ Thebarum Ægyptiarum divitiæ profectæ ſunt, qvas Cambyſes victor diripuit, referente *Marcellino* l. XVII. de qvibus & vetuſtiſſimus *Homerus* Iliad. IX.

—— —— οὐδ' ὅσα Θήβας
Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἔνι κτήματα κεῖται.

Cui accedit illud *Diodori Siculi* l. I. ſect. II. *Ædes Thebanorum, ajunt, ad noſtram pæne permanſere ætatem, ſed argentum & aurum, eboriúmq; apparatum à Perſis, cùm Cambyſes Ægypti templa exureret, diſpoliata eſſe: qvo tempore, translatis in Aſiam opibus, & adſcitis ex Ægypto artificibus Regias illas toto orbe celebres Perſepoli, & Suſis, cæteràq; Mediâ à Perſis ædificatas perhibent: tantamq; in Ægypto vim opum tunc fuiſſe, ut de reliqviis expilatorum crematis inventa ſint, & collecta plusqvam trecenta auri talenta, nec minùs bis mille & trecentis talentis argenti. Ibi mirifica priſcorum Regum ſepulcra, qvæ poſteris ad magnificentiæ ſtu-*

dium

dium nihil reliqvi fecerunt. Talia ſepulcra XLVII. inveniri ſcripſere in ſacris Commentariis Sacerdotes, ſed ad Ptolemæum Lagi XVII. tantùm remanſiſſe. Qvin & in oſtentationem Reges Ægyptii divitias ſuas obeliſcis enunciandas commendabant, ut ex *Strabonis* l. XVII. liqvidum eſt, ſecuri à nullo terrarum Principe ſe hac parte ſuperari. Cumqve nimiæ hæ opes viderentur *Plinio* l. XXXVI. c. XII. bilem ei expreſſerunt: *dicantur*, inqvit, *obiter & pyramides in eadem Ægypto, Regum pecuniæ otioſæ & ſtultæ oſtentatio.* Attraxere & inſpectaculum ſui ſapientiſſimum Principem, Cæſarem Germanicum, cui ad magna veterum Thebarum veſtigia *viſæ*, ut eſt apud *Tacitum* Annal. l. II. *ſtructis molibus litera Ægyptia priorem opulentiam complexa.* Hinc non mirum Rampſinito Ægyptiorum Regi immenſum fuiſſe argenti theſaurum, ex *Herodoti* Euterpe; non mirum, ſi *Aratus* apud *Plutarchum*, τὸν Ἀιγύπτιον ἐθαύμαζε πλοῦτον; non mirum, Ægyptias cœnas, qvoties libebat, omnium fuiſſe ſumptuoſiſſimas, qvod *Athenæus* teſtatur Deipn. l. IV. c. VII. & *Lucanus* l. X. non mirum, pompas Ægyptias modum omnem, menſuramqve exceſſiſſe, qvarum una duntaxat, licet degenerante jam Ægypto, à Ptolemæo Philadelpho Alexandriæ oſtentata abſumpſit MMCCXXXIX talenta, numerante *Athenæo* Deipn. l. V. c. VIII. Antiqvis autem ſeculis, ante Delphos à Phocenſibus direptos, apud vicinos Græcos, licet & commerciis deditos, & auri, argentiqve fodinis non deſtitutos macies regnabat, & inopia. In hanc rem iterum *Athenæus* Deipn. l. VI. c. IV. *Rarò admodum*, inqvit, *antiqvitus aurum, argentumq; apud Græcos reperiebatur, atq; parum erat argenti inter metalla, eratq; res admiranda apud Græcos, ſi qvis poculum argenteum conſpexiſſet.* Nec aliter *Dion Pruſæus* Troicis: *Neqve enim*, inqvit, *Græcis eſſe pecunias* [temporibus Trojanis] *ſed etiamnum plurimos ſponte in militiam proficiſci ob domeſticam paupertatem*, διὰ τὴν οἰκοι πενίαν. Et *Ariſtophanes* in Plut. act. I. ſc. II. *Nonne propter te, Plute*, inqvit, *auxiliares copiæ Ægyptiis mittuntur.* Qvid ſimile unqvam Ægyptiis moliti ſunt Græci? aut qvid potuere? qvid Romani Orbis prope univerſi raptores? egenus Philippus, licet Mace-

Macedonicis sustentatus fodinis: egenus Hannibal, licet Iberis; egena Respublica Romana eo ipso tempore, qvo ad solam Carthaginem novam, qvadraginta hominum millia in feracissimis argentariis metallis qvotidie detinebat, de qvo ex *Polybio Strabo* l. III. egentior hodieqve Norwegia, Svecia, Germania, cum suis fodinis, qvàm Gallia, & Italia iisdem pæne defectæ. Qvis ergo rerum sciens ex metallis Ægyptiis immensas illas opes exspectaret? ex qvibus [diserta sunt verba *Diodori*] aurum non colligebatur, nisi πολλῇ κακοπαθείᾳ καὶ δαπάνῃ.

XIII. Sed de vetustissimorum Ægyptiorum opibus etiam fidem fecerit sacra historia, enimvero agnoscit eas spiritus Dei Hebr. XI. Μωσῆς, inqvit, μείζονα πλοῦτον ἡγησάμενος τῶν ἐν τῇ Αἰγύπτῳ θησαυρῶν, τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ χριστοῦ. Extollit hìc Divinus scriptor thesauros Ægyptiorum, sed cur non Babyloniorum? qvorum regnum vetustius; cur non Æthiopum? qvorum tellus auro fertilis. Subest nimirum arcanius qviddam: qvod sparsim qværendum in Æthiopiæ rupibus, id junctim fluebat in primorum Regum Ægyptiorum caminis. Et qvantum numorum, ut alia taceam, oportet adfuisse Pharaoni ad redimendum Josephi ministerio frumentum pro fulciendâ septem annorum per tot provincias fame? De qvo ita LXX. *Interpr.* Gen XLI. Καὶ συνήγαγεν Ἰωσὴφ σῖτον ὡσεὶ τὴν ἄμμον τῆς θαλάσσης πολὺν σφόδρα, ἕως οὐκ ἠδύναντο ἀριθμῆσαι· ἦν γὰρ ἀνάριθμος. Neqve enim frumentum illud decimarum nomine in horrea convectum fuisse ex eo liqvet, qvòd diu pòst, Gen. XLVII. plebs sustentata Regio sumptu polliceretur tandem qvintam annuarum frugum partem.

XIV. Sed libet adhuc unum Ægyptiarum opum argumentum in medium proferre. Illud est OSYMANDYÆ SEPULCRUM, incredibilibus exstructum sumptibus; de qvo cùm prolixè *Diodorus*, ego è texto fimbriam tantùm ostendam, hoc est AUREUM illum CIRCULUM in monimenti illius fastigio eminentem, de qvo ita *Siculus*: Ὑπάρχειν δὲ τοῦ μνήματος κύκλον χρυσοῦν, τριακοσίων, καὶ ἑξήκοντα, καὶ πέντε πηχῶν τὸν περίμετρον, τὸ

ἢ πάχθ. πηχυαῖον. Ἐπιγεγράφθαι ἢ καὶ διηρῆσθαι καθ' ἕκαστον πῆχυν τὰς ἡμέρας τὰς ἐνιαυσίας, παραγεγραμμένων τῶν κῆ Φύσιν γινομένων τοῖς ἄροις αἰανολῶν τι καὶ δύσεων, καὶ τῶν ἀφ' ἑαυτῶν ἐπιτελουμένων ἐπισημασιῶν κῆ τὰς Αἰγυπτίους ἀστρολογίας. τέτον ἢ τὸν κύκλον ὑπὸ Καμβύσε καὶ Περσῶν ἔφασαν σεσυλῆσθαι καθ' ὃς χρόνους ἐκράτησεν Αἰγύπτε. *Diodorus* χρυσὸν scribit, non κεχρυσωμένον, ut constet, si bene calculum ponamus, vel solum hunc circulum Principis etiam locupletissimi crumenæ gravem futurum. Unde illud aurum Heroicis Ægyptiorum temporibus? dices, ex aurariis officinis, qvas in Thebaide inventas tradit *Diodorus* vivo Osiride, & Hermete, profluxisse. Cæterùm officinas aurarias id temporis agnoscit *Diodorus*, ad fabricanda vasa, & instrumenta, non fodinas, non χρυσωρυχίας: unde autem in officinas transiit, nisi ex ergasteriis Chemicis? Unde aliorum divitiæ olim promanârint, notum est; tradente Scepsio apud Strabonem l. xiv. Tantali, & Pelopidarum opes è Phrygiæ metallis, & Sipylo haustas fuisse, Cadmi è Thraciâ, & Pangæo monte, Priami ex auri fodinis ad Abydum, Midæ è metallis Bermii montis, Gygis, Alyattis, & Crœsi è fodinis Lydiæ. At de fodinis Ægyptiis id temporis altum apud omnes silentium, ut proinde opportunè *Cedrenus* scripserit: Ἑρμῆς τὸ χρυσὸ πίνειν ἐξεῦρεν ἀνθρώποις. Sed cur posteriores Ægyptiorum Reges tot mancipiorum millia fodinis aurariis addicerent, si domi nascebatur facile, qvod foris qværebatur laboriosè? Scilicet color qværebatur thesauris & prætextus, qvi in fodinis his inventus est speciosissimus. Qvas dissimulationum artes si perinde exercuissent Colchi, & illi, ut ex *Strabone* liqvet, Ægyptiorum coloni, non patuissent raptoribus velleris illius aurei Græcis. Ut taceam, videri artem Chemicam in Ægypto qvandoqve interciſam fuisse, & nescio qvibus mortibus, casibusqve aliis interpellatam, inde iterum ex intervallo in scenam prodiisse.

XV. Sed audiendus iterum Conringius: l. i. c. iii. *Multò magis verò speciosum*, inqvit, *argumentum pro Chemiæ vetustate, qvis duxerit ab hujus argumenti Democrito adscriptis libellis. Qvatuor enim numero,*

numero, primum de tinctura Solis, alterum de tinctura Lunæ, tertium de lapidibus, quartum de purpura, jam olim Synesius, unus antiquissimorum Chemicorum laudavit initio commentarioli in Democriteum libellum de tinctura solis. Eorundem sit mentio in Eusebianis Græcis Scaligeri p. 43. locus totus meretur huc adferri etiam propter alia non aliena à nostro negotio. Δημόκριτος Ἀβδηρίτης φυσικὸς φιλόσοφος ἤκμαζεν, ἐν Αἰγύπτῳ μυηθεὶς ὑπὸ Ὀσάνου τοῦ Μήδου σχολάζων ἐν Αἰγύπτῳ παρὰ τοῖς τότε καὶ βασιλέων Περσῶν ἄρχειν τῶν ἐν Αἰγύπτῳ ἱερῶν, ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Μέμφεως, σὺν ἄλλοις ἱερεῦσι καὶ φιλοσόφοις· ἐν οἷς καὶ ἡ Μαγία τῆς Ἑβραίας σοφὴ, καὶ Παμμενίης. Συνέγραψε περὶ χρυσοῦ, καὶ ἀργύρου, καὶ λίθων, καὶ πορφύρας καὶ βαφῆς. Ὁμοίως δὲ καὶ Μαγία ἐπιγέγραπται παρ' Ὀσάνου ὡς πολλοῖς καὶ σοφοῖς ἀπόγμασι κρύψασι τὴν τέχνην. Παμμενίης δὲ κατέγραψεν ἀφθόνους χράψασις. *Hactenus Eusebiana. Aquibus non abit Synesius, etiam ipse scribens nimirum, sacris initiatum esse Democritum à Mago Medicæ gentis Ostane, in templo Memphitano simul cum omnibus Ægypti Sacerdotibus. —— Cæterùm nec in illis Democrito tributis aliquid Chemicæ vetustati est præsidium. Cùm enim nullum illorum memoret quisquam veterum, multò minus Diogenes Laërtius, diligentissimus Democriti operum index, claret utiq; vel uno hoc argumento supposititios esse. Maximus ad hoc, optimusq; ævi veteris Censor & interpres Claudius Salmasius, cui Bibliotheca Regia Parisiensis libellos hosce Græcè legendos exhibuit, ipsamet dictionis formâ adductus, infimæ illos Græciæ esse censuit in Not. ad Tertullianum de Pallio: frequenter auctorem pseudo-Democritum appellavit, in admirandis illis Plinianis ad Solinum exercitationibus, à quo Judicio dissentire, cui non videatur nefas? Neque vero Synesii, immò ne Eusebii quidem vel Tatiani testimonium tanti fuerint, ut propterea sequius sentiamus: cùm omnes aliquot seculorum intervallo Democrito posteriores, ejus autem scripta in manu vulgi sint tantùm non omnis. Multum verò etiam abest, ut illa, quæ antea ex Eusebianis Græcis Scaligeri adduximus in medium, sint Eusebii, ipse Scaliger in notis veretur ne sint Panodori Monachi. Suspicor ego Georgii Syncelli esse. Quo enim hic tempore vixit, majorem solito applausum Constantinopoli τῷ χρυσοπηγικῷ habuisse certum est, & aliàs pluribus memorabitur.* Et

postea: *Non mirum verò hoſce libellos Chemicos nomen Democriti mentiri, cùm jam tum olim magica haud pauca ejus titulo fuerint circumlata.* Columella l. 1. c. v. *Sed Ægyptiæ gentis auctor memorabilis Dolus Mendeſius, cujus commentaria, quæ appellantur ὑπομνήματα, ſub nomine Democriti falsò produntur.* In his Conringianis errata ſe offerunt & varia, & literarum, veritatisqve Profeſſore indigna. a. Dum citat *Euſebii* verba, ſepties impingit, qvæ enim vocabulorum monſtra ſunt ἤκμαζον, μυηθεὶς, ἱερεῦσι, Πμηνέθηκαν, αἰνίγμασι? Qvis ſenſus in illis, Παμμενὴς χράψαντες? hoc eſt luxare auctores bonos, non citare. Scripſerat enimverò *Euſebius*, ἤκμαζον, μυηθεὶς, ἱερεῦσι, Πμηνέθηκαν, αἰνίγμασι, Παμμένης χράψαντα. Ita ſenſus aliqvis emergit, qvi ex *Conringianis* nullus. Condonari hæc, licet ægrè, poterant *Conringio*, ſi primâ tantum editione ita deliqviſſet, nunc cùm iterum, poſt viginti annos, in ſecundâ editione, qvam infinitis locis emendatiorem eſſe ſpondet in operis limine, eadem oberret chordâ, qvis vèniæ locus eſt? Pervelim ſcire qvid illud *Conringii* ſignificet, Παμμενὴς ὃ καταγνῶσιν ἀφθόνως χράψαντες. Euſebianum autem illud: Παμμένης ὃ καταγνῶσιν ἀφθόνως χράψαντα, evidens eſt: Damnârunt, inqvit, [ſcilicet *Antiqvi Chemici*] Pammenem, qvòd ſine invidiâ clarè ſcripſiſſet. Ut taceam aliud peccatum *Conringii* eſſe in citatione *Columellæ*, dum librum *primum* citat, qvi eſt *ſeptimus*; *commentaria* vocat, qvæ *Columella* appellat *commenta*. Tranſeat etiam ſoloecismus ejus: *Neqve verò Syneſii, immò ne Euſebii qvidem, vel Tatiani teſtimonium tanti fuerint.* Levia hæc qvidem, ſed tamen oſcitantem ſcriptoris induſtriam ſatis loqventia, præcipuè cùm in utrâqve editione tam ſomniculosè peccetur. Ut rem ipſam aggrediamur, ſuppoſititii ſunt *Conringio* libri illi *Democritei*, qvia à nullo veterum, ut ait, memorantur, neq; etiam à *Laërtio*, neq; dictio eorundem ſapit antiqvitatem. Omnia frivola. I. enim, veteres *Euſebii* ſententiam ſtabiliunt. *Democritus* in Ægypto vixit familiariter cum ſacerdotibus, & qvidem annis qvinqve, ut ex *Laërtio*, *Strabone*, *Clemente Alexandrino* conſtat. Reliqvit etiam experimentorum libros. *Vitruvius* l. IX. c. III. *Multas res attendens*, inqvit, *admi-*

ror

ror etiam Democriti de rerum naturâ volumina, & ejus commentarium, qvod inscribitur χειρόκμητων, in qvo utebatur annulo signans ea cerâ molli, qvæ esset expertus. Tituli rationem addit *Salmasius* in Solinum: *Democritus*, inqvit, *in eo commentario, qvò rerum naturalium arcana & abdita scrutabatur, iis paradoxis, qvæ ipse vera expertus erat, notas è cerâ affigere solebat, & annulo qvidem suo signatas.* Et mox: *An potius χειρόκμητα inscriptum fuit, qvòd omnia qvæ in illo libello tractabat, manu ipse fecisset, & experimento proprio comprobâsset.* Neqve experimenta hæc Democritéa parca erant, aut pauca, sed in omni artium nobiliorum genere occupata. Testis *Laertius*: Καὶ ὁ Δημόκριτος, inqvit, ὧν ἀληθῶς ἐν φιλοσοφίᾳ πεπαίδευται· τὰ μὲν φυσικὰ, καὶ τὰ ἠθικὰ, ἀλλὰ καὶ τὰ μαθηματικὰ, καὶ τὰς ἐγκυκλίους λόγους, καὶ περὶ τεχνῶν πάσων εἶχεν ἐμπειρίαν. Speciatim *Petronius Arbiter*: *Omnium*, inqvit, *herbarum succos Democritus expreßit: & nè lapidum, virgultorumq; vis lateret, ætatem inter experimenta consumpsit.* Sed propiùsne accedit *Laërtius? Scripsit Democritus*, inqvit, ille περὶ τῆς λίθου. Erunt, qvi hic τῶν λίθων *magnetem* interpretabuntur, sed qvâ auctoritate ipsi viderint. Opportuniùs hic forsan intelligetur λίθος τῆς φιλοσοφίας. certè ita antiqvi non rarò. *Zosimus* γνησία χαραχθῆ. Δημόκριτος, inqvit, λέγει, δόξαι λίθον, τὸν μὲ λίθον, τὸν ἄλιμον, καὶ πολύλιμον, τὸν πολύμορφον, καὶ ἄμορφον, τὸν ἀγνωστον, καὶ πᾶσι γνωστὸν, τὸν πολυόνυμον, καὶ ὁμώνυμον... In bibliotheca Regiâ Parisiensi librum *Mistum*. vetustumq; evolvi, cui titulus: Κομαρίου Φιλοσόφου ἀρχιερέως, διδάσκοντος τῷ Κλεοπάτρᾳ, τῷ θείῳ καὶ ἱερᾷ τέχνῃ τοῦ λίθου τῆς φιλοσοφίας. Item, Αἴνιγμα τοῦ φιλοσοφικοῦ λίθου Ἑρμοῦ, καὶ Ἀγαθοδαίμονος. Item Ἱεροθέου Ἰαμβοι περὶ λίθου τῶν φιλοσόφων. Et qvis neget exprimenta illa *Democriti*, de qvibus *Vitruvius*, extendisse se qvoqve ad Chemiam? qvando etiam *Seneca*, gravissimus scriptor istuc eat, Epist. XC. *Excidit porrò vobis*, inqvit, *eundem Democritum invenisse, qvemadmodum ebur emolliretur, qvemadmodum decoctus calculus in smaragdum converteretur.* Qvæ opera Chemici artificii esse planissimum est, & ostendit sparsim *Raimundus Lullius*; Sed jam diu ante Μέθοδος περιβοήτου Ἀραβος, τοῦ Σαλμανᾶ, ubi legas καθαφλὼ λίθων, καὶ σμα-

σμαραγδων. Et *Olympiodorus* Ἱερᾷ τέχνῃ varia tradidit περὶ πιήσεως τῦ σμαραγδυ. Ergo cùm hæc scriberet *Seneca*, legerat ex *Democriti* libellis *Eusebio* laudatis illum ad minimum, qvi inscribitur περὶ λίθων. Qvin si verè scripsit *Conringius* l. 1. c. III. *Chemicorum opus olim πίησις audiit*, verum etiam erit *Laertium* attribuere *Democrito* opus aliqvod Chemicum; nam disertè tradit *Democritum* scripsisse περὶ πιήσεως. Nos tamen ista morosè non urgemus. *Zosimus* etiam γνησίᾳ γραφῇ citat *Democritum* de subjecto lapidis differentem: φησὶ γὰρ Δημόκριτος, inqvit, ἀδελφὴ ὑστερεῖ, ἀδελφὴ ὑπολείπεται. *Zosimus* idem μυσικῇ βίβλῳ conjungit qvatuor illos *Eusebio* memoratos Democriti libellos, cum χειροκμήτῳ. Ἀλλὰ καὶ ἄπυξ, inqvit, αἱ καλυμεῖαι πιμίαι τέσσαρες τέχναι, καὶ τὰ χειρόμήματα. Ita in rarissimo illo *Democriti* scripto, pluribus haud dubiè audito, qvàm inspecto variatur librariorum vitio titulus. *Plinius* l. XXIV. c. XVII. *chirocineta* appellat, cui vix lectus ille liber, qvòd omnia alia, qvàm *Vitruvius* eidem assignet. *Laërtius* vocat χέιριβα, vel, ut nonnulli volunt χειρικὰ, καὶ πεοβλήματα. Esse enim nihil aliud χειρικὰ *Laërtii*, qvàm illud χειροκμήτων volumen, jam pridem ostendère summi viri *Salmasius* in Solinum, & *Menagius* in Diog. Laertium. Mihi non displicet illud *Zosimi*, qvod χειρόμήματα nuncupat; est tamen qvod paulò magis arrideat; existimo enim illud *Laërtii* χειρικὰ, ἢ πεοβλήματα, natum vitio librarij, & jam olim exstitisse, *Democriti* χειροτεχνήματα. Sed credat hîc qvisqve, qvod volet, dum constet *Democriti* scripta Chemica pluribus jam seculis ante Constantinum Magnum curiosioribus innotuisse. Neqve fastidiendum *Synesii* testimonium, qvod, cùm non nisi alienis oculis vidisse *Conringium* appareat, ex inscriptione, qvàm libro *Synesii* falsam assignat, non gravabor adjicere. Ita ergo inscribitur: Συνεσίυ φιλοσόφυ πεὸς Διόσκοεον ἐις βίβλον Δημοκείτυ ὡς ἐν σχολίοις. Qvæ in eo de Democrito ad rem nostram potissimum faciunt, hæc ferè sunt: Δημόκριτος ἐλθὼν ἀπὸ Ἀβδήρης φυσικὸς ὢν, καὶ πάντα τὰ φυσικὰ ἐρευνήσας, καὶ συγγεγραφὼς ἐν ὄντα καὶ Φύσιν. Ἄβδηρα ἦν ἐστὶν πόλις Θρᾴκης. Ἐγένετο ἦν ὁ ἀνὴρ λογιώτατος, ὃς ἐλθὼν ἐν Αἰγύπτῳ ἐμυσταγωγήθη παρὰ τῦ μεγάλυ Οσαΐυ ἐν τῷ Ἱερῷ τῆς

Μέμ-

Μέμφεως σὺν πᾶσι τοῖς Ἱερεῦσιν Ἀιγύπτ[ου]. Ἐκ τούτου λαβὼν ἀφορμὰς συνεγράψατο βίβλους τέσσαρας βαφικὰς, περὶ ☉ καὶ ☽, καὶ λίθων, καὶ πορφύρας. Scripta autem hæc sunt ante ætatem *Zosimi Chemici*, ut postea ostendetur, & qvidem florente adhuc in Ægypto Serapidos cultu, qvod vel ex dedicatione perspicuum est, qvæ talis: Διοσκόρῳ, ἱερεῖ τοῦ μεγάλου Σαραπίδος τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὅσιῳ σωφρονοῦντι Σωσίου φιλοσόφου χαίρειν. Serapidos autem fanum eversum, ejusqve Sacerdotes fusi, fugatiqve demum sunt imperante Theodosio primo, ut ex *Histor. Eccles. tripart.* l. IX. evidentissimum; ut necesse sit *Synesium* jam olim ante Theodosium hæc ex antiqvo scripto hausisse.

β. Non urgebo hîc ulteriùs *Laërtium* meminisse librorum Chemicorum *Democriti*; sed monstrabo duntaxat, falsum esse, libros *Democriti*, qvi *Laertio* non memorantur, esse supposititios. Non detrahimus qvidem *Laërtio*, licet demum temporibus Marci, & Severi, ut persvadet *Menagius*, vixerit, diligentiæ laudem; sed verò omnia bonorum Auctorum scripta ipsi cognita fuisse temerariè adstruitur. Scripsit *Aristoteles* περὶ δημάτων, ex *Clemente Alexand.* Stromat. l. I. scripsit dialogum, qvi Corinthius inscribitur, ex *Themist.* Orat. IV. Scripsit & κτίσεις, si *Plutarcho* fides &c. qvæ *Laërtio* nè attacta qvidem fuere. Similiter *Democritus* scripsit de chamæleonte, ut ex *Plin.* l. XXVIII. c. VIII. constat. Scripsit περὶ ἰδεῶν, ut tradit *Sextus Empiricus* adversus Mathematicos; deniqve & Epistolas scripsit, si *Svidæ* credimus in *Democrito*. Neqve tamen ea scripta recenset *Laërtius*. Ut taceam secretiorum auctorum scripta in tablinis curiosorum sæpe, & diu delitescere, atqve perfunctoriam inqvirentium elùdere deligentiam, qvod bene observatum Cl. *Sennerto*. Legimus hodie *Grotii* qvædam, qvæ illo vivo latuere: latuit aliqvot seculis *Tacitus*, latuit *Petronii fragmentum Tragurianum*, latuere hactenus *infinita scripta*, qvæ tandem post plura secula in lucem prodeunt, & auctorem suum verè fatentur, ut propterea qvatuor his *Democriti* scriptis, ut argumenti secretioris, contigisse eadem nemo debeat mirari.

γ. Li-

γ. Libros autem *Democriteos*, qvi hodie exſtant, utcunqve antiqvos, *Salmaſio* tamen ex ipsâ dictionis formâ, viſos infimæ Græciæ eſſe non miror, cùm tot ſeculis exſcribentium culpâ multum nitoris ſui perdiderint. Exſcripſere nimirum Chemiæ ſtudioſi, & illi rerum qvàm verborum plerumqve diligentiores. Qvòd ſi eam operam *Democriti* libellis qvâ emendandis, qvâ refingendis impendiſſet *Salmaſius*, qvam impendit *Tertulliani pallio*, [qvod ipſum ita reformavit, ut novum pæne ſcriptum videri poſſit.] haud dubiè in illis *Democriti* libellis, *Democriti* antiqvi *dictionem* luculentiùs intueremur. Nunc ſi *Tertulliani pallium* ita mirè deformatum fuit, ante *Salmaſii* ævum, qvid mirum, ſi *Democritus* tot ſeculis *Tertulliano* vetuſtior idem paſſus ſit? Accedit, qvòd non omnes Scriptores eodem ſeculò, eadem dictionis formâ utantur. Oſtendat *Conringius* dictionem LXX. *Interpretum* reſpondere Ptolemæi Philadelphi ævo; oſtendat dictionem *Novi Teſtamenti* ſuo admodum qvadrare tempori. Qvis dictionem C. *Julii Hygini*, qvis ejus humillimi ſpiritûs fabulas Auguſti ſeculo attribueret, niſi ex *Svetonio* de ætate ejusdem conſtaret? Et in *Vitruvio* peregrinitatem, plebitatemqve agnovit *Scioppius*, licet ſcriptore emendatiſſimi ſeculi. Deniqve *omnium* qvidem *antiqvorum ſubtiliſſimus fuit Democritus*, ſi *Senecam* Nat. Qvæſt. l. VII. c. III. audimus: *Primus intellexit, oſtenditq; cum terris cæli ſocietatem*, ex *Plinii* l. XVIII. c. XXVIII: ex ſolo aſpectu lactis, de colore beſtiæ; ex ſolo aſpectu fœminæ de amiſsâ virginitate verè pronunciavit, ex *Laërtio*; eò provexit acumen ſuum, ut reviviſcendi ſpem conciperet teſte *Plinio* l. VII. c. LV. etiam hac parte *Ariſtotele* dexterior; ſed delicatæ admodum dictioni eum ſtuduiſſe qvis unqvam tradidit antiqvorum? *Laertio* dicitur contempſiſſe gloriam, nec hoc egiſſe, ut noſceretur. *Æliano* var. Hiſtor. l. IV. c. XX. traditur, tum in aliis ſingulari fuiſſe ſapientiâ, tum in hoc, qvod cupidiſſimè ignorari, & deliteſcere amaret, Nemo elegantiam ſtili in ipſo qvæſivit. *Cicero* l. II. de Divinat. *Valde obſcurus*, inqvit, *Heraclitus, minime Democritus.* Itaqve cùm ad captum plebejorum deſcenderet, non novum, ſi plebejum qviddam dictioni

inter-

intermiscuerit, qvod & ipsum tot seculorum lapsu, tot infidis librariorum manibus fœdè interpolatum, nemine literatorum suppetias eunte, corruptius hodie, inqvinatiusqve oculis legentium subjicitur. Ultimò, qvanqvam Chemicorum

Ornari res ipsa neget, contenta doceri,

non est tamen eorundem dictio tam sordida, humilisqve, ut perfunctoriè inspicientibus credi solet. *Simon VVagnereckius*, qvi *Democritum*, & plerosqve Græcos Chemicos in bibliothecâ Electoris Bavari sollicitè versavit, de eadem ita: *Stylus*, inqvit, *ut plurimum tersus, neq; ullis ferè mixto-barbaris vocibus interpolatus: accedit amabilis qvædam, & perpetua metaphorarum venustas.* Ita qvod Latinis Chemicis *volatile* dicitur, *Democrito* est φευκτὸν; qvod *fixum*, Democrito πυξίμαχον; qvod *sublimatum*, νιφέλη; qvod *tinctura*, βαφή; qvod *phiala vitrea*, πῦχος ὑέλινον; qvod vasa sollicitè claudere, φιμῶν. Pulchrè itidem: τὰ ἀνάπτα, inqvit *Democritus*, μίγματα καλῶς ἐνεργῶσι χωρὶς πυρός. Hæc & similia, cùm forsan non satis intelligeret *Salmasius*, obelo notavit. Cæterùm qvanqvam *Democritus* non fuerit obscurus, ut ex *Cicerone* didicimus, Chemica tamen paulò obliqviùs scripsisse visus est non initiatis, atqve hinc forsan Timoni apud *Laërtium* ἀμφίνοος λέσχης habitus. Proinde *Democritum* interpretatus *Zosimus* ita rem expedit: οὐσίας δὲ ἐκάλεσεν τὰ σώματα τὰ ὑφιστάμενα πυρὶ, τὰ δὲ μὴ ὑφιστάμενα, ἀνάπτα. Rectissimè ergo *Democritus: Mixturæ spirituum extra ignem qvoqve promptè operantur.* Ad summam, si mediam partem illius temporis, qvod *Solino* impendit *Salmasius*, scriptori in plurimis fabuloso, & qvo sine jacturâ insigni carere res literaria potuit, impendisset restituendis, emendandisqve Chemicis antiqvis Græcis; si *Scioppius* bonas horas *Priapejis* corrigendis insumptas; si alii otium; qvod in neqvitiis *Martialis*, *Petroniiq;* expiscandis collocavere, huc vertissent, jam Græca illa Chemicorum dictio venustâ, & à maculis liberâ facie orbem eruditorum illustraret. Sed redeundum ad *Conringium*. Egregium verò illud ejus argumentum: *Eusebiana illa non esse Eusebii, qvia suspicatur esse Syncelli;* Cur enim non illa viderit *Eusebius*,

qvæ diù ante viderat *Seneca?* qvæ *Zosimus*, qvæ *Synesius*, qvos qvando ostendet *Eusebio* fuisse posteriores? Neqve idcirco inficiamur vel *Doli Mendesii* aliqvod scriptum fuisse nomine *Democriti* seculo olim obtrusum, ut plus auctoritatis ex illustriori scriptore accederet [id qvod & *Hippocrati*, & *Galeno* contingere certum est] vel à magicis vanitatibus omnia, qvæ *Democrito* adscripta sunt, liberamus; ea enim fuit temporum illorum infelicitas, ut cum salutaribus etiam superstitiosa miscerentur, qvod & *Plinio* observatum. Librum autem περὶ Ἀνωμαλιῶν, qvem *Columella Democrito* adscribit, non esse fœtum *Democriti*, eoqve neqve *Democritum* hoc nomine trahendum in culpam facilè constaret, si illud *Conringii* verum esset: *Suppositititios esse Democriti libros, qvi Laërtio non memorantur*, neqve enim ejus scripti meminit usqvam *Laërtius*. Sed est & apud *Columellam* suus honor *Democrito*, ita enim l. XI. c. III. *Veteres*, inqvit, *auctores, ut Democritus, præcipiunt semina omnia succo herbæ, qvæ sedum appellatur, medicare, eodemq; remedio adversum bestiolas uti, qvod verum esse nos experientia docuit.* Interea *Democritum* [licet silente Laërtio] de naturâ metallorum scripsisse etiam ex *Plinii* libro primo discere est. Atqve nè insolens existimetur illud *Eusebii*: *Convenisse Ægyptios in templo ad philosophandum*, conveniunt hodieqve in templo Cairi ad componendam theriacam teste *Prospero Alpino*. Et jam olim Magos Persarum in fanis commentandi, atqve inter se colloqvendi causâ convenisse notavit *Tullius* l. I. de Divinat: Ex superius disputatis, opinor, satis patet, & *Democritum* Chemicum fuisse, & *Conringium* in Chemiæ natales iniqvum.

XVI. Argumentum de antiqvitate Chemiæ ex *Jul. Mat. Firmico* deducitur longè firmius, nobiliusqve, qvàm animadversum *Conringio*. Vox *Firmici* l. III. Mathes. c. XV. *Et si fuerit hæc domus Mercurii, dabit Astronomiam, si Veneris, cantilenas & lætitiam, si Martis, opus armorum, & instrumentorum, si Jovis, divinum cultum, sententiarumq; in lege, si Saturni, scientiam alchimiæ.* Ad hæc *Conringius*: *Hæc prima est*, inqvit, *memoria Alchimiæ.* Et postea: *Cum jam tum vivo Maximo Constantino Chemiæ meminerit Firmicus, nec artificum*

tificum tamen, nec operum vetustior aliqva supersit memoria, per est verisimile, haud multò ante Constantinum illum Imperatorem artem Chemicam cœpisse ostentari. Non advertit hic *Conringius Firmicum* non suo loqvi ore, sed antiqvorum Ægyptiorum. Ita enim *præfat.* libr. secundi: *Nos omnia*, inqvit, *qvæ de istâ arte*, [Matheſi] *Ægyptii, Babyloniiq; dixerunt, docili sermonis institutione transtulimus, ut ii, qvi ad explicanda hominum fata formantur, pedetentim imbuti, omnem divinitatis scientiam consequantur.* Iterum l. III. c. 1. *Mundi itaqve genituram hanc esse voluerunt, secuti Æsculapium, & Anubium, qvibus potentissimum Mercurii Numen istius scientiæ secreta commisit.* Item *præfat.* l. qvarti: *Omnia qvæ Æsculapio Mercurius, Enichmusq; tradiderunt, qvæ Petosiris explicavit, & Necepso, qvæ Abraham, Orpheus, & Critodemus ediderunt, cæteriq; omnes hujus artis antistii, perlecta pariter ac collecta, & contrariis sententiarum diversitatibus comparata in his perscripsimus libris, divinam hanc scientiam Romanis omnibus intimantes.* Tandem & *Præf.* libr. VII, tradit conatum se se explicare, *qvicqvid divini veteres ex Ægyptiis adytis protulerunt.* Qvod si ergo ab antiqvissimis Ægyptiis, Babyloniisqve hausit ea, qvæ scripsit *Firmicus*, uti disertissimis verbis fatetur, si debet iis, qvi artifices sub qvovis signo nascantur, qvod Matheseos occultioris opus est, necesse fuerit antiqvissimam esse Chemiæ originem, utpote ex eodem antiqvissimorum Ægyptiorum fonte haustam. Neqve enim permittebat nota *Firmici* ingenuitas, ut, cùm cætera Ægyptiorum esse fateatur, rem hanc de *Alchimistis*, sine præfatione de suo adjiceret. Iterum *Firmicus* l. VIII. c. XXVI. *Decima septima*, inqvit, *pars* ♏ *si in horoscopo fuerit inventa, aurifices faciet, inauratores, bractearios, & qvi in auro operentur.* Ubi manifestè distinguuntur aurifices, sive Chemici sagaciores ab iis, qvi in auro operantur.

XVII. Perceperat ex aliis *Conringius*, exstare hinc inde in Principum lararis varia *MSSta Chemica Græca*, antiqvitatem Chemiæ loqventia. Mox qvâ est judicii libertate, de scriptoribus iis, licet nondum inspectis, nondum expensis judicium præcipitat. *Qvi hodie*, inqvit, *exstant Scriptores Chemici, omnes infra Constantinum*

sunt. Enimvero Olympiodorum eum qvi in Zosimum est commentatus, non alium esse ab illo Thebano Ægyptio, qvi historiam Theodosio minori, Arcadii filio, teste Photio cod. 80. dicavit, per fecit verosimile doctissimus Reinesius l. 2. Var. Lect. c. 5. Sed fallitur cum *Reinesio Conringius.* Enimvero *Olympiodorus* ille Historicus, *Reinesio* laudatus, & Thebis Ægyptiis natus fuit, & religione gentium imbutus, ut ipse agnoscit *Reinesius.* Neutrum *Olympiodoro Chemico* convenit. Etenim *Alexandrinus* hic fuit, & *Christianus.* Ita enim legas in bibliotheca Regis Christianissimi: Ὀλυμπιοδώρᾳ φιλοσόφῳ, Ἀλεξανδρέως, πρὸς Πετάσιον τὸν Βασιλέα Ἀρμενίας, εἰς τὸ καθ' ἐνέργειαν Ζωσίμου, ὅπου ἀπὸ Ἑρμοῦ, καὶ τῶν φιλοσόφων ἦσαν ἱερημένα. Atqve ut recognoscamus vertiginem *Conringii*, ipse *edit. secundæ pag. XXV.* Olympiodorum hunc Thebanum vocat, qvem pag. XIX. immemor fui Alexandrinum vocaverat. Neqve in voce πιηπὴς qvicqvam præsidii est, ut dubiæ significationis, & sæpiùs ad carmina inclinante. Christianum autem fuisse illa facile docuerint, qvæ in ἱερᾷ τέχνῃ *Olympiodori* exstant: Ὥσπερ ἡ ἡλιου ἐκ τοῦ Ἀδάμ, ἕως πῶς ἄνθρωπος πρῶτον ἐγένετο ἐκ τῶν στοιχείων. Item, Ὁ ὀφιόχος ὁ δαίμων κολύων ἡμῖν τὰ ζητούμενα πανταχόθεν ἕρπει, ἔνδοθεν καὶ ἔξωθεν, ποτὲ ὀλιγωρίας παρεισάγων, ποτὲ φόβους, ποτὲ ἀπροσδοκησίαν, ἄλλοτε καὶ λύπας πραγμάτων, ποτὲ καὶ ζημίας ὥστε ἀποπλάτησιν ἡμᾶς. Si *Petalii* ætatem nôssemus accuratè, de *Olympiodori* hujus ævo facilius esset definire. Id cùm non ita securè liceat, in medio relinqvimus sit ne hic noster *Olympiodorus*, ille, cujus meminit *Plinius* l. 1. de scriptoribus libri duodecimi. Qvod si est, jam ille aliqvot seculis Constantinum Magnum præcesserit. Et sanè sunt indicia non levia, antiqviorem esse Constantino Magno. Enimvero ipse *Olympiodorus Alexandr.* πρὸς Πετάσιον εἰς τὸ καθ' ἐνέργειαν Ζωσίμου &c. de subjecto artis Chemicæ: καλεῖται ἡ, inqvit, παρθένος γῆ, καὶ σεμνὴ γῆ, καὶ γῆ αἱματώδης, ταῦτα ἡ ἔρευνα ἐν ταῖς Πτολεμαϊκαῖς βιβλιοθήκαις. Hîc provocat ad bibliothecam Ptolemaicam suo adhuc tempore florentem. At, inqvies, qvi potuit homo Christianus vidisse bibliothecam Ptolemæorum, qvæ enimvero ante Christum periit Alexandrino bello, qvod Cæsar dictator gessit?

gessit? Verum res salva est. Aderant in illâ, qvæ in Bruchio Alexandriæ colligebatur, bibliothecâ, voluminum millia septingenta, ut ab *Agellio*, & *Marcellino* commemoratum; qvæ cùm omnia cremata existiment nonnulli, nihilominus qvadringenta duntaxat millia incendio illo periere, teste *Seneca* l. de Tranqvill. animi; ergo necesse est in posteritatis usum superfuisse adhuc millia trecenta. Sed demus periisse universa! visebatur interea & alia nobilis bibliotheca Ptolemaica Alexandriæ in Serapéo, qvæ & ævo Tertulliani viguit, &, ob multitudinem fortassis librorum, nomine *bibliothecarum* venit, certe enim ita de eâ in Apologet. *Tertullianus: Hodie*, inqvit, *Ptolemæi bibliothecæ apud Serapeum cum ipsis Hebraicis literis exhibentur.* Hinc recte *Olympiodorus* bibliothecas nominat. Circa illa ergo tempora vidit Alexandriæ *Alexandrinus Olympiodorus* in bibliothecis Ptolemaicis scripta Chemica, hoc est sesqvisæculo ante Constantinum Magnum, nam imperante Constantino jam tum periisse bibliothecas illas, vel ex eo liqvidum, qvòd *Marcellinus*, scriptor ævi Constantii Aug. de bibliothecis Ptolemaicis, ut re antiqvâ, & jam diu sepultâ loqvatur, l. xxii. & cùm jussu tandem Theodosii senioris destrueretur Serapéum, nè mentio qvidem fit bibliothecarum, ut diu ante vel flammis, vel hostili direptione ablatarum. Judicent vel hinc cordati Lectores, de illo *Conringii* in Apologet. *Probet ergo Olaus*, inqvit, *in Scriptis Alexandrinæ bibliothecæ perditis factam Chemicorum operum aut artis mentionem. Qvod cùm neqveat, saltem non sit mihi imposterum* [ita pulchrè pro in posterum] *ineptiis suis molestus.* At cùm ego id jam ex *Olympiodoro* Alexandrino, Philosopho, oculato teste, qvi scripsit τοῦτο δὲ ἔστι Ἑρμοῦ καὶ τῶν φιλοσόφων ἦταν ἑρμηνεία, ostenderim, rogatur *Conringius*, ut in posterum ineptias ejusmodi suas resorbeat, & tam crudâ antiqvitatis Chemicæ ignorantiâ publico molestus esse dediscat. De *Synesio* jam ante dictum; certè eum Arcadii ævo non vixisse, qvod suspicabatur *Conringius*, sed diu ante vertisse ætatem etiam Theodosii primi, vel ex eo perspicuum est, qvòd florente Alexandriæ Serapidis fano, à Theodosii primi Episcopo Theophilo deniqve

everso scripserit. Qvin immò antiqviorem esse *Synesium* vel ex eo liqvet, qvòd *Zosimus* ἐν τῇ πλευσταίᾳ ἀποχῇ, scripti ejus meminerit ad Dioscorum; ut simul eluceat, qvàm falsum sit illud *Conringii* in Apolog. *Zosimum antiqvissimum esse omnium Scriptorum Chemicorum, qvi ad nos pervenere.* Qvomodo enim ille antiqvissimus, qvi antiqviorem se *Synesium* citat, ejusqve librum ad Dioscorum laudat? *Synesius* autem *Zosimi* nusqvam meminit, sed operum *Hermetis*, sed operum *Democriti*, *Epibechiq.* Post *Synesium* autem inclaruit *Zosimus*, ob scriptorum multitudinem, & dexteritatem magni nomen, & œcumenici Philosophi emeritus. Ad rem Ἀνεπίχειρον φιλόσοφον ἔλλω de ratione dealband. Aqv. Divin. *Dicemus & qviddam*, inqvit, ut Græca latinè reddantur, *de χυσοποιίας Coryphæis. Primus eorum est Trismegistus à triplici artis operatione ita Græcis cognominatus. Hic omnibus antiqvior est tanti mysterii Scriptor. Hujus vestigia secutus Joannes summus in urbe sanctâ Sacerdos. Post eum prodiit Democritus artis hujus Magister, Philosophiæ nomine celebris, & licet Abderitanus origine, omnium tamen hujus artis interpretum præstantissimus. Tandem illuxit orbi Zosimus, qvi & ipse ut plurimarum rerum peritissimus nomen vulgò magni obtinuit. Et hi sunt Oecumenici sive universales Philosophi.. Horum dissertationes exposuere Olympiodorus & Stephanus, qvi & ipsi commentarios de hac arte reliqverunt. Zosimum autem Panopolitam, Pelagiumq.* philosophum θεϊκῆς θείας, καὶ ἱερᾶς τέχνης cùm attentè legerim in bibliothecâ Regis Christianissimi, nihil in omnibus istis libellis notare licuit, qvod ostenderet Auctores illos Constantino Magno ætate inferiores fuisse. *Conringius* tamen, qvi eos nè inspexit qvidem unqvam, nescio qvâ fronte: *Cæterum*, inqvit, *ut hujus Synesii, & Pelagii, & Zosimi ætatem non liceat exactè adeo definire, tamen ante Constantinum Magnum hos vixisse, nihil est qvod indicet; juniores illos esse multa faciunt verosimilia.* Sed cùm istorum vel in speciem verosimilium nihil hactenus potuerit ostendere *Conringius*, qvi nè Galliam qvidem vidit unqvam, tantum abest *Zosimum* in Gallijs delitescentem viderit, manifestè judicii temerarii reus tenetur. Prudentior *Jon-*

sius,

sint, qvi de script. Histor. Philos. nè de *Zosimi* qvidem, Alexandrini Philosophi ætate qvicqvam ausus fuit definire. Credibile est *Zosimum* hunc eum esse, cujus ungventum ad tremulos commendat *Ægineta* l. VII. c. XIX. & cujus ophthalmicon ex cadmiâ ustâ, æreo usto, & stibio laudat *Galenus* de compos. Medicam. sec. locos, l. IV. c. VII. qvem utiqve Constantino Magno longè vetustiorem esse evidentissimum est. Qvod spectat *Michaelem Psellum*, scripsit ille περὶ χρυσοβούλλου imperante demum Constantino Ducâ, qvod rectè conjicit *Conringius*, sed cùm non probet, vel ejus nomine ostendam id ex bibliothecâ Regis Christianissimi, in qvâ descripsi opus qvoddam Psselli hujus, cui titulus: Τῦ μακαρίτε, καὶ πανσόφε ψελλῦ ἐπιστολὴ πρὸς τὸν ἀγιώτατον Πατριάρχην τὸν Ξιφιλίνον περὶ χρυσοβούλλου. Floruit autem ille *Joannes Xiphilinus*, Trapezuntius Patriarcha, regnante Constantino Duca, ut ex *Zonarâ*, aliisqve constat. *Blemmedæ* opus χημευτικὸν, utcunqve redoleat antiqvitatem, qvando scriptum, non facile definiero, *Conringus* tamen, ut ostendat se qvidvis audere, etiam scriptore illo nondum consulto; *Fortassis*, inqvit, *Psello ipso junior est Blemmida, cujus itidem fertur Græcum opusculum* χημευτικὸν. *Ut proinde verum sit qvod diximus, nullum hujus artis scriptorem ostendi hodie Constantini Magni ævum superans.* An illud *fortassis* Blemmedam reddere possit Constantino Ducâ juniorem, viderint eruditi. Exstat autem in Bibliothecâ MSS. Regis Galliarum Νικηφόρε τῦ Βλεμμύδε περὶ τῶν φυσικῶν ἐφέξεων opus, *Conringio* nè visum qvidem, & tamen ab eodem infra Ducam Imperatorem temerè detrusum. Exstant plura alia Chemica scripta Græca Romæ in *Vaticanâ* Bibliothecâ, Parisiis in *Regia* MSS. Venetiis in illa *D. Marci*, item in Bavaricâ, *Colonienſi*, aliis, qvæ omnia ad incudem revocâsse oportuit *Conringium*, anteqvam dictatoriè pronunciaret: *Nullum artis hujus scriptum ostendi hodie Constantini Magni ævum superans.* Hæc judicat, qvi operum eorum nullum vidit. Sed si apud illum consiliis locus, expendat ante editionem tertiam eos, qvi seqvuntur Auctores, anteqvam condemnet, nè nimium præcipitando se se, cœcos peperisse existimetur. Sunt autem illa scripta:

Ἀγαθοδαίμων ὁ ἐκ τὸν χρησμὸν Ὀρφέως συναγωγὴ, καὶ ὑπόμνημα.
Ἀνεπιχείρητος φιλόσοφος περὶ χημείας.
Ἀρχελάου φιλοσόφου περὶ τῆς ἱερᾶς τέχνης.
Δημοκρίτου βίβλος προφωνηθεῖσα Λευκιππῷ.
Δημοκρίτου φυσικὰ, καὶ μυστικά.
Ἐμβηχίου, sive Ἐμβύχίου.
Ἡρακλείου.
Θεοφράστου φιλοσόφου περὶ τῆς θείας τέχνης.
Ἰερομίου φιλοσόφου περὶ λίθου τῶν φιλοσόφων.
Ἰσις Προφήτις τῷ υἱῷ Ὥρῳ.
Ἰωάννου Ἀρχιερέως, τοῦ ἐν ἁγίᾳ πόλει, περὶ τῆς ἁγίας τέχνης.
Κλαυδιανοῦ.
Κλεοπάτρας περὶ στοιχείων, καὶ μέτρων.
Κομαρίου φιλοσόφου, ἀρχιερέως, διδάσκοντος τὸν Κλεοπάτραν τὴν θείαν καὶ ἱερὰν τέχνην τοῦ λίθου τῆς φιλοσοφίας.
Κοσμᾶ Ἱερομονάχου Ἑρμηνεία τῆς χρυσοποιΐας.
Ὁσίου φιλοσόφου πρὸς Πετάσιον περὶ τῆς ἱερᾶς, καὶ θείας τέχνης.
Πάππου φιλοσόφου ἔργον.
Πελαγίου φιλοσόφου, περὶ τῆς θείας, καὶ ἱερᾶς τέχνης.
Σαλμανᾶ Ἄραβος μεθοδος.
Σέργιος.
Σοφᾶρ ὁ ἐκ Περσίδος.
Στεφάνου Ἀλεξανδρέως οἰκουμενικοῦ φιλοσόφου περὶ τῆς ἱερᾶς, καὶ θείας τέχνης τοῦ χρυσοῦ ποιήσεως.
Χριστιανοῦ περὶ τοῦ θείου ὕδατος.

Neqve verò sufficit, vel supposititia illa scripta dictatoriè pronunciare, vel infra seculum Christianum tertium omnia detrudere. Rationibus agendum, non præjudiciis. Sed placet sibi in eâ opinione *Conringius*, qvasi novum εὕρημα proderet, qvasi non jam diu ante scripsisset *Jos. Scaliger* in IV. Manil. *Non habemus antiqviorem Firmico, qvi alchimiæ mentionem fecerit.* Sed condonandum *Scaligero*, ut hæc obiter, & dum aliud ageret, tradenti, *Conringio* autem, qvi

qvi principe instituto hoc egit, neqvaqvam. Exstant & *Hermetis* varia scripta Chemica, præcipue in lararíis Principum, qvorum unum Græcum laudavit *VVagnereckius*, lectum sibi apud Electorem Bavarum, qvod genuinum Hermetis scriptum esse non dubitat. Id cùm sciret *Conringius*, ut ex l. 1. de Hermet. Med. c. III. constat, mirum cur contrarium non ostenderit. Non potuisse autem vel ex eo discimus, qvòd solam *Barvœtii*, hominis, qvi neqve viderat unqvam, suspicionem, tanqvam umbonem obduxerit. Meminit & alterius scripti *Hermetis* Chemici *Olympiodorus* εἰς τὸ καθ' ἐνέργειαν Ζωσίμου: Πάλιν, inqvit, ἐν τῇ Κυρανίδι ὁ Ἑρμῆς ἀινιττόμενος κυρίως ἐσίαν ἠλίου, καὶ σελήνης ἔλεγεν τὸν ὑδρεργύρου, καὶ δὲ τὸ ζῶον προσκαλεῖται ζητούμενον: &c. Visum & scriptum illud Chemicum *Thomæ Reinesio* Var. lect. l. 1. c. II. Interea res ipsa docet, falsum esse illud *Conringii*: *Qvæ hodie superant Kyranides, omnino videntur ejusdem esse notæ cum illis, qvarum meminerunt veteres: nisi qvòd non integræ ad nos fortè pervenerint.* Neqve enim, ut alia nunc præteream discrimina, vel verbo meminere hodierni *Kyranidum* libri τῆς τέχνης χημευτικῆς, qvæ in antiqvis illis *Olympiodoro* laudatis luculento stylo Chemico introducitur. Deniqve & *Synesius* πρὸς Διόσκορον agnoscit se scriptum qvoddam *Hermetis* Chemicum legisse: Ἦ οὐκ ἤκουσας, inqvit, τοῦ Ἑρμοῦ λέγοντος, τὸ κύριον τὸ λευκὸν, καὶ τὸ κύριον τὸ ξανθόν; Exstat & liber in Bibliothecâ Regis Christianissimi hoc nomine: Ἑρμοῦ φυσικὴ βαφή: Hermetis de tincturis Physicis. His adjice illustrem ex *Zosimo* locum Μυστικῇ βίβλῳ, qvem superiùs attigimus? Οἱ Αἰγύπτιοι μέμφονται τοὺς Ἀρχαίους, μάλιστα Ἑρμοῦ, ὅτι ὅτι θησαυρὸς αὐτοῖς ἀνεδείξαντο, &c. Similiter *Olympiodorus* πρὸς Πετάσιον ad minimum ter dicta *Hermetis* ad partes vocat, ubi de arte Chemicâ disputatur. Legitur & in *Stobæo* titulus libri ejusdem *Hermetis*: Ἑρμοῦ λόγος Ὡρου πρὸς Ἴσιν, ubi illud Ὡρου superfluum est. *Conringius* hic: *Indubiè*, inqvit, *scribendum*, Ἴσιος λόγος πρὸς Ὡρον. Ubi maluit *Conringius* barbarismo duplici [*indubiè* & Ἴσιος] se polluere, qvàm ab insectatione *Hermetis* abstinere. *Isidos* amant Græci, *Isidos* Latini, non monstrosum illud Ἴσιος, qvod in utraqve tamen editione *Conrin-*

gius de suo fabricatus est. Sed cur non præstet illud *Stobæi*, ἐρωᾶ λόγῳ πρὸς Ισιν, cùm ipsa Isis in sepulcrali marmore edoctam sese ab *Hermete* fateatur, tradente *Diodoro?* Neqve propterea inficiandum, exstare scriptum aliud, cui titulus: ἱερὸς Ἑρμῆς πρὸς υἱὸν Ὧρον. Sed contra libros *Hermetis* est, qvod obducat *Conringius*. I. Scripta, qvæ Hermeti tribuuntur, inter se se dissentire. II. Non esse omnia *Hermetis*. III. Ante tempora Christi non memorari cuiqvam, nisi Sacerdotibus Ægyptiis. IV. Dubiam esse fidem Hermeticæ doctrinæ, qvòd Ægyptii pleriqve inter se dogmatis dissenserint, & tamen *Hermetem* dogmatum suorum laudaverint Auctorem. V. Incertum, num aliqvis fuerit Hermes, qvòd Ægyptii Sacerdotes portentosis mendaciis fidem omnem decoxerint. VI. Tempore Hermetis non fuisse papyrum, cui libri inscriberentur. Qvanqvam autem hos scopulos ex superioribus amoliri facile sit, non pœnitebit tamen paucis ad hæc respondere. I. Etiam scripta *Augustini* inter se dissentire, esse tamen ejusdem *Augustini*, voluntates hominum, & sententias esse ambulatorias, alia juveni qvandoqve placere, alia seni. II. Sufficit pleraqve qvæ *Hermeti* tribuuntur, Mercuriales continere sententias, qvod tradidit *Jamblichus*. III. Nemo temere ante tempora Christi, præter Sacerdotes admissus fuit ad arcana *Hermetis* volumina, ut ex superioribus, & *Clem. Alexandrino* manifestum est. Fuere tamen ante, sed in secessu ædytorum Ægyptiorum conservata. Sacerdotibus autem Ægyptiis partim à nato Christo in exilium actis, partim fidem Christianam amplectentibus patuere arcana scripta, qvibus antea nimium tribuerant Hierophantæ. IV. Scinduntur & in diversas sententias Christiani, Catholici, Lutherani, Calviniani, Anabaptistæ, alii, non ideo dubia meretur vocari doctrina Salvatoris Christi, sed trahunt singuli dogmata vera in suam opinionem. Ita Persæ Alcorano sensum alium attribuunt, Turcæ alium. Similia Hermeticis doctrinis subinde contigisse qvis dubitaverit? Et qvis miretur, si Hermes aliis provinciis alias leges definierit, observatâ locorum diversitate? id utiqve cum ratione factum. V. Fuisse *Hermetem*

ex

ex superioribus adeo evidens est, ut temeritati sit proximum, rem tam manifestam denegare. Mendacia qvæ *Conringius* sacerdotibus Ægyptiis impingit, ægrè demonstrabit. Interea ruminetur secum, qvomodo illa cohæreant, qvæ scribit l. 1. c. IV. *Sacerdotes Ægyptios portentosis mendaciis omnem fidem decoxisse.* Et qvæ l. 1. c. III. *eosdem fuisse omnium mortalium principes.* VI. Nil impedit Hermetis monimenta olim vel papyro, vel membranis inscripta, fuisse in usum viventium, columnis in usum posterorum. Sed de columnis Mercurii videantur, qvæ superiùs nobis & prolixè disputata sunt, adversus invectivam *Conringii.* Qvod autem speciatim attinet cætera *Hermetis* scripta, qvæ nec Medici, nec Chemici argumenti sunt, ea, nè extra institutum nostrum digrediamur, operosè hic persequi decretum non est. Interea mirari subit, cur tam audacter *Conringius* Asclepium *Hermetis* tradat esse nullius, vel incertæ fidei, nec multum antiqvum, eo solo argumento: *Num autem multum sit antiqvior Lactantii ævo, haud definire est.* Si id *haud definire est*, præstaret ἀπέχειν, qvàm temerariè definire *eum non esse multùm antiqvum.* Eqvidem ad partes vocavere *Augustinus*, & *Lactantius*, ut antiqvissimum. Hic *Conringius*: *In Christianum sensum*, inqvit, *per vim ab Augustino pariter & Lactantio, qvæ de DEI Filio, deq; mundi purgationibus illo libello leguntur, detorta sunt. Accuratè enim Hermetica expendentibus patet mundum ipsum Hermeti filium DEI dici, &c.* Non dubito fore, ut Theologi vindicent graviſſimos Patres, ego tantùm hîc intueor vertiginem *Conringii*, qvi cùm ante tradat l. 1. c. V. *Hermeticam doctrinam non posse inde tutò peti*, mox sui immemor asseverat, *ea de Filio DEI* Hermetica esse, & mundum *Hermeti* filium Dei dici. De Pœmandro, & cæteris *Hermeti* attributis libellis placet mihi illud *Jamblichi* de Myster. Ægypt. *Hermeticas continere sententias*, sed eas longo ævo variè interpolatas, qvibus alia atqve alia hinc inde assuta, si qvis caussetur, cogitet, id non *Hermeti* tantum, sed & *Hippocrati*, *Aristoteli*, aliisqve infinitis contigisse similia, de qvo, si qvis ambigat, recognoscat, si libet, vel ea qvæ de scriptis *Aristotelis* à nobis tradita sunt hoc ipso libro, & judicabit fortasse, meram esse in-

dulgentiam seculi, qvòd pleraqve *Aristotelis* scripta credantur toto corpore *Aristotelica*. Ut mittam, de germanis aliorum veterum scriptis dubitandi causſas, in legendo vel uno *Laërtio* nascentes.

XVIII. Restat nunc de Chemiæ antiqvioris exercitio differentem *Svidam* intueri. Is ita: χημεία, inqvit, ἡ τὸ ἀργύρου καὶ χρυσοῦ κατασκευή. ἧς τὰ βιβλία διερευνησάμενος ὁ Διοκλητιανὸς, ἔκαυσε, διὰ τὸ νεωτερισθέντα Αἰγυπτίοις Διοκλητιανῷ· τούτοις ἀνημέρως, καὶ φονικῶς ἐχρήσατο. ὅτι δὴ καὶ τὰ περὶ χημείας χρυσοῦ, καὶ ἀργύρου τῶν παλαιῶν γεγραμμένα βιβλία διερευνησάμενος ἔκαυσε, πρὸς τὸ μηκέτι πλοῦτον Αἰγυπτίοις ἐκ τῆς τοιαύτης προσγίνεσθαι τέχνης, μηδὲ χρημάτων αὐτοὺς ἁβρότητας περιουσία, τῶν λοιπῶν Ρωμαίοις ἀνταίρειν. i. e. *Chemia argenti & auri præparatio. Cujus libros inqvirens Diocletianus combussit, qvòd adversus ipsum rebellâssent Ægyptii. Tractavit eos inclementer, & crudeliter, cùm perscrutatus libros ipsorum ab antiqvis scriptos de auri, argentiq; Chemiâ, cremaret, ne ex eâ arte ampliùs divitias colligerent, iisq; confisi in posterum Romanis adversarentur.* Ut luculentum illud testimonium infirmet *Conringius*, persvadere orbi parat, *Svidæ non esse credendum, cùm unus id narret; vixisse Svidam post Diocletianum annis octingentis, qvales non solent esse idonei testes; esse centonibus illis multa inserta à vero alieniſsima. Verisimilius esse, fictum id à callido qvopiam Chemico.* Non urgebo *Conringium* in Apolog. cùm hæc verba Svidæ citat, malâ fide scribere, pro διερευνησάμενος, jam διεμωνευσάμενος, jam διαρευνησάμενος, non urgebo illud ejusdem ταῖς παλαιοῖς, pro τοῖς, item Διοκλεϊανὸς, pro Διοκλητιανὸς, qvæ qvàm supinè, & oscitanter agat literator, satis declarant; adjungam tantùm illud, qvòd si ex suspicionibus ejusmodi argumenta nectere liceat, qvi non scriptores, qvæ non scriptorum loca in dubium vocari possunt? Qvot historicorum veterum scripsere ea, qvæ ipsorum ætatem vel octo seculis præcesserant? *Diodorus, Herodotus, Trogus*, alii, qvorum ideo testimoniis nihil temere detrahitur. Si qvis autem iisdem temporibus propinqvior aliud sapienter doceat, jam qvidem is majorem meretur fidem. Sed nemo Diocletiano vicinior contrarium docuit, idcirco solâ suspicione Conringianâ

non

non potest *Suidæ* abrogari fides. Constat esse in qvibus excidat sibi *Suidas*, sed id ex aliis Auctoribus demonstratur; testimonium autem hoc qvod enervet, nihil hactenus in ullo scriptore Historiæ Diocletiani deprehensum. Ideo *Josephus Scaliger*, vir acerrimi judicii, in l. IV. *Manilii*, cùm & illud de vellere aureo, & hoc idem *Suidæ* testimonium recitâsset, licet is qvoqve infestior paulò Chemicis, subjicit tamen: *Ex istis potes colligere, qvamvis inventum Chemiæ vetustissimum est, serò tamen ad Romanos pervenisse. Salmasius* in Plin. Exercit. tradit non *Suidam* hæc scripsisse, *sed veterem Autorem apud Suidam.* Non dubitant tanti viri hac parte de fide diligentissimi *Suidæ.* Neqve etiam dubitavit vel *Gvilandinus* l. de papyro, vel illustris *Ger. Joann. Vossius* de Philos. c. IX. qvi & advocant hoc nomine *Suidam*, & suffragio suo firmant. Atqve si diligentiùs legisset *Suidam Conringius*, mutâsset haud dubiè sententiam. Enimvero & alibi eadem tradit *Suidas*, & dilertè, cùm horrenda Diocletiani facinora recenset, *voce Diocletian.* Postqvam enim ibi docuisset atrocissimam persecutionem in Christianos exarsisse Ducibus Maximiano, & Diocletiano, subjungit: Περσέπαξε [Diocletianus] δὲ καὶ χώραν καὶ πόλιν τὰς τοῦ χριστοῦ Ἐκκλησίας καταστρέφεσθαι, καὶ τὰς θείας αὐτῶν γραφὰς καταφλέγεσθαι. Τοὺς δὲ χριστιανοὺς ἀλισκομένους ἀναγκάζεσθαι θύειν τοῖς δαιμόσιν &c. Mox de eodem. Οὗτος ὁ ἄνθρωπος καὶ μισόξενος μνήμην καὶ ὀργὴν τῶν ἐπὶ τῶν ἀρχαίων νεωτερισθέντων ἐπὶ τῶν Αἰγυπτίων ἐποιήσατο, ὅτε ἡμέρας τρεῖς ἀπεχρήσατο. ἀλλὰ προγραφαῖς καὶ φόνοις τῶν ἐπισήμων μιαίνων ἐπῆλθε τῶν Αἰγυπτίων. Ὅτι δὴ καὶ βιβλία ἐπὶ χημείας ἀρχύρου, καὶ χρυσοῦ πάσης παλαιοῖς αὐτῶν γεγραμμένα βιβλία διερευνησάμενος ἔκαυσε, πρὸς τὸ μηκέτι πλοῦτον Αἰγυπτίοις ἐκ τῆς τοιαύτης ἐπιτεχνᾶσθαι τέχνης, μηδὲ χρημάτων αὐτοὺς ἱππάρχους ἐπιόντας τοῖς λοιποῖς Ῥωμαίοις αὐταίρειν. Ἦν δὲ τὸ ἦθος πικίλος τις καὶ παντοδαπός· τῷ δὲ λίαν σιωπητικῷ καὶ ὄχει τῆς γνώμης ἐπικάλυπτε πολλάκις τὰ τῆς οἰκείας φύσεως ἐλαττώματα, πάσαν σκληρὰν πρᾶξιν ἐπιφέρων ἀναιδείας. Enimverò hanc dissertationem non esse Chemici alicujus commentum declarat tum historiæ totius series uno filo contexta, tum dictio ipsa, qvæ Chemicis Græcis humilior est, hîc autem toris qvibusdam suis & lacertis insurgit

git, tum deniqve testimonium Zonaræ, qvo ingenium Diocletiani ad exurendos Christianorum libros propendens [qvod & hîc *Svidas* ostendit] facilè manifestatur. Ita autem *Zonaras* in Dioclet. *Hi Tyranni* [Diocletianus, & Maximianus] *sub annum XIX imperii Diocletiani, edicta qvovis terrarum mittebant, qvibus Ecclesiæ Christianorum dirui, libri cremari jubebantur, & Sacerdotes eorum ut doctores & præcones fidei, crudeliter interfici.* Et verò profitebantur libri Chemici pleriqve seculorum istorum doctrinam Christianam, qvemadmodum ex *Archelai*, *Hierothei*, *Theophrasti*, aliorumqve Chemicis scriptis clarissimum est. Cæterùm utinam exstaret hodie *Asclepiodotus*, qvi, ut ex *Cuspiniano*, & *Flav. Vopisco Syracusio* constat, Diocletiani gesta descripsit! utinam exstaret *Soterichus Oasites*! qvi, ex *Svida*, Diocletiani encomium scripsit, uberiorem sanè exustionis hujus librariæ declarationem videremus. Nam qvi hodie leguntur temporis Diocletiani Historici, plura etiam alia ejusdem, & laudabilia qvoq; opera præteriere; immò nè attigit qvidem ille laudatus *Conringio Historiæ Miscellæ auctor*, nec *Eutropius*, nec *Sextus Aurel. Victor*, nec *Pomponius Lætus*, nec *Zonaras*, opus Diocletiani omnium magnificentissimum, thermas illas toto orbe celeberrimas tanto apparatu, tot annis, tot impensis fabricatas, qvarum rudera vel hodie magnifica; partim nunc in Carthusianorum versa templum, partim in fanum S. Bernhardi, partim in alios usus spectat urbs Roma, & admiratur. De qvibus variè, & eleganter *Mercurialis* de Arte Gymnasticâ, & *Famianus Nardinus* in Româ Antiqvâ. *Sed Diocletianus multa per Ægyptum providè ordinavit.* Immò, & hæc providè sibi ordinâsse visus est, ut rebellandi materiam Ægyptiis auferret, de qvo latiùs in Dissert. de Ort. Chem. Instat tamen in Apolog. *Conringius* acriter [ut alias ipsius præteream ineptias] *Svidam* esse omnium hodie superstitum Scriptorum, qvi tale qvid dixere, primum, & mox: *Qvæ de majori illius historiæ antiqvitate produntur, non nisi figmenta sunt Borrichiana, ut alia plurima. Præter Svidam memorâsse idem alios & vetustiores qvidem debuisset Olaus probare. Huc nihil facit qvòd multi scriptores perierint.* Immò verò pluri-

plurimum huc facit, *qvòd multi scriptores perierint.* Infinita alia tradit *Svidas*, qvæ ipsi credimus, utcunqve scriptores, ex qvibus hausit, interciderint. Et verò sistat nobis *Asclepiodotum*, sistat *Oasiten Conringius*, & alii facti hujus scriptores demonstrabuntur. Interea aut resorbeat illam suam calumniam *Hermannus*: *esse hæc non nisi figmenta Borrichiana*; recognoscat magni *G. Jo. Vossii* scriptum de Philos. c. IX. ubi disertè *Vossius*, & qvidem literis majusculis: *Mauros, verò*, inqvit, *ab Ægyptiis accepisse autumant* [Chemiam] *qvando Svidas, uti & Orosius, Paulus Diaconus, scribunt, Diocletianum Cæsarem, captâ Alexandriâ, libros omnes summo studio undiqve acqvisivisse, eosq; combussisse, ut occasionem Ægyptiis præriperet hac arte opulescendi, armandi, adversus Romanos capiendi.* Nihil ergo finxit *Borrichius*, sed luculento scriptori *Vossio* credidit. Neqve dubium est, amantissimum veritatis *Vossium* hæc in *Orosio*, & *Paulo Diacono* legisse; qvanqvam enim in editionibus vulgatis non reperiatur, nihil impedit, qvo minus in melioribus Codic. aut certè *MSStis* vir integerrimæ fidei observârit.

XIX. Non desinit *Svidam* mordere *Conringius*: *Paris nimirum*, inqvit, *notæ est istac narratio cum illâ allegoricâ aurei velleris ad Chemiam tractâ expositione, qvam itidem forte ex Chemicorum aliqvo Svidas descripsit.* Τῦτο δ', inqvit, de fabuloso illo vellere, ἐχ ὡς πιθανῶς φέρεται, ἀλλὰ βιβλίον ἰῶ ἐν δέρμασι γεγραμμένον, ᾧ εἶχον, ὅπως δεῖ γίνεσθαι Δι' χημείας χρυσόν. εἰκότως ἂν οἱ τὰ χρυσοποιούμενα αὐτὸ δέρας, Δι' τὴν ἐνέργειαν τὴν ἐξ αὐτοῦ. Benè tamen, qvòd agnoverit *Conringius*, non *Svidæ* hoc fuisse commentum, sed jam ante eandem sententiam placuisse *Eustathio*; meliùs, si admiranda illa *Salmasii*, qvemadmodum vocat, in Solinum, diligentiùs evolvisset: inveniisset enim ibi *Svidam* non à Chemico aliqvo interpretationem illam mutuatum, sed ab alio fide dignissimo scriptore. Ita ergo *Salmasius*: *Joannes Antiochensis*, inqvit, ᾧ Ἀρχαιολογίας, *de vellere aureo*: τὸ μυθολογούμενον χρύσεον δέρας βιβλίον ἰῶ ἐν δέρμασι γεγραμμένον ᾧ εἶχον ὅπως δεῖ Δι' χημείας χρυσὸν ἐργάζεσθαι. *Eadem habet Svidas in voce* δέρας, *qvæ ex hoc Auctoris loco habet.* Hæc *Salmasius*. Vixit autem

tem Joannes iſte Antiochenſis imperante Heraclio, ut ex *Jac. Gothofredi* prolegom. in Philoſtorg. & *Ger. Jo. Voſſio* de Hiſtor. Græcis, manifeſtum eſt. Atqve ita vixit, ut non ſuorum ſeculorum inventa in hoc opere proderet, ſed ſcita antiqvorum, qvod vel ipſa τῆς ἀρχαιολογίας inſcriptio facilè confecerit. Ut vel hinc conſtet, tempore jam olim Heraclii in antiqvis traditionibus fuiſſe vellus aureum Jaſonis pro libro χρυσοπιηλικῆ docente. Nec inſolens veteribus eſt, pellem arietis pro libro intelligere. Enimverò diſertè *Herodotus* in Terpſichor: *Priſcâ*, inqvit, *conſvetudine Jones* [& hi per Pſammitichum, Ægyptii coloni] *libros appellant pelles, qvòd aliqvando penuriâ τῶν βίβλων pellibus caprinis, ovillis q. uterentur: & adhuc ad meam usqve memoriam multi barbarorum talibus in pellibus ſcribunt.* Qvin & ducenta illa librorum millia, qvæ Antonius Cleopatræ olim donavit, Attalorum Pergami Regum muſeis erepta, hœdinis in pellibus exarata fuiſſe docet in Vitâ Antonii *Plutarchus*. Atqve nè qvis miretur in Colchorum gente *aureum illud vellus* inventum, & non potiùs in Ægypto, ſciat Colchos etiam Ægyptiacæ originis fuiſſe, qvod *Herodoto*, *Diodoro Siculo*, *Straboni*, *Marcellino* credimus, ideoqve rem eodem redire; videri tamen Colchos, ut à natali ſolo avulſos paulatim ſilentium illud ſecreto Chemico debitum contra mores Sacerdotum Ægyptiorum dedidiciſſe, atq; hac garrulitate improvidâ Græcos acciviſſe raptores. Non ignoro *Strabonem* l. XI. ita ſcribere: *Ajunt apud Iberos Colchis vicinos, etiam aurum deferri à torrentibus, idq; barbaros excipere alveolis perforatis ac velleribus lanoſis, unde etiam aurei velleris exſtiterit fabula.* Sed I. illud λέγεται ſatis docet, non auſum *Strabonem* confidenter, & tanqvam vera hæc tradere. II. Qvis credat divitias Colchorum ſive ex torrentibus, ſive ex aurariis metallis lectas tot Hellados Principes, in prædatores convertere potuiſſe, cùm longè ditior Turditania Hiſpaniæ id non potuerit, de qvâ *Strabo* l. I. *Nondum compertum eſt usqvam terrarum, aurum, argentum, æs, ferrum tantâ tum copiâ, tum bonitate inveniri, atqve in Turditaniâ Hiſpaniæ. Aurum non effoditur ibi modò, ſed & flumina, & torrentes auro permiſtam*

ſtam arenam volvunt: multis etiam in locis aqvæ expertibus arena talis invenitur. Et poſtea: *Deprehenſum Turditanos argenteis præſepibus & doliis uſos.* Neqve ignorantia Græcorum hic obtendi poteſt, Hercules enim, & Phœnicum expeditiones jam tum iſta omnia patefecerant, ut ex eodem *Strabone* colligimus. III. Traditur ab omnibus Iaſon non ad divitias Colchorum per vellera collectas profectus fuiſſe, ſed ad vellus ipſum, ſeu pellem ipſam auferendam, evidenti argumento ipſum δέρας χρυσόμαλλον theſaurum qvæſitum fuiſſe, unde *Manilius* Aſtron. l. v.

— — arceſſitur inde macellum,
Unde aurata novo convecta eſt æqvore pellis.

Qvod qvî rectiùs explicabitur, qvàm cum *Svida*, & *Jo. Antiochenſi* de *ovillis pellibus*, qvibus ars χρυσοποιητικὴ inſcripta? IV. Diſſenſus Auctorum de Colchicis divitiis oſtendit ipſam veritatem paucis notam fuiſſe: *Strabo* exceptum velleribus torrentium aurum exiſtimat; *Plinius* l. XXXIII. c. III. Salaucem & Ebuſopen è terrâ virgine ibi aurum eruiſſe tradit. Cæterùm cum Colchos eſſe ex Seſoſtris Ægyptii, victoriis terram peragrantis exercitu conſtet, ex *Herodoti* Euterpe, vero ſimillimum eſt χρυσοποίητον Ægyptiam apud optimates illos Ægyptios in Colchide poſtea remanſiſſe. Et nè Seſoſtrim alienum ab arte Hermeticâ fuiſſe qvis arbitretur, conſtat ex *Ælian.* de Var. Hiſt. l. XII. c. IV. Σέσωσιν παρ' Ἕρμῇ [illo altero, de qvo *Manethos*] τὰ νοήματα ἐκμεμαθηκώς. Qvin viguiſſe imperante *Seſoſtride* naturæ rerum ſtudium, vel ex eo *Plinii* colligimus l. XXXVI. c. IX. *Is autem obeliſcus, qvem Divus Auguſtus in circo magno ſtatuit, exciſus eſt à Rege Senneſerteo, qvo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti qvinqve pedum, & dodrantis, præter baſim ejusdem lapidis: is verò, qvi eſt in campo Martio, novem pedibus minor, à Seſoſtride. Inſcripti ambo rerum naturæ interpretationem, Ægyptiorum opera Philoſophiæ continent.* Certè non niſi nobile qviddam, & ſupra vulgaris Philoſophiæ placita admirandum, inſcriptum his obeliſcis fuiſſe ſpectata Seſoſtridis prudentia facilè non pertinacibus perſvaſerit.

V. Desidero Auctorem, qvi tradat eam auri vim ex Phasidos fluvio collectam unqvam fuisse, qvæ Græcorum Principum sitim accenderet. Colligitur hodieqve ex Rheni, Durii, Danubii, Tagiq; arenis, [ut Gangem, Pactolumqve non attingam] aurum, sed id modicum admodum, & nulli Principum invidiam facturum. At *P. Archangelus Lamberti* in descriptione Mengrelliæ, sive Colchidis, cùm agnoscat se Phasin sæpe transisse, nihil in illo auri deprehendit; in viciniâ tamen & antimonium, & ferrum erui tradit *Archangelus*; & minium nativum, Mercurii parentem, *Theophastus Eresius*, *Pliniusq;*, corpora metallica Chemicis operibus convenientissima.

VI. Qvis credat Regem Colchorum, ut Ægyptiæ sapientiæ innutritum, cum certâ jacturâ velleribus usurum fuisse ad expiscandas aureas illas, si qvæ fuere in fluviis, arenas, & non potiùs argento vivo, compendiosissimo illo & certissimo congregandi metalli nobilioris Magistro? præsertim cùm in Colchorum rupibus argenti vivi mineram jam olim agnoverit *Eresius* ille *Theophrastus* l. de lapidibus; & *Aristoteles* Meteorol. l. IV. c. VIII. de argento vivo, ut re jam olim notâ loqvatur? Sed ad institutum. Neqve aliter ad Chinenses fortasse pervenit Chemia, qvàm per illustres illas [nisi & ante] Sesostridis expeditiones, qvas non tantùm Æthiopiam, Troglodyticam, Arabiam, sed & universam Asiam pervasisse, templisqve instruxisse colligimus ex *Strabonis* l. XVI. Rectè Lucanus l. X.

Venit ad occasum, mundiq; extrema Sesostris.

Unde & Chinenses plurimis ante Constantinum Magnum seculis arte Chemicâ inclaruere, ut ex *Martinii Histor. Chin.* liqvidum est. *Hoangtius*, inqvit, *in magna urbe Pukiang in Chemicis laboravit MMD. annis ante Christum*, qvanqvam & hoc paulò liberaliùs. Qvin & Mercurium ex traditione noverant Chinenses, qvippe cujus statuam ex Chinâ allatam mihi Romæ ostendit Kirckerus. Et hæc qvidem de *Svidæ* loco. Non desunt tamen etiam alia profundæ antiqvitatis de vellere Chemico vestigia, ex qvibus scintillæ operis magni promicant, nam lucem clarissimam, per obstinatum

vete-

veterum silentium, in iis tenebris sperare iniqvum est. *Mercurius* apud *Pausaniam* & in Eliacis, & Messeniacis inducitur *arietem portans*; in Bœoticis templum erigitur *Mercurio κριοφόρῳ*; cur autem *Mercurio* attribuatur *aries* [unde illud *χρυσόμαλλον δέρας*] licet alii alia sentiant, subesse tamen arcanum qviddam vel ipse *Pausanias* docuerit in Corinthiacis, *τὸν δὲ*, inqvit, *ἐν πλετῇ Μητρὸς ὄρει Ερμῆν λεγόμενον, καὶ τῷ κριῷ λόγον ἐπιφέρουσιν ὡς λέγω.* Qvod ipsum arcanum Chemicum esse facilè subolfecerit curiosior, ex ejusdem *Pausaniæ* Bœoticis, ubi de antro Trophonii sermo est: *Eâ nocte*, inqvit, *qvâ qvis in antrum Trophonii descendit, ad ipsum antrum mactat arietem, invocato Agadis numine. Exta priora pro nihilo ducuntur, etiamsi maximè fuerint læta, nisi eo ipso ariete litatum fuerit. Antequam descendat qvis in antrum, sacrificuli eum oleo perungunt, & abluunt duo pueri ex oppidanorum liberis annos fere XIII nati, Hermas illos nuncupant. Antri Trophonii cellulæ forma furno persimilis.* [*τὸ δὲ οἰκοδομήμα] καὶ τοῦτο τὸ χῆμα ἔοικεν κλιβάνῳ*] *Nemo eorum, qvi antrum illud ingressus est, non exiit redux, excepto uno, qvi ex Demetrii speculatoribus fuit. Illum neqve eorum sacrorum, qvæ fieri ad fanum illud religione sancitum est, fecisse: & non scisciti causâ, sed qvòd argentum, & aurum se asportaturum sperârat, introiisse ajunt,* [*χρυσὸν καὶ ἄργυρον οἰκομιῶν ἐλπίσαντα ἐκ τοῦ ἀδύτου*] *Ejus cadaver in diversam partem, & non per sacrum hiatum, illius ostium ejectum: Scribo autem non solùm audita, sed qvæ & aliis accidisse vidi, & egomet sum expertus, cùm ad Trophonium consulendi causâ ipse etiam venerim.* Litandum hic *ariete*, abluendus, qvi intrabat, à *Mercuriolis*, ut intro ventum, schema *clibani* oblatum, rumor populi, reconditum ibi latere *aurum, argentumq́*, certè non possunt non hæc ipsa Chemicum qviddam in recessu fateri, utcunque omnia alia superstitiosè adorantibus credita. Esto, ignoraverit rudis posteritas causſam ceremoniarum istarum, furniqve illius sacri, non ideo ignorata illa primis inventoribus. Subest nimirum secretius arcanum *arieti* & *Mercurio*. Neqve verò nunc urgebo, *Mercurium* metallicum per poros arietinæ pellis expressum à recrementis suis purgari, sed

addam illa *Apollodori* l. 1. de Diis: *Nephele*, inqvit, *Phrixum cum filiâ eripuit, acceptumq; à Mercurio aurei velleris arietem, qvo Phrixus in Colchos pervectus eſt, dono dedit.* Neqve tantum illud *Apollonii* in Argonavt: τὸν ῥα χρύσειον ἔθηκεν Ἑρμείας [i. e. qvem ſc. arietem Colchicum aureum fecit Mercurius] cum ſcholiaſtæ explicatione, interpretatur Vir ſummus *Mirandula* de opere Chemico, ſed & eruditiſſimus *Gvilandinus* l. de papyro. Cur autem in Chemicis conjungantur *Mercurius*, & *aries*, videtur odoratus fuiſſe *Cosmopolita*, cùm in Nov. Lum. tradit, Philoſophorum Mercurium commodiſſimè hauriri *vi chalybis, qvi invenitur in ventre arietis.* Et ſcientiſſimus ille *Anonymus* in Introit. apert: *Qvare*, inqvit, *activum ſulphur* [qvo in obſeqvium cogitur vulgi Mercurius] *ulterius qværentes, penitiſſimè tandem abditum in domo arietis qvæſiverunt, & invenerunt Magi.* Sed dum alii ſollicitiùs ſcrutantur arcanum illud *arietis*, & *Mercurii* connubium, & cur veterum qvidam Jovi arietina cornua gerenti ſacrificarent argento vivo [qvod ex *Plauti* Moſtell. aliisqve conſtat] nos ad reliqva tranſimus.

XX. Calices illi verſicolores allaſſontes Ægyptiorum jam tum ævo Adriani memorati, & auro nobiliores, videntur planè oſtendere artificium Chemicum diu ante Conſtantinum Magnum in Ægypto apud Sacerdotes floruiſſe. Neqve enim de ſolo auro laborat Chemia, ſed & de lapidibus, vitrisqve perficiendis. De his calicibus pauca ex epiſtolâ Adriani Imperatoris Alexandriæ tum viventis adjungere libet. Prodita autem illa eſt ex libro *Phlegontis* liberti ejus, & in *Flav. Vopiſci Syracuſii* Saturnino nunc legitur. Ita ergo *Adrianus Auguſt.* Serviano COS. *Civitas* [Alexandria] *opulenta, dives, fœcunda, in qvâ nemo vivat otioſus. Alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur, alii linyphiones ſunt: omnes certè cujuscunqve artis & videntur, & habentur. Podagroſi qvod agant, habent: habent cæci, qvod faciant: nè chiragrici qvidem apud eos otioſi vivunt.* Magna Ægyptiæ induſtriæ argumenta! Sed poſtea: *Calices*, inqvit, *tibi allaſſontes verſicolores transmiſi*, [*Caſaub.* legit: tres miſi] *qvos mihi ſacerdos templi obtulit, tibi & ſorori meæ ſpeciali-*

cialiter dedicatos, qvos tu velim festis diebus conviviis adhibeas. Caveas tamen, nè his Africanus noster indulgenter utatur. Hic *Casaubonus: allas fontes,* inqvit, *calices, qvi colorem mutant, alium atqve alium subinde exhibentes, sicut palumborum colla.* Qvos igitur, ut rarissimi artificii pretiosissimos agnoscit *Salmasius.* Hoc genus vitreorum calicum inter Sacerdotes olim Ægyptios natum, qvod Imperatori Romano magni muneris loco oblatum fuit, atqve ab eodem magni æstimatum, non potest non Chemicum artificium prodere, & qvidem excellentius vulgaris Chemiæ tentamentis. Qvanqvam enim, ut *Isaacum Hollandum* Chemicum, aliosqve de genere hoc taceam, nostro seculo *Antonius Neri*, & ipse Chemicus, ut passim agnoscit, egregium nobis de arte Vitrariâ reliqverit scriptum, inqve eo ex hodiernæ artis Chemicæ præceptis tum magnesiæ, Zappheræqve, tum aliorum metallicorum adminiculo, jam topazios, jam opalos, jam illas versicolores imitetur gemmas, qvæ Italis *girasol* appellantur, & accedere qvodammodo videntur ad Ægyptiorum Antiqvorum *allassontes*, qvanqvam viderim ipse tum in Muranensibus, tum Gallicanis vitrariorum caminis simile qviddam attentari, conatus tamen hactenus infra artificium Ægyptiorum stetit, & veri *allassontes* inter res deperditas hodie æstimandi. Credibile germano *allassonti* Ægyptio id fuisse ingenium, qvod opalo tribuit *Plinius* l. XXXVII. c. VI. *Est*, inqvit, *in eo carbunculi tenuior ignis, est amethysti fulgens purpura, est smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili misturâ lucentia;* neqve enim falsos allassontes fecisset tanti doctissimus Imperatorum *Adrianus*, gnarus, monitore *Plinio*, fieri qvidem similes, adulterantibus gemmarum mangonibus, sed fucum in sole deprehendi, uno tantùm ad lumen Phœbi colore translucente. An de pretioso hoc vitri Chemici genere intelligenda illa *Jobi* c. XXVII. Οὐκ ἰσωθήσεται αὐτῇ χρυσίον ἢ ὕαλος, viderint Theologi.

XXI. Novissimè, non erit forsan supervacuum hîc inqvirere, cur tam obstinato silentio condemnaverint argentum vivum, illud perpetuum naturæ miraculum, Ægyptii? Neqve enim vel

Theophraſtus Ereſius, vel *Dioſcorides*, vel *Plinius*, qvi de argento vivo plura tradidere, immò nec *Herodotus*, nec *Diodorus Siculus*, qvi minutiora etiam Ægypti ſollicitè perſeqvuntur, vel uſurpatum Ægyptiis argentum vivum, ejúsve mineram, cinnabari nativum, qvantum ex libris ſuperſtitibus conſtat, potuere olfacere. An antiqvis Ægyptiis metallum hoc ignotum? ita qvidem videri poteſt legentibus illa *Theophraſti* de cinnabari, l. de lapid. Καταδεῖξαι δὲ φασι, καὶ ἐρεῖν τὴν ἐργασίαν, Καλλίαν τινὰ Ἀθηναῖον ἐκ τῶν ἀργυρείων· ὃς οἰόμενον ἔχειν τὴν ἄμμον χρυσίον, διὰ τὸ λαμπυρίζειν, διαγμανῦσαι, καὶ σωέλεγξαι, ὅτι οὐ ἠνθετο ὅτι οὐκ ἔχει, τὸ δὲ τῆς ἄμμου κάλλος ἐθαύμασε διὰ τὴν χρόαν, ὅτως ὅτι τὴν ἐργασίαν ἦλθε ταύτην· ἐκ παλαιοῦ δ' ἐστὶν· ἀλλὰ πρὸ ἔτη μάλιστ' ἐνενήκοντα εἰς ἄρχοντα Πραξίβουλον Ἀθήνησι. Mox addit, qvomodo ex cinnabari fiat argentum vivum: μίσγουσι δ' ὅταν τὸ κιννάβαρι τριφθῇ μετ' ὄξους εἰς ἀγγεῖον χαλκοῦν, καὶ δοίδυκι χαλκοῦ. *Plinius*, l. XXXIII. c. VII. *Theophraſtus*, inqvit, *XC. annis ante Praxibulum Athenienſium magiſtratum* (*qvod tempus exit in urbis noſtræ CCXLIX annum*) *tradit inventum minium à Calliâ Athenienſe initio ſperante aurum poſſe excoqvi harenâ rubente in metallis argenti: hanc fuiſſe originem ejus.* Fortaſſis tamen *Theophraſti* mens eſt, Calliam non qvidem argentum vivum inveniſſe, ſed ſplendentem mineræ ejus colorem. Qvicqvid ſit, nos hîc miſſa faciemus ea, qvæ de minio, & cinnabari prolixè diſputat *Salmaſius* in Plinian. Exercit. & *Mercurialis* in Var. Lect. ut diſcordiam *Dioſcoridis*, *Plinii*qꝫ, Auctorum qvidem diligentium, ſed in naturâ argenti vivi declarandâ, non ſatis, ut apparet, oculatorum componant; id hîc nobis propoſitum, oſtendere, jam ante Calliam Athenienſem, vivum illud argentum in uſu fuiſſe. Conſvevere autem antiqvi Græci ἄργυρον χυτὸν illud appellare, qvemadmodum ex *Ariſtot.* Meteor. l. IV. c. VIII. & *Theophraſti* l. de lapidibus videre eſt. Hoc ergo argentum vivum jam tùm ante bellum Trojanum innotuiſſe vel ex eo conficitur, qvòd Dædalus, Minois etiam tempore clarus, & *Homero* qvoqve Iliad. σ, inter vetuſtos artifices numeratus, ad ſtatuas ſuas animandas ingeniosè eodem uſus ſit; de qvo ecce luculentum *Philippi Comici* apud *Ariſtot.*

stot. l. 1. de Animâ, testimonium! Ενιοι ᾗ καὶ κινεῖν φασι τὴν ψυχὴν τὸ σῶμα, ἐν ᾧ ἐστιν, ὡς αὐτὴ κινεῖται, οἷον Δημόκριτος παραπλησίως λέγων φιλίππῳ κωμῳδιδασκάλῳ· φησὶ γὰρ τὸν Δαίδαλον κινηθέντα πιθήσαι τὴν ξυλίνην Ἀφροδίτην ἐγχέαντα ἄργυρον ζωτόν, ὁμοίως ᾗ καὶ Δημόκριτος λέγει. Et hæc qvidem *Philippus Comicus* scripsit ante primordia monarchiæ Græcæ, ut à *Vossio* de Poetis Græcis demonstratum. Sed unde argenti vivi notitiam hausit *Dædalus?* in Ægypto hausisse justa suspicio est, & qvidem à Sacerdotibus Memphitanis secretò impertientibus amico, qvæ aliorum cognitioni subtrahebant. In qvam sententiam impellunt illa *Diodori Siculi* l. 1. Οἱ γὰρ Ἱερεῖς τῶν Αἰγυπτίων ἱστοροῦσιν ἐκ τῶν ἀναγραφῶν τῶν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις, παραβαλεῖν πρὸς ἑαυτὸν Ὀρφέα τε καὶ Μουσαῖον, καὶ Μελάμποδα, καὶ Δαίδαλον, Ὁμηρόν τε ποιητὴν, καὶ Λυκοῦργον τὸν Σπαρτιάτην. Et postea: τὸ γὰ κάλλιστον πρόπολον ἐν Μέμφιδι τὴν Ἥφαιστον Δαίδαλον δεχθέντα ποιῆσαι *sc. tradunt.* Dædalus ergo, ut Sacerdotibus illis Memphiticis in templo Vulcani Chemica tractantibus [qvod ex *Eusebio* jam ante ostensum] familiaris, argentum vivum primus peregrinorum videtur deprehendisse, unde postea nomen ejus ad Græcorum nonnullos emanavit. Sed qvis Ægyptiis illud naturæ portentum demonstravit primus? Nisi fallor, ipse Hermes, qvi minium, si non in Ægypto invenit, ex Æthiopiâ certè vicinâ advectum facili arte in argentum vivum reformavit. Inveniri autem in Æthiopiâ *Hermogenes* apud *Plinium* docuit, & facilè revivisscere *& Dioscorides*, & *Plinius.* Forsan tamen primus omnium *Hermes* in vivum metallum transtulit, & propterea nomen suum indidit nobili invento, qvemadmodum & *magnes* vocatus est ab inventore primo, ex *Nicandro.* Qvis autem fidem faciet, argentum vivum antiqvis vocatum fuisse *Hermetem*, sive *Mercurium?* Non levia sunt argumenta, qvæ id persvadent. *Plato Comicus* apud Scalig in Eusеb. ita de statuâ illâ Dædali per argentum vivum promotâ:

A. Οὕτω τίς εἶ; λέγε ταχύ, τί σιγᾷς; οὐκ ἐρεῖς;
B. Ἑρμῆς Ἔγωγε. Δαιδάλου φωνὴν ἔχων,
Ξύλινος βαδίζων αὐτομάτως ἐλήλυθα.

Qvæ

Qvæ *Hugo Grotius* ita reddidit: A. *Heus, qvis tu? actutum fare, qvid verò taces?* B. *Mercurius ego sum, vocem à Dædalo obtinens, de ligno factus, sponte qvi adveni meâ.* Scilicet inducitur respondens in statuâ argentum vivum: *Hermes*, seu *Mercurius ego sum*, unde statuæ ligneæ [sive cedrinæ, ut ex *Plinii* l. XIII. c. V. conficitur.] suus motus, suus incessus. Vixit autem hic *Plato Comicus* Olympiade LXXXI, docente *Eusebio*. Sic in vetustis Mithræ sacris apud Persas, qvemadmodum ex *Origen.* l. VI. contra Celsum, ostendimus Differt. de Ort. Chem. Porta plumbea Saturni erat, stannea Jovis, ærata Veneris, ferrea Martis, argentea Lunæ, aurea solis, illa autem misti nomismatis, variæqve, & inæqvalis misturæ, Mercurii, qvo argenti vivi una proprietas non malè circumscribitur. Accedit Iarchæ Brachmanis judicium apud *Philostrat.* in vitâ Apollonii, ubi annulus aureus jubetur gestari die Solis, argenteus die Lunæ, ferreus die Martis, hydrargyrinus die Mercurii, die Jovis stanneus, æneus die Veneris, & deniqve die Saturni plumbeus. Neqve parum huc facit, qvòd *Mercurius* in Homeri hymnis natus tradatur in antro obscuro, & qvidem montis editissimi, qvod ex *Philostrati* imagin. colligitur. Neqve enim isti natales convenerint Mercurio homini, sed commodè argento vivo, qvòd & ejus minera in cacuminibus rupium qvandoq; inveniatur. *Theophrastus Eresius* l. de lapid. ita de cinnabari: Καὶ τὸ ἐν Κόλχοις τῆτο δέ φασιν ἔτιαι ἐν κεμμυῷ, ὃ καταβάλλοντες πτεύσοντες. *Plinius* l. XXXIII. c. VII. *Reperiri item*, inqvit, *minium apud Colchos in rupe qvadam inaccessâ, ex qvâ jaculantes decuterent.* Idem ergo hic *Plinio* minium, qvod *Theophrasto* κιννάβαρι. Erat autem *nativum* hoc *minium* apud antiqvos pigmentum magnæ autoritatis, qvo & triumphantium corpora, & Jovis simulacrum, apud Romanos festis diebus pingebatur, & proceres apud Æthiopas, ut ex memorato *Plinii* loco palam est. Qvin & Occidentales Indos ad similia usos esse docet *Acosta* de Hist. Nat. Ind. l. IV c. II. Huc qvidam trahunt & illud *Homeri* Il. β. νῆες μιλτοπάρῃοι, i. e. ut *Scholiastes* reddit, μίλτῳ τὰς πρῴρας ἔχουσαι βεβαμμένας. Crederemus autem & nos Græcis μίλτον esse idem, qvod

qvod minium nativum latinis, ex *Plinii* l. xxxiii. c. vii. *Milton vocant Græci minium, qvidam cinnabari*, nisi *Salmasius* in Plin. Exercit. ex *Theophrasti* loco de Calliâ Athenienſi, docuisset Homeri ævo in Græciâ minium nondum fuisse cognitum, adeoqve ex eo ostendisset *Plinii* hunc locum corruptum, legendumqve *milton Græci vocant: minium qvidam cinnabari*, in qvo *Salmasio* vel hoc nomine accedimus, qvòd videamus & naves illas Græcorum fuisse, qvibus minium id temporis ignoratum scribit *Theophrastus*, & *Theophrastum* l. de lapid. distinctè tractare de minio, distinctè de cinnabari; sed tamen adjungimus jam ante Homerum cognitum alibi fuisse minium, cùm haustum inde argentum vivum usurpatum fuerit Dædalo, ut ante evicimus. Esto ergo, in Græciâ non invenerint minium ante Calliam Athenienſem, hoc Ægypto, Æthiopiæqve nil derogat. Erunt forsan, qvi cùm *Plinio* argentum vivum distingvent ab hydrargyro, illud ut nativum, ante cognitum cinnabari, in usu fuisse, hoc factitium postea innotuisse. Sed optarem locum Scriptoris, qvo demonstraretur, Dædali argentum vivum non fuisse ex cinnabari Æthiopico elicitum. Esto tamen, fuerit nativum; verisimile est Ægyptios illos rerum Dædali non ignaros, arcanis qvibusdam modis argentum illud vivum tractâsse, & ad constantiam in igne paulatim assvefeciſſe, eamqve esse obstinati hac parte silentii Ægyptiaci causam. Istuc enim ire videntur *Zosimi*, *Olympiodori*, aliorumqve decreta. Neqve alia mens *Kirckero* in Oedip. Ægypt. *Non negârim*, inqvit, *Ægyptios artem calluisse, qvâ aurum, argentumq; ex hydrargyri reliqvis metallis commisti fixatione conficeretur.* Eqvidem milceri hydrargyron, [nos enim promiscuè usurpabimus hydrargyron, & argentum vivum, ut fieri hodie solet, debetqve ob idem utriusqve ingenium] metallis pæne omnibus, in confesso est, & jam de auro res in vulgus nota fuit ævo Oct. Augusti. Disertè *Vitruvius*, l. vii. c. viii. *Cumq; in veste intextum est aurum, eaq; vestis contrita propter vetustatem usum non habet honestum, panni in fictilibus vasis impositi supra ignem comburuntur. Is cinis conjicitur in aqvam, & additur ei argentum vivum, id autem*

omnes micas auri corripit in se, & cogit secum coire: aquâ defusâ, cùm id in pannum infunditur, & ibi manibus premitur, argentum per panni raritates propter liquorem extra labitur, aurum compressione coactum intrà purum invenitur. Quod de panno *Vitruvius*, id subtiliùs *Plinius* l. XXXIII. c. VI. *In pelles subactas effunditur, per quas sudoris vice defluens purum relinquit aurum.* Videntur & hoc ævo Ægyptios imitati plurimi in amalgamatis ejusmodi decoquendis strenuè desudâsse. Notum quid *Fernelius* l. de Abd. Rer. caus. de hâc re tradat, notum quid *Hoghelandæus* de Alkim. difficult. nota experimenta *Osiandrica.* Neq; si hos omnes,& præterea infinitos alios deceperint amalgamata, inde certò constare potest, vel falsam esse artem, vel Ægyptios olim vanos artifices, cùm levis circumstantia sæpe totum casum variet, de quo feliciorum experimenta disertiùs testabuntur.

XXII. Quid in metallis ignobilioribus in statum honoratiorem transferendis attentaverint veteres Ægyptii ante Constantini Magni ævum, hactenus, quantum per obstinatam eorundem taciturnitatem licuit, disputatum est; nunc quid in reformandis lapidibus, gemmisque naturalibus imitandis præstiterint, compendio intuendum. Conjunxere equidem antiqui utramque artem, ut ex superioribus de Democrito, aliisque clarum est, ita tamen, ut hanc ceu minùs invidiæ expositam paulò apertiùs profiterentur. Inprimis autem de smaragdis loquemur, ut vel hinc tabulæ *Hermetis* Smaragdinæ, de quâ plura in Dissert. de Ort. Chemiæ, lux aliqua accedat. *Plinius* l. XXXVII. c. V. *Apion cognominatus Plistonices, paulò ante scriptum reliquit, esse etiam nunc in labyrintho Ægypti colossæum Serapin è smaragdo novem cubitorum.* Unde tantæ molis smaragdus nisi ex Chemicô artificio? At fuit, inquies, naturalis ille quatuor cubitorum, quem Regi Ægyptio misit Babylonius. Immò, quid si & ille ex Ægypto *Hermetis* ævo Babylonem transiit, & longo pòst tempore iterum in Ægyptum regyravit? quid si Chaldæi Babylonici Ægyptiorum fuere coloni? equidem id jam olim creditum multis tradit *Diodorus Sic.* l. II. certè nativi olim & rari erant,

& cor-

& corpore non magno. Audiatur de smaragdo *Theophrastus Eresi.* l. de lap. Ἔστι δὲ σπανία, καὶ τὸ μέγεθος ὀλίγον μεγάλη, πλὴν ἐπιτυχεῖν ταῖς ἀναγραφαῖς δεῖ ὑπὲρ τῶν βασιλέων τῶν Αἰγυπτίων. Ἔνιοι γὰρ φασὶ κομισθῆναι πρὸς ἐν δώροις παρὰ τοῦ Βαβυλωνίων βασιλέως. μῆκος μὲν τριῶν πηχῶν, πλάτους δὲ τριῶν πηχῶν. ἀνακεῖσθαι δὲ καὶ ἐν τῷ τοῦ Διὸς ὀβελίσκῳ σμαράγδους τέτταρας, μῆκος μὲν τετταρακοντα πηχῶν. εὖρος δὲ, τὴν μὲν τέτταρας, τὴν δὲ δύο. ταῦτα μὲν δὴ ὅτι κεῖται ἐν τῷ τῶν ἐκείνων γραφῷ. De his ita Plinius l. xxxvii. c. v. *Theophrastus tradit in Ægyptiorum commentariis reperiri, Regi eorum à Rege Babylonio missum smaragdum munere IV cubitorum longitudine, & trium latitudine: & fuisse apud eos in Jovis delubro obeliscum è quatuor smaragdis XL cubitorum longitudine, latitudine verò in parte quatuor, in parte duorum. Theophrasti* tamen verba non satis expressisse *Plinium* in confesso est, & viderunt id antea *Mercurialis* Var. lect. l. ii. c. xxv. & *Vossius* de Theolog. Gentil. l. vi. c. vii. Nusquam autem gentium etiam hodie, cognitis utrisque Indis, tam immensi eruuntur smaragdi. Quantillum erat illud smaragdi corpusculum, quod Polycrati, ut in Thalia docet *Herodotus*, tantopere in delitiis fuit? Æthiopum Rex Hydaspes, & Oroondates, Persarum in Ægypto satrapes, de smaragdinis fodinis gerebant bellum, ut est apud *Heliodor.* in Æthiopic. l. ix. sed σμαράγδια illa μέγιστα vel cubitales submini strâsse gemmas nusquam legere est. Nec de smaragdis circa Copton Thebaidis oppidum nascentibus tale quicquam prodidit *Plinius*. Restat suspicari Chemicam interveniisse solertiam, de quâ audiendus est gravissimus *Seneca* epist. xc. *Excidit porrò vobis*, inquit, *eundem Democritum inveniisse, quemadmodum ebur molliretur, quemadmodum decoctus calculus in smaragdum converteretur.* Sive Græcorum primus hoc invenerit *Democritus*, sive primus ex Ægypto in Hellada invexerit, disputare hic nihil attinet. Respexisse idem artificium videri potest *Plinius* lib. xxxvii. c. xii. *Quin immo*, inquit, *exstant commentarii Auctorum, quos non equidem demonstrârim, quibus modis ex crystallo tingantur smaragdi, aliæque translucentes, sardonyx è sardâ, item cæteræ ex aliis: neque est ulla fraus vitæ lucrosior.* Fraudem hîc qui-

dem vocat, qvia nativæ non sunt illæ gemmæ, sed idem immemor sui c. IX. laudem interpretatur. Vox ejus de gemmâ cyano: *Adulteratur maximè tinctură, idq; in gloriâ Regis Ægyptii adscribitur, qvi primus eam tinxit.* Et qvidni laudem? cùm providè olim apud *Diodorum Sic.* l. I. Περὶμάδων παρὰ τῷ Οσίριδι καὶ τῇ Ισιδι τὰς τῶν τέχνας ἀνευρέσκοντας, ἢ μεθοδεύοντάς τι τῶν χρησίμων. Qvid qvod & *Plinius* confectionem hydrargyri ex minio, ingeniosissimam fraudem vocet, cùm constet utrumqve, sive nativum argentum vivum, sive factitium ejusdem esse naturæ. Enimvero deceptum fuisse peregrinatorem illum certum est, qvi in *Transactionibus Anglic.* scripsit argentum vivum Idricum nativum attollere secum aurum sublimando, factitium non item. De qvo cùm Venetiis, qvasi in patriâ Mercurii sciscitarer *Ludovicum de Comitibus*, *Tackenium*, *aliosq;* Naturæ consultos, responderunt universi unum utriqve ingenium esse, neqve plus auri, ex amalgamate auri & argenti vivi nativi, ordinariâ sublimationum consvetudine in altum evehi, qvàm ex amalgamate auri, & hydrargyri facti, id qvod ipse postea verissimum esse expertus sum. Sed ad gemmas nostras! Est imitatio qvædam gemmarum perfunctoria, qvæ & in vulgus artificum hodie nota, nullam admodum meretur commendationem. Cæterùm antiqva illa & mascula Ægyptiorum solertia gemmas fabricata est, & scintillatione, & duritie veris invidiam facientes, qvalem fuisse colossèum illum è smaragdo Serapin credibile est, alioqvin exprimendo summo Ægyptiorum Numini in tam augusto loco imparem futurum. Scilicet plebeji artifices vitro Saturni, cum intermistis coloribus metallicis, qvod prolixè *Antonius Neri* prosequitur, solum colorem gemmarum æmulantur, nec ponderis immodici, nec fragilitatis caducæ, nec mollitiei corrigendæ memores. Veri autem artifices, qvemadmodum ex methodo τῶ Σαλμανᾶ colligimus, ad καταβαφὴν λίθων tria requirebant, χαύνωσιν, βαφὴν, σύψιν, & qvidem χαύνωσιν, sivè laxitatem pororum, ut facilè ingrederetur tinctura, βαφὴν, ut commodè hæreret, luceretq; color, σύψιν, ut post ingressum coloris, corpus gemmæ iterum densa-

denſaretur, & coïret firmiſſimè, qvod ultimum in factitiis hodiernis deſideratur. Vox τῆ Σαλμωσᾶ: Ἀφαιώσεως μὲν ἕδ, καὶ βαφῆς, καὶ σύψεως θάτερ πῶς λίθῳ. Viderit ergo *Plinius* illos ſcriptorum antiqvorum de tincturis gemmarum commentarios, non plenè tamen eorúndem mentem aſſecutus videtur, eoqve indignanti propior fraudem appellavit, non ſatis attendens ſimilia non niſi initiatis ſcripta, & genere dicendi arcaniore. Hinc *Euſebius Pamphilus*; Συνέγραψε ὁ Δημόκριτος περὶ χρυσοῦ, καὶ ἀργύρου, καὶ λίθων, καὶ πορφύρας λοξῶς, καὶ κρύψας τὸν τέχνον. Et *Syneſius* ad Dioſcorum Serapidis Pontificem: Ἐκ τούτου λαβὼν ἀφορμὰς ὁ Δημόκριτος συνεγράψατο βίβλους τέσσαρας βαφικὰς, περὶ ☉, καὶ ☾, χ λίθων, χ πορφύρας. Scilicet edoctus ita ab Oſtane in Ægypto, ut ante monitum, ſcripſit de gemmarum tincturis *Democritus*. Nemini proinde mirum videri debet, qvòd tradatur Hermes leges Chemiæ arcanioris tabulæ ſmaragdinæ inſcripſiſſe.

Unde autem profectæ ſint ſapphirinæ illæ tabulæ, qvibus DEUS opt. max. legem mandatorum decem Moſi oblatam inſcripſit, ſi *Epiphanio* credimus, viderint Thalmudici. An & cryſtallos in adamantes tinxerint antiqvi Ægyptii, non perinde conſtat, potuiſſe tamen credibile eſt; cur enim iis ignotum eſſet, qvod *Raymundo Lullio* non ignotum? De qvo ipſe *Lullius Teſt. ult.* ad Regem Angliæ: *Vidiſti*, inqvit, *Rex mirabilem illam projectionem, qvam feci tecum Londini in camerâ tuâ ſecretâ Sanctæ Catharinæ verſus partem caſtelli, qvam feci ſuper cryſtallum ſolutum cum aqvâ argenti vivi, & converti eum in maſſam unam adamantis finiſſimi, & virtuoſi, plusqvam naturalis, ex qvo fetiſti columnulas pro tabernaculo DEI.* Ex ejusdem artificii latifundiô cùm pendeat malleabile vitrum, de qvo *Plinius* l. xxxvi c. xxvi. & ego jam ante Diſſert. de Ort. Chemiæ, non auſim ejus qvòqve inventum denegare Ægyptiis. Neq; nihil huc facit *Ibn Abd Alhokm*, qvi inter Chronologos Arabas laudatus ita diſſerit apud *Joannem Greaves* Profeſſorem Oxonienſem l. de deſcript. pyramid. Ægypt: *Pyramides tres*, inqvit, *nobiliores exſtructæ ſunt à Rege Ægypti Saurid, pluribus ante diluvium annis.*

Postqvam enim per qvietem vidisset terram eversam, homines prostratos humi, stellas è cœlo cadentes, advocatis sacerdotibus Ægyptiis CXXX, qvos inter clarissimus Aclimon, exposuit visionem suam. Illi expenso cœli schemate, qvale fuerat durante hoc somnio, respondérunt horribile instare diluvium post aliqvot annos. Saurid igitur interea pyramides ædificavit, & in maximâ illarum ductum qvendam subterraneum ad derivandas in Occidentalia Ægypti abundantiores Nili aqvas, ductumq; hinc inde distinxit talismannis; reposuit & ibi thesauros suos, librum de virtute lapidum pretiosorum, secreta astrologiæ, demonstrationes geometricas, Physicas, aliasq; scientias characteribus sacris descriptas. Postea struxit in pyramide Occidentaliori triginta conclavia, eademq; adimplevit thesauris, lapidibus talismannicis, instrumentis variis, vitro malleabili, alkakiribus [hoc est, ex *Abulfedâ*, rubinis] &c. *Postqvam autem Almamon, celebris ille Babyloniorum Caliphas ingressus est Ægyptum, aperuit magnis sumptibus pyramidum unam, invenitq; primùm vas smaragdinum, & in illo mille monetas ponderosissimas, deinde puteum qvadratum, & in singulis angulis ostium, per qvod descendebatur ad sepulcra varia conspicienda. In superiore parte pyramidis in marmore invenit statuam humanam, & in illâ corpus, in cujus pectore reperta lamina aurea gemmis distincta, item gladius inæstimabilis pretii, & in capite defuncti carbunculus ovum magnitudine exæqvans splendore illustrissimo, adjectis characteribus variis sed ignorabilibus.* Hæc compendio, qvæ *Alhokm* pluribus. Demat hîc qvivis, vel addat ex ingenio fidem, sed unà tamen, si vacat, consideret, non novum esse in pyramidibus, seu monumentis Regum, thesauros includere. Davidis enim vero sepulcro contigit idem, si verus est *Josephus* Antiqvit. l. VII. c. XVI. *Sepelivit autem*, inqvit, *Salomon patrem suum Davidem, & multas cum eo divitias in arcâ ferali recondidit: Qvarum magnitudinem ex iis, qvæ dicturus sum, qvivis agnoscet. Post annos mille & trecentos Hircanus Pontifex, ut Antiochum Pium ab obsessâ urbe averteret, aperuit unum loculum sepulcri Davidis, & sublatis inde tribus talentorum millibus partem dedit Antiocho, & ita anxietatem obsidionis dissolvit. Diu post hæc Herodes Rex alium loculum aperiens plurimas inde etiam*

etiam pecunias abstulit. Qvo loco non inconvenienter explicatur caput primum lirbi prim. *Machabæor.* de *thesauris occultis* ab Antiocho interceptis obsessâ urbe Jerosolymorum, de qvibus Græcus textus ita: Καὶ ἔλαβε τὰς θησαυρὰς, τὰς ἀποκρύφας, ἃς εὗρε. Et *Joseph Ben Altiphasi*, Historicus Arabs, apud Kirckerum, tradit Hermetem primum venturi diluvii præscium, pyramidum unam ex maximis ædificâsse, inqve eâ recondidisse bona sua, & libros, & qvicqvid pretiosum possidebat. Sed hæc hactenus pro instituti ratione de Hermete, & Hermeticâ in Ægypto Chemiâ.

Cap. IV.

I. Ægyptum plantarum varii generis feraciſſimam fuisse, etiam earum, qvæ cibis deserviunt. II. Vinum nobile in Ægypto natum esse, & præparatos ibidem liqvores varios potui accommodatos. III. Natum qvoqve ibidem oleum diversi generis, item linum, gyssypion, aliasqve curiosas plantas, qvas demum Europæi ante unum seculum cognovimus esse naturales. IV. Nec defuisse plantas Medicas plurimas, hodieqve per universam Europam Ægyptiorum beneficio usurpatas; ut nec modum curiosè medicandi semina. V. Nepenthes Homericum non egisse supernaturali facultate; nec tamen negandum, qvin Medicinæ ibidem se qvandoqve miscuerint superstitiones. Moly Homericum ultra vires naturæ non processisse.

VI.

VI. Non neceſſe fuiſſe, ut tota Græcorum ὕλη ἰατρικὴ ab Ægypto accerſeretur. Dari in Ægypto varias odoratas plantas, eoqve rectè ſcripſiſſe Plinium Ægyptum ungventis eſſe accommodatiſſimam. Eſſe in ſcriptis antiqvorum plantas varias Ægyptias neqve Alpino, neqve Veslingio attactas.

I. ÆGyptum à plantarum ſalubrium copiâ, & nobilitate commendavere Veteres; & fuit illa ſanè non tantùm ſtirpium ad alimenta, & pharmaca utilium benigna mater, ſed Græcis etiam hominibus diſcendi ſtudio advenientibus non parcâ manu dotes illas ſuas diſtribuit, merita vel hoc nomine [cùm ex illo fonte ad nos qvoqve Medicina pervenerit] à poſteris gratas gratias, non hirqvos *Conringii* transverſa tuenteis. Non perſeqvar jam illud *Herodoti* in Euterpe: *Ægyptus plura mirabilia habet, qvàm omnis alia regio, & præter omnem regionem opera exhibet relatu majora*; non attingam ea, qvæ de laudibus Ægypti prolixè tradit *Iſocrates* in Buſiride, non memorabo illud *Hippocrati* attributum l. de ſeptim. partu: *In Ægypto omnia naſcuntur perfecta*; ſed intra plantarum Ægyptiarum limites diſſertationem hanc continebo, non qvidem omnia, qvæ de iis dici poſſent, allaturus, ſed id acturus tantùm, ut generoſitas Floræ illius Phariæ [licet illa in Ægyptiorum libris, ſi ſupereſſent, luculentiùs exſplendeſceret] ex Grajorum, Latiiqve monimentis agnoſcatur. *Plinius* ergo tueatur primos ordines l. XXV. c. II. *Homerus qvidem*, inqvit, *primus doctrinarum, & antiqvitatis parens, multus aliàs in admiratione Circes, gloriam herbarum Ægypto tribuit.* Poſtea adjicit, Pythagoram, & Democritum de herbarum effectu volumina compoſuiſſe, peragratis Perſidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptiqve Magis, concluditqve demum: *Hæc erat Antiqva Medicina, qvæ tota migrabat in Græcia lingvas.* *Theophraſtus Ereſius* Hiſt. Plant. l. IV. c. IX. *Qvæ itaq; in Ægypto naſcuntur*, inqvit,

in

in totum qvidem numerosiora sunt, qvàm ut particulatim enumerari qveant. Caterùm ut simpliciter dicam, omnia cibo idonea, succosq; dulces habere percipiuntur: sed præstare dulcedine, copiaq; alimoniæ tria illa videntur, papyrus, & qvod vocatur sari, & tertium, qvod mnasium appellant. Et mox: *Papyri radicibus pro ligno utuntur* [Ægyptii] *non tantùm ignis gratiâ, sed ad vasa qvoqve plurifariam facienda.. Ex papyro navigia faciunt, & è libro vela, tegetesq; texunt, & vestem qvandam, atq; stragula, ac funes, aliaq; plura.. Omnes incolæ & crudam, & elixam, & assam manducant, succumq; devorant, & massam ipsam exspuunt. Itidem qvi sari manducant, crassiorem ejus qvoqve massam exspuunt. Radice fabri ferrarii utuntur, carbonem enim optimum facit propter ligni duritiem. Mnasium herbaceis annumerandum nullum exhibet usum, præterqvam in re cibariâ. Nascitur & aliud liliis simile, cujus usus Medicis ad mulierum profluvia.* De papyro Ægyptiâ justo volumine commentatus est eruditissimus scriptor *Melchior Gvilandinus*, & post eum multa de eadem præclarè monuit *Bodæus à Stapel.* Diodorus Siculus bibl. l. 1. *Nilus*, inqvit, *ad multa generanda apprimè fœcundus est, alimenta qvoqve sponte nata præbet, undè genita facilè nutriantur. Nam radicem calami, & lotum, fabamq; Ægyptiam, & qvod corseon vocatur, ac multa id genus alia, ad promptum humano generi victum, suppeditat.* Plinius l. xxi. c. xv. *Ægyptus frugum fertilissima, sed ut prope sola iis carere possit, tanta est ciborum ex herbis abundantia.* Mox recenset edules Ægypti plantas, *colocasiam, cicborium, anthalium, œtum, arachidnam, aracon, condryllam, hypochoerin, caucalin, anthriscum, scandicem, parthenium, strychnum, corchorum, aphacen, alias.* Atqve ut fœcunditatem soli agnoscamus, tradit Plinius l. xviii. c. x. *Ægyptum reddere triticum cum centesimo grano*, hoc est, pro simplo centuplum. Laudatur autem triticum Ægyptium *Theophrasto* l. viii. c. iv. eidemqve l. viii. c. v. frumentum Ægyptium à lolio purum esse perhibetur. *Strabo*, oculatus testis l. xvii. *Ægyptus*, inqvit, *vini non parum fert, frumentum qvoqve, legumina, & alia semina omnis generis.* Atqve nè nescii simus humanitatis Ægyptiæ, *Osiris Rex*, ut apud *Diodorum* legimus, *qvoqvo gen-*

tium ad tritici, hordeiq; sementem genus humanum edocendam profectus est; & si qua tellus plantam vitis non admitteret, conficiendum docuit ex hordeo potum, vini fragrantiâ, & efficaciâ haud multo inferiorem. Sed de potu illo postea. Nos etiamnum de esculentis, inter quæ nec defuit Ægyptiis siligo. Vox *Plinii* l. XVIII. c. X. *Arinca*, inquit, *species siliginis, in Ægypto facilis, fertilisq;*. Laudat & *Herodotus* in *Euterpe* panem Ægyptiorum ex Zea, quem collestin vocant; *Nicander Thyatirenus* panem Ægyptiorum ex hordeo factum cyllastim vocari tradit, apud *Athenæum* Deipnos. l. III. c. XVI. Confecere & varietatis gratiâ ex loto panem, de quo *Diodorus: Copiosè*, inquit, *in Ægypto crescit lotos, unde panem illi ad naturalem corporis indigentiam explendam conficiunt.* Dixerat autem paulo ante: *In paludibus Ægypti vario sapore radices nascuntur, fructusq; & caules genio singulari, qui pauperculis, & infirmis ad usum, quantum satis est, sufficiunt.* Numeratur & in eduliis Ægyptiorum fructus Persææ arboris, de quo *Dioscorides* l. I. c. CLXXXVII. *Persea*, inquit, *arbor est in Ægypto fructum ferens cibo idoneum, stomacho utilem. Arida folia trita & inspersa sanguinis eruptionem sistunt. Hanc arborem produnt nonnulli, in Perside quidem exitiosam esse: translatam verò in Ægyptum naturâ mutatâ in cibos recipi.*

Conficiebant autem & ex loto Ægyptii panes assos, & gustu suaves, observante *Herodoto* in Euterpe. De loto ita *Dioscorides* l. IV. c. CXIV. *Lotus*, inquit, *quæ in Ægypti campis flumine inundatis provenit, grana fert ceu milii, quæ Ægyptii siccant, & in panes cogunt. Radix loti etiam cruda, cocta q; manditur, cocta qualitate vitello ovi respondet.* Erat præterea Ægyptiis peculiare genus panis, quo ventrem sistebant, κάχρις ipsis vocatum ex *Strabonis* l. XVII. Longum esset fructus Ægyptiorum edules & vernaculos recensere omnes; præteribo peculiarem Ægypto *Zeam*, *olyram*, *tiphen*, de quibus Plinius l. XVIII. c. VIII. præteribo fabas Ægyptias spinoso caule, *quarum radicem perquam lautam incolarum cibis* tradit *Plinius* l. XVIII. c. XII. præteribo lentes Ægyptias diversi generis, *Plinio* ibidem laudatas; præteribo milium Ægyptiorum *Straboni* laudatum,

ut

ut claudatur hæc scena verbis *Athenæi* Deipn. l. v. c. viii. *Fructus*, inqvit, *adeo uberes fert inundans Nilus, ut omnibus hominibus instar Triptolemi sufficiat.* Sed nec condimentis ciborum domi natis destituta erat antiqva Ægyptus. *Sinapeos semen optimum Ægyptium fuit* auctore *Plinio.* l. xix, c. viii. Allium, & cæpas, & raphanos fuisse Ægyptiis qvotidianum ciborum condimentum discimus ex *Herodoto*, & *Plinio*. *Porrum in Ægypto laudatissimum fuisse* tradit idem *Plinius* l. xix. c. vi. qvi & l. xx. c. xx. *coriandrum Ægyptium præcipuum* dictavit. Prunus Ægyptia pomo mespili commendatur *Plinio* l. xiii. c. x. & ficus Ægyptia l. xiii. c. vii. & malinathalla, qvæ Ægyptiorum bellariis inserviebat, memoratur *Theophrasto* l. iv. c. x. Ficus, & palmulas vernaculas fuisse Ægyptiis discimus ex *Heliodori Æthiopicis*. Acetum Ægyptium, ut optimum probavit *Chrysippus* apud *Athenæum* l. ii. Deipn. c. xxx. inqve eo dulce qviddam fuisse notat *Nonius Marcellus* in voce *Acris*. De eo & *Plinius* l. ix. c. xxxv. *Ex præcepto ministri unum tantùm vas ante eam* [Cleopatram] *posuere aceti, cujus asperitas, visq; in tabem margaritas resolvit: gerebat auribus cùm maximè singulare illud, & verè naturæ unicum opus: itaqve exspectante Antonio qviduam esset actura, detractum alterum* [unionem] *mersit, ac liqvefactum obsorbuit.* Nascitur & in Ægypto allium dulce, ex *Dioscor.* l. ii. c. clxxxii. Neqve duntaxat ab utilitate, sed & à constantiâ laudantur scriptoribus Ægyptiæ stirpes. Disertè *Theophrastus* l. iii. c. vii. *In Ægypto*, inqvit, *arbores ferè semper germinant, aut certè parum temporis intermittunt, ob telluris pingvedinem, & cœli mollitiem.* Idem l. i. c. xv. *Plantæ, qvæ in agro elephantino, Memphiq; proveniunt, locî causâ folia nunqvam amittunt.* Clariùs Plinius l. xvi. c. xxi. *Locorum*, inqvit, *tanta vis est, ut circa Memphim Ægypti, & in Elephantine Thebaidis nulli arbori decidant folia, nè vitibus qvidem.*

II. Sed commodùm se offert vitis, qvam *Hellanicus* apud *Athenæum*, in Plinthine oppido Ægypti primùm inventam tradit; *Diodorus* ad Nysam ab Osiride. Ut mirum sit scribere *Conringium* l. i. c. x. *Ægyptios vino destitutos fuisse.* Præclarè certè *Athenæus*

Deipn. l. 1. *Mareoticum vinum*, inqvit, *qvod etiam Alexandrinum vocavere, à Marejâ lacu vicino Alexandriæ, & urbe lacui propinqvâ qvondam amplißimâ, nunc verò pago, nuncupatur, cui nomen indidit Maro, unus ex iis, qvi cum Baccho militârunt. Freqvens in eo tractu vinea est. Uva cùm manditur, saporis est jucundißimi. Vinum autem præstantißimum album, dulce, tenue, svaviter olet, in venas promptè distribuitur, urinas ciet, caput non attingit, & tamen anteit adhuc bonitate id qvod Tænioticum appellatur. Est autem Tænia oblongus in illâ plagâ locus, ubi genitum vinum ex albo nonnihil pallescens pingve qvippiam præ se fert, qvod aqvâ mixtâ paulatim diluitur, non aliter qvàm mel Atticum aqvâ additâ liqvescit. Vinum hoc Tænioticum præterqvam qvod potu mirificè placeat, & odore grato velut aromatum delectet, leniter adstringit. Sunt etiam circa Nili decursus, & qvacunqve fluvius labitur, vineæ creberrimæ. Harum vino singillatim suus gustus, & color. Anteponitur reliqvis, qvod circa Antyllam oppidum provenit.* Mox: *Qvod in Thebaide nascitur, usqve adeo tenue est, præsertim circa urbem Copton, & tam facilè digeritur, ac cito coqvitur, ut citra noxam ægris in febre concedant.* Plinius l. XIV. c. VII. *Sebennyticum vinum*, inqvit, *in Ægypto nascitur tribus generibus uvarum, thasiâ, ethalo, peuce.* Idem l. XIV. c. XVIII. *Thasiam uvam Ægyptus vocat apud se prædulcem, qvæ solvit alvum.* Et mox: *Ægyptus & ecbolada habet abortus facientem.* Vinum Mareoticum à viduratrice *Straboni* laudatur l. XVII. *Diodorus* l. 1. *Regio, illa Ægypti*, inqvit, *qvæ vitibus consita est, eodem modo post rigationem vino exuberat.* Estqve hæc singularis prærogativa vinorum Ægyptiorum, qvòd eorum alia etiam febricitantibus tutò concedi possint, de qvo jam ante; conceduntur autem, qvæ sunt frigidiusculæ naturæ, qvalia fuisse plura videtur ex illo *Macrobii* l. VII. Saturn. c. VIII. colligi: *Cur*, inqvit, *in Ægypto, qvæ regionum aliarum calidißima est, vinum non calidâ, sed pæne dixerim, frigidâ virtute nascitur?* Ut ut sit, adeo innoxia erant qvædam Ægyptiorum vina, ut cùm sacerdotum esset abstinere ab omnibus, qvæ puros sensus turbarent, concederetur ipsis nihilominus οἴνῳ ἀμπέλινῳ docente *Herodoto* in Euterpe, qvo tamen

parcè

parcè utebantur, ut ex *Plutarchi* Iside constat. Immò ita parcè, ut *Heliodoro* in Æthiop. à vino dicantur abstinuisse. Atqve ut erat ingenioſa Ægyptiorum natio, commenta est & factitia qvædam vina, nec suis defraudanda laudibus. *Diodorus* l. I. *Conficitur & in Ægypto*, inqvit, *potus ex hordeo, qvem Zythum vocant, odoris & saporis jucunditate vino non multum cedens.* Id inventum, ut ex *Diodoro* constat, Osiridis fuit, qvod gratè adhuc agnoscere in Septentrione Europæo oportet. Observavit & *Plinius* illum Ægyptiorum è fruge potum; nec aliò tendunt ista *Columellæ* l. x:

Ut Pelusiaci proritet pocula Zythi.

Herodotus οἶνον ἐκ κριθέων vocat *in Euterpe*, eoqve uti monet frumentariæ Ægypti incolas, deficiente vino. Qvin & ex myxis in Ægypto vina fieri docuit *Plinius* l. xiii. c. v. Et è sycomoris Ægyptiis *Dioscorides* l. v. c. xlii.

III. Verùm enimvero suffecerit hîc generosiora illa nutrimenta Ægyptiorum leviter duntaxat attigisse, ut qvod primario hîc instituto agitur, ad plantas eorundem medendo efficaces descendamus, qvibus, ut solertia gentis internoscatur, non alienum fuerit præmittere alia qvædam ex plantis ibidem ad familiares usus prolecta; in qvibus olea sunt varii generis. Ad lucernas ex arbore cici expressere oleum copiosum Ægyptii, notante *Plinio* l. xv. c. vii. & *Herodoto* in Euterpe, atqve *Strabone* l. xvii. Utile & illud ad ulcera capitis manantia, psoras, sedis inflammationes, uteri subversiones, cicatrices fœdas, aurium dolores, & emplastra, qvod & *Dioscorides* l. i. c. xxxviii. neqviit diffiteri. De metopio, & aliis Ægyptiorum oleis consulatur *Plinius* l. xiii. c. i. atqve *Dioscorides* l. i. c. lxxi. De oleo cyprino, qvod ex glande Ægyptiâ conficitur odorum causâ, *idem* l. xv. c. vii. De raphani, graminis, sesami, & urticæ oleo ita *Plinius* l. xv. c. vii. *Plurimum autem in Ægypto* [olei] *è raphani semine, aut gramine herbâ, qvod chortinon vocant: item sesamâ & urticâ, qvod cnecinon appellant.* Et l. xix. c. v. *Ægypto mirè celebratur raphanus propter olei fertilitatem, qvod è semine ejus faciunt: hoc maximè cupiunt serere, si liceat: qvoniam & qvæstûs plus,*

qvàm à frumento, & minus tributi est, nullumq; copiosius oleum. Sed qvibus seponitur usibus oleum illud? edisseret *Dioscorides* l. I. c. XLV. *Raphaninum oleum*, inqvit, *fit ex raphani semine. Iis, qvi ex malâ valetudine phthiriases contraxere, convenit, scabritiasq; cutis in facie emendat. Eo utuntur Ægyptii unà cum obsoniis ipsum coqventes.* Neqve solùm oleum illud Ægyptiis probabatur, sed & ipsæ radices suo modo temperatæ. Plinius l. XIX. c. V. *In Ægypto*, inqvit, *raphani nitro sparguntur, ubi sunt suavitate præcipui.* Oleum tamen olivarum non defuisse Ægyptiis vel ista, præter *Theophrastum*, *Plinii* l. XV. c. III. svadent: *In Ægypto ex carnosissimis olivis olei exiguum. Dioscorides* & susinum oleum in Ægypto parari docet excellentissimum, l. I. c. LXII. cujus vires ibidem diserte proponuntur. De urticæ iterum oleo *Plinius* l. XXII. c. XIII. *Urticâ qvid esse invisius potest? at illa præter oleum, qvod in Ægypto ex eâ fieri diximus, vel plurimis scatet remediis.* Oleum glandis ungventariæ itidem Ægyptium ungventum est. Clarè *Dioscorides* l. IV. c. CLX. *Glans ungventaria*, inqvit, *nascitur in Ægypto, ea trita, & ex poscâ drachmæ pondere potà lienem emollit, vomitiones movet cum hydromelite. Oleum qvod inde exprimitur, alvum potu subducit, at cortex ejus magis adstringit.* Legatur & de ungventis Ægyptiorum *Theophrastus Eresius* l. de Odorib. ubi inter cætera docet, ungventa Ægyptia commodè ætatem ferre: Vox ejus: πολυχρονιώτατον δ' ἐστὶ τὸ Αἰγύπτιον μύρον. Non attingam nunc pluribus vel qvercum, vel persœam, vel olivam, Ægyptias, *Plinio* l. XIII. c. IX. laudatas; non spinam Ægyptiam, qvæ in aqvis incorrupta durat, eoqve utilissima est navium costis, ex eodem *Plinii* loco; cujus folia circa Memphim tactis ab homine ramis cadunt protinus, & pòst renascuntur auctore eodem *Plinio* l. XIII. c. X. ex qvâ & gummi optimum fieri docet l. XIII. c. XI. Non memorabo pluribus linum Ægyptium, sive Taniticum, sive Peluſiacum, sive Buticum, sive deniqve Tentyriticum, de qvibus Plinius l. XIX. c. I non Corsium *Straboni* l. XVII. laudatum; non stirpem illam, ex qvâ coccinea texta faciunt, notante ibidem *Strabone*; non strychnon coronariis in Ægypto tantopere usurpatum, ex Plinii l. XXI. c. XXXI. Sed

cùm

cùm ingressus sim Floræ Ægyptiæ amœniora, libet adhuc de rarioribus ejus plantis qviddam adjungere, & qvidem præeunte viam hoc ipso loco, diligentissimæ sedulitatis *Plinio: Superior*, inqvit, *pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, qvem aliqvi gossipion vocant, plures Xylon, & ideo lina inde facta xylina. Parvus est, similemq; barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur: nec lina sunt ei candore, mollitiáve præferenda. Vestes inde Sacerdotibus Ægyptiis gratissimæ.* De *arachidnâ, vingo*, & *moro* Ægyptiis ita *Theophrastus* hist. plant. l. I. c. I. *Qvædam plantæ fructus gerunt latere; aliæ caudice, ut morus Ægyptia. Et qvæ fructum pariunt sub terrâ, ut arachidna, & qvod vingum Ægyptii vocant.* De spinæ arboris fructu, & floribus illa ex *Theophrasti* l. IV. c. III. non pigebit addere: *Fructus spinæ Ægyptiæ in siliqvâ more leguminum est, qvo incolæ coria perficiunt, vice gallæ. Flos coronis, & medicamentis utilis.* Sed pergit ibidem *Theophrastus: Nascitur*, inqvit, *peculiaris frutex, circa Memphim, non foliis, vel ramis, vel formâ singulare qvicqvam habens, sed accidit ipsi rarum qviddam. Facies ejus spinosa, foliumq; filicibus non absimile, sed cùm ramulos ejus qvisqvam tetigerit, folia qvasi hebetata concidere narrant, & aliqvanto post revivíscere, rursusq; vivere.* Eadem fere *Plinius* l. XIII. c. X. Nostro tamen seculo circa Memphim qvæsitum *Gvilandinus* non reperit, [ut variat qvandoqve ejusdem telluris natura] sed in vicinâ Arabiâ; vox ejus l. de papyr. *Annon æschynomenen narratam Apollodoro Democriti discipulo, cùm superioribus annis in Arabiâ peregrinarer, appropinqvante manu folia contrahentem his oculis vidi?* Respicit locum *Plinii* l. XXIV. c. XVII. *Adjecit his Apollodorus, assectator ejus* [Democriti] *herbam æschynomenen, qvoniam appropinqvante manu folia contraheret.* Hodie novus orbis diversas ejus genii plantas Europæ repræsentavit; qvæ ex Virginiis affertur, non est dissimilis foliis, sed spinis destituitur; qvæ in Malavar nascitur, referente *Garcia ab Orto*, neqve viribus dispar, sed nec illa spiculis armata; videri & meretur de istiusmodi plantis Brasilianis Amplissimus *Piso*. Hîc Hafniæ superiori æstate similis in horto Rosekrantziano succrevit, ad tangentis manum se se contrahens, & so-

& folia velut certo triſtitiæ argumento ſenſim demittens, mox tamen iterum ſibi reſtituta. Oportet & raram eſſe ſtirpem illam, ex qvâ Ægyptii texta coccinea artificiosè parabant, docente *Strabone* l. XVII.

IV. Proximum eſt, ut plantas qvasdam ægris corporibus ſalutares ex Ægypto advocemus, ut vel hinc velut ex ungve generoſus ille leo judicetur; licet ſufficeret teſtimonium *Diodori*: *In paludibus Ægypti vario ſapore radices naſci, fructuſq́, & caules genio ſingulari, qvi pauperculis, & infirmis ad uſum, qvantum ſatis eſt, conferant.*

Abſinthium marinum ita apud *Plinium* l. XXVII. c. VII. *Eſt & abſinthium marinum, qvod qvidam ſeriphium vocant, probatiſſimum in Taphoſiri Ægypti: hujus ramum Iſiaci præferre ſolemne habent: anguſtius priore, minusq́, amarum, ſtomacho inimicum, alvum mollit, pellitq́, animalia interaneorum.* *Dioſcorides* l. III. c. XXVII, refert idem, adjicitqve alvum hac plantâ leviter ſubduci, pelli aſcaridas, & lumbricos teretes, pecora etiam hoc pabulo admodum pingveſcere.

Acacalis, ex *Dioſcor.* l. I. c. CXVIII. *fructus eſt naſcentis in Ægypto fruticis, myricæ fructui qvodammodo ſimilis: cujus dilutum ad collyria additur, qvæ viſûs claritati conveniunt.*

Acacia, inqvit *Dioſcorides* l. I. c. CXXXIII, *in Ægypto naſcitur, cujus ſuccus adſtringens convenit ad oculorum affectus, eryſipelata, herpetas, perniones, pterygia, & oris ulcera. Idem ſuccus fluxum muliebrem ſiſtit, vulvæ procidentiam cohibet, alvi profluvia ſupprimit.* Copioſiùs de eadem *Plinius* l. XXIV. c. XII. Nec tacet *Galenus* l. I. de Antidot. nec *Theophraſtus* l. IV. c. II. Ex hujus ſpinæ Ægyptiæ, ſive acaciæ materie ſimulacra olim factitavere Ægyptii, notante *Plinio* l. XIII. c. IX. Venuſtum etiam colorem inducere gummi ſpinæ Ægyptiæ prodidit *Dioſcor.* parabil. l. I.

Amaracum, verba ſunt Plinii l. XXI. c. XI. *Diocles Medicus & Siculagens appellavere, qvod Ægyptus, & Syria ſampſuchum.* Diſertiùs autem *Dioſcorides* l. III. c. XLVII. *Sampſuchum in Ægypto naſcitur, vocatur Cyzicenis & Siculis amaracum.. Decoctum ejus potu incipientibus hydropicis utile, ut & iis, qvos urinæ difficultas & tormina excruciant*, &c.

Amylon

Amylon Ægyptium tradit *Dioscorides* l. II. c. CXXIII. efficax esse ad oculorum fluxiones, cava ulcera, & pustulas; sanguinis etiam rejectiones potu cohibere, & exasperatas lenire fauces.

Anisum Ægyptium laudat *Dioscorides* l. III. c. LXV.

Aris, observante Plinio l. XXIV. c. XVI. *in Ægypto nascitur, similis aro, minor tamen, minoribusq; foliis, & utiq; radice, quæ tamen olivæ grandis magnitudinem implet: alba geminum caulem, altera unum tantùm emittens: medetur utroq; hulceribus manantibus, item combustis ac fistulis: collyrio immisso nomas sistunt, decoctarum in aquâ, & postea tritarum rosaceo addito*, &c.

Balsamum, inquit *Dioscorides* l. I. c. XVIII. *In unius Judææ certâ quadam convalle, & Ægypto nascitur.* De cujus viribus nobilissimis varia ibidem affert *Dioscorides*, varia *Plinius* l. XII. c. XXV. Hanc ipsam plantam Matereæ ad Cairum vidit *Bellonius* Observ. l. II. c. XXXIX. Arabiæ domesticam esse nullum dubium, attestante etiam *Prosp. Alpino*; sed an & Judææ? Scrupulum sanè injiciunt illa *Josephi* Antiq. Jud. l. VIII. *Tradunt quòd & radicem balsami, quam bactenus fert nostra provincia, Regina Ægypti, & Æthiopiæ dederit Regi Salomoni.* Sed *Alpinus* balsami plantam Ægypto nativam esse negat, quòd ex Arabiâ sæpe in viridarium *el Mattharia* vocatum transferatur; nihil tamen impedit, quò minùs sit verus *Dioscorides*, utcunq; enim ad urbem Cairum, ubi illa Mattharia, ægrè conservetur, ad urbem tamen Diospolin procul inde in Ægypto eadem distantem sponte nascitur, si verus est *Simeon Sethi.* Fortassis tamen ex Arabiâ quandoque affertur in hortum Matthariæ, ut vel major, vel odoratior.

Brassicæ AEgyptiæ semen, quod notatum Dioscoridi l. II. c. CXLVI. *potum lumbricos expellit, & antidotis adjicitur, sed & faciei cutem, lentigines q; expurgat.*

Bryonia, ut est apud *Plinium* l. XXIV. c. IX. *fert in AEgypto, Syriâq; etiam abundanter lignosum fructum, majorem gallâ, asperum gustu, quo Medici utuntur vice gallæ in compositionibus, quas antheras vocant. Et lignum autem, & flos, & cortex in eosdem usus adhibentur,*

qvanqvam remißiora. Datur ſanguinem rejicientibus cortex tritus, & contra profluvia fœminarum, cœliacis qvoq;. &c.

Buphthalmi AEgyptii ſuccum laudat *Galenus* l. II. de Antidot. c. IV. ad antidotum pro fœtibus ejiciendis.

Caßiam fiſtulam, præterqvam qvòd ad vicinam Ægypto Arabiam pullulet, naſci in Ægypto Cairi, Peluſii, Alexandriæ qvoqve freqventiſſimam ex *Proſpero Alpino* conſtat, neqve ignotam olim fuiſſe mercatoribus Alexandrinis facilè ex *Dioſcor.* l. I. c. XII. colligitur. Vires autem ejus Medicæ illuſtres ſunt ad affectus renum, & veſicæ, ad acuendum oculorum lumen, ad lentigines, alia, de qvibus varia *Dioſcorides*, qvem mirum eſt vim clementer purgantem tacuiſſe.

Chamædaphnes Alexandrinæ *folia trita*, ex *Dioſcor.* l. IV. c. CXLIX, *capitis doloribus illita ſuccurrunt, inflationibusq; ſtomachi. Eadem pota cum vino tormina ſedant. Succus cum vino propinatus menſes, urinasq; ciet: idem qvoqve ſubditus in peſſo facit.*

Chamæmelum qvàm fuerit freqvens Ægyptiis vel ex *Galeno* de ſimpl: med: facult. l. III. c. IX. patet: *Chamæmelum*, inqvit, *adhæc febres, qvæ circa viſceris alicujus inflammationem infeſtant, diſcutit, diſſolvitq;: ac præſertim qvæ ex humoribus bilioſis, aut cutis denſitate proveniunt. Qvâ de re & ab AEgyptiorum ſapientiſſimis ſoli conſecratum eſt, febriumq; omnium unicum putatur remedium. Verùm hac qvidem in re à veritate aberrant. Solas enim, qvas dixi, febres ſanare poteſt, easq; percoctas: licet ſanè pulchrè reliqvas adjuvet, qvæ melancholicæ ſunt, aut pituitoſæ, aut ex viſceris inflammatione prognatæ, nam & illarum generoſum remedium eſt, qvando iis jam percoctis adhibetur.* Sed audiamus ultima *Galeni*: Ταύτη τοι, inqvit, καὶ τῶν Αἰγυπτίων τοῖς σοφωτάτοις, ἡλίῳ καθιέρωται, καὶ πυρετῶν ἁπάντων ἴαμα νενόμισται. ἀλλὰ τάττῳ μὲν οὐκ ἀληθεύεται· μόνων γὰρ ὧν εἴρηκα πυρετῶν ἐστὶν ἴαμα, καὶ τούτων ἤδη πεπεπομένων, ὀνίνησι μέν τι καλῶς καὶ τὰς ἄλλας ἀπεπείας, ὅσαι τε μελαγχολικοί, καὶ ὅσαι φλεγματώδεις εἰσί, καὶ ἁπλῶς ὑγρὰν φλεγμονὴν ἔχουσι· καὶ γὰρ καὶ τούτων ἴαμα γενναιότατόν ἐστι τὸ χαμαίμηλον, ὅταν ἤδη πεπεπομένους εὕρῃ. Parum abeſt, qvin *Galenus*, dum in eo hîc verſatur, ut con-

contradicat Ægyptiis, sibi ipsi adversetur, cùm initiò febres tantùm biliosas, & ex visceris alicujus inflammatione pendentes, & qvidem coctas sanari chamæmelo scribat, postea etiam omnes melancholicas, & pituitosas, ubi percoctæ fuerint, eodem modo percurari neqveat dissimulare. Utqve mollias interpretando *Galenum*, qvis fidem faciet Ægyptios febribus, nisi coctâ jam materiâ, chamæmelum opposuisse? qvis spondebit chamæmelum Ægyptium idem esse, qvod Græcum? præsertim cùm diversitatem insignem agnoscat *Alpinus* l. IV. de Med. Ægypt. c. x. Qvòd si autem crudâ adhuc materiâ usurpaverint, fortassis chamæmeli salem opposuere, nam lixiva plantarum salia Ægyptiis jam olim nota fuisse oppidò verisimile est, ut à qvibus hodieqve sal Kellu, sive Kalli, cui Arabes postea illud suum *al* præfixere, in reliqvum orbem emanat, de qvo *Prosper Alpinus*: & diu ante *Neophytus* Græcus scriptor videtur haud aliter rem intellexisse apud *Salmasium* in Plin. Exercit. Ut taceam Ægyptios jam olim *Dioscoride*, & *Plinio* testibus papyrum in cinerem combussisse, & causticorum loco usos esse, nihil autem in istis cineribus causticum est præter salem lixivum.

Cichorium efficaciissimi usûs planta ab Ægypto in eruditorum libros commigravit. *Plinius* l. XX. c. VIII. *In Ægypto*, inqvit, *cichorium vocant, qvod sylvestre sit: sativum autem serin, qvod est minus, & venosius.* Et l. XXI. c. XV. *In Ægypto proxima auctoritas cichorio est, qvam diximus intubum erraticum.*

Clematis Ægyptia & jam olim celebris. *Plinius* l. XXIV. c. XV. *Est*, inqvit, *& alia clematis, Ægyptia cognomine, qvæ ab aliis daphnoides, ab aliis polygonoides vocatur, folio lauri, longa, tenuis, adversus serpentes, ac privatim aspides ex aceto pota efficax: Ægyptus hanc maximè gignit.*

Cnicus in hunc censum referendus. *Plinius* l. XXI. c. XXXII. *Nec de cnico*, inqvit, *sive atractylide verbosiùs dici par esset, Ægyptiâ herbâ, ni magnum contra venenata animalia præberet auxilium: idem adversus fungos. Constat autem scorpione percussos, qvamdiu teneant eam herbam, non sentire cruciatum.*

Colocasiâ nihil notius Ægyptiis, de qvâ non solùm prolixè *Prosper Alpinus* l. de Plant. Ægypt. ut & eduli, & aphrodisiasticâ, sed & jam olim eandem ad esculenta, & pharmaca reqvisivisse Ægyptios auctor est *Plinius* l. XXI. c. XV. *In Ægypto*, inqvit, *nobilissima est colocasia, qvam cyamon aliqvi vocant: hanc è Nilo metunt, caule, cùm coctus est, araneoso in mandendo.* &c. Et postea c. XXVIII. *Colocasiâ*, inqvit, *Glaucias acria corporis leniri putavit, & stomachum juvari.*

Colocynthidem inter plantas Ægyptias referendam vel illud ostenderit, qvòd & apud *Dioscoridem* l. IV. c. CLXXVIII. *cucurbita Alexandrina* nuncupetur, cujus vires medicas decantatas esse constat.

Coriandrum, docente *Plinio* l. XX, c. XX, *præcipuum constat esse Ægyptium. Valet contra serpentum genus unum, qvod amphisbænas vocant, potum, impositumq;: sanat & alia vulnera: epinyctidas, pustulas tritum, &c.*

Cuminum Ægyptium nec illaudatum est. Disertè enim *Dioscorides* l. III. c. LXVIII. *Cuminum sativum stomacho est utile, sed multo magis Æthiopicum, qvod Hippocrates Regium appellavit. Secundum locum tenet Ægyptium. Mox reliqva seqvuntur. Provenit in Galatiâ Asiæ, Ciliciâ, Tarentinâ regione & alibi.* Laudatqve ipse *Galenus* noster semen cumini Thebaici.

Cypheos compositionem ex myrrhâ, cinamomo, terebinthinâ, spicâ, cypero, junipero, bdellio, aliis, confectam sacerdotibus Ægyptiis adscribit *Galenus* l. de Antid. II. c. XI. cujus qvidem illi suffimento ut Diis accepto plurimùm utebantur, sed admistum qvoqve hoc pharmacum antidotis, & utile suspiriosis fuisse discimus ex *Dioscor.* l. I. c. XXIV.

Cyprus, notante *Plinio* l. XII. c. XXIV, *in Ægypto arbor est Ziziphi foliis, semine coriandri, flore candido, odorato: coqvitur hoc in oleo, premiturq; postea, qvod cyprus vocatur: pretium ei in libras qvinq;. Optimum habetur è Canopicâ in ripis Nili natâ: secundum Ascalone Judææ. Dioscor.* l. I. c. CXXIV. *Cyprus optima nascitur in Ascalone, & Canopo. Folia adstrictoriam vim habent, qvare ulceribus oris commanducata medentur, & illita tum fervidis aliis inflammationibus, tum*

etiam

etiam carbunculis prosunt. Eorundem decoctum igni ambustis affunditur. Et mox: *Unguentum cyprinum bene odoratum est, ac vim adscisit calefaciendi, emolliendiq; nervos* &c. χρῖσμα κύπρινον μαλακτικὸν νεύρων, καὶ ὑγρόν.

Faba Ægyptia ex *Dioscor.* l. II. c. CXXVIII. *virens comeditur, exsiccata nigrescit, & fabam Græcam magnitudine superat. Vim porrò habet adstringendi, stomachumq; juvat. Quamobrem dysentericis, cœliacisq; convenit insperſa earum farina polentæ vice. Sed & in pultem quoq; redacta exhibetur.* De radice hujus fabæ ita ibidem Dioscorides: *Radix*, inquit, *subjacet, harundinis radice crassior, quæ cocta & cruda estur, & colocasia nominatur. Prosper Alpinus* cùm in Ægypto viderit in usum alimentorum frequentissimè cedere radicem colocasiæ, flores autem & fructum ipsum, seu fabam nunquam ibidem potuerit conspicere, in dubio relinquit, utrum *Dioscorides* fabam Ægyptiam colocasiæ radicis fructum rectè crediderit. Flores tamen in Italiâ ferre postea & *Alpinus* ipse, & cum eo *Fabius Columna, Ferrandusq; Imperatus* notavere. Rectè autem dubitavit *Alpinus*, planè enim fabam Ægyptiam aliam à colocasiâ plantam esse præclarè docuit pridem Cl. *Stapelius* in *Theophrast.* quam & *Huernio* nymphæam glandiferam Bataviæam Javorum tradit appellari. Fortassis & hodierni Ægyptii fabam illam ex veteri Sacerdotum suorum præcepto nonnihil aversantur, eoq; planta rarior nunc in Ægypto deprehenditur. Olim in lacubus, & paludibus Ægypti cum biblo frequens nascebatur, observante *Strabone* l. XVII. Constat Pythagoram ideo à fabis abstinuisse, quòd à sapientibus Ægyptiorum fabam illam abominantibus abstinendum esse didicisset, monente *Plutarcho* Sympos. l. VIII. Illi autem abstinuere, ut ab immundo legumine, ex *Herodoti* Euterpe, & haud dubiè, quòd contemplationum puritati flatulento suo succo officeret. Certè ab his edoctus *Pythagoras*, fastidivit cibum hunc propter inflationes, tranquillitatem mentis quærentibus graves, quod ex *Ciceronè, Simeone Antiocheno, Jamblicho*, aliis, eruditè deduxit Clar. *Jo: Scheffer.* l. de Phil. Ital. An autem Pythagoras à fabâ etiam Græcâ abstinuerit, ut

qvam in Ægyptum id temporis commigrâſſe non conſtat, an à ſolâ Ægyptiâ, aliis nunc perpendendum relinqvo. Exiſtimari fortaſſe poteſt, abſtinuiſſe etiam à Græcâ ob ſimilitudinem cum Ægyptiâ; diſerte enim *Strabo* l. XVII. Ὁ κύαμος Αἰγύπτιος παρὸν φέρει ὅμοιον τῷ παρ' ἡμῖν κυάμῳ, μεγέθει μόνον, καὶ γεύσει διαλλάττοντα. *Ficus Ægyptia Theophraſto* memoratur l. IV. c. II. *Siliqva*, inqvit, *qvam Ægyptiam ficum nonnulli appellant per errorem, nulla enim in Ægypto, ſed in Syriâ naſcitur.* Siliqvam tamen, qvæ κερατωνία dicitur, in Ægypto naſcentem vidit *Proſper Alpinus.* Utcunqve fuerit, *Plinius* manifeſtè diſtingvit inter ſiliqvam cerauniam, qvæ ipſi ficus Ægyptia *Theophraſti* eſt, & ficum alteram Ægyptiam. Ita enim l. XIII. c. VII. *Et in Ægypto multa genera, qvæ non alibi: ante omnia ficus, ob id AEgyptia cognominata. Arbor moro ſimilis folio, magnitudine, aſpectu: pomum fert non ramis, ſed caudice ipſo: idq; ipſum ficus eſt prædulcis, ſine granis interioribus.* Seqventi capite de ficu Ægyptiâ *Theophraſti* loqvitur. Sed anne aliud adhuc ficuum in Ægypto genus? certè iſtuc tendere videtur *Plutarchus* in M. Antonio: ubi narrat ad Cleopatram jam mori certam [haud dubiè per ſubornatum internuncium] rure allatam ciſtam fuiſſe ficubus inſigniter grandibus plenam, & ficulneis contectam foliis, in qvibus experita illa aſpis deliteſcebat, nè autem crederemus plebeji generis fuiſſe ficus illos, traduntur ſatellites Cæſarii ad oſtium Cleopatræ excubantes admirati fuiſſe καὶ κάλλος καὶ μέγεθος σύκων ἐκείνων. Videatur & de Alexandrinâ ficu *Plinius* l. XV. c. XVIII.

Glandis ungventariæ Ægyptiæ vires Medicas ante attulimus.

Hedera Ægyptiis κενόπεγις dicta monente *Plutarcho* l. de Iſid. & Oſir. Oſiridi ſacra erat, unde & Oſiridem hederigerum *Tertullianus* ex Harpocratione inducit l. de Coron. milit. cujus vires latè percenſet *Dioſcorides* l. II. c. CCX.

Helenii Ægyptii radix, ſecundum Dioſcor. l. I. c. XXVIII. ex vino bibita ſerpentium ictibus auxiliatur.

Ladani

Ladani plantam in Ægypto viguisse studio Ptolemæorum constat ex *Plinii* l. XII. c. XVII.

Laurus Alexandrina *Dioscoridi* celebratur l. IV. c. CXLVII. *Radix ejus*, inqvit, *pondere drachmarum sex è dulci vino pota difficulter parientibus, & urinæ stillicidio laborantibus auxiliatur.* Laudatur & *eidem* l. IV. c. CXLIX. *chamædaphne* Alexandrina ad dolores capitis, inflationes stomachi, & tormina, ad menses, urinasq; ciendas.

Lycopersium ex barbaricâ circa Ægyptum regione affertur, cujus usus nobilis est, ad urgentes articulorum dolores, qvemadmodum docet *Galenus* de simpl. med. fac. l. IV. c. XVII.

Malva adeo freqvens Ægyptiis planta fuit, ut eam Osiridi qvoqve sacram fecerint, memorante de Theolog: Gentil. *Gerh. J. Vossio.* Ab Ægyptiis, opinor, edoctus Pythagoras ἱερώτατον εἶναι τὸ τῆς μαλάχης φύλλον credidit, ut est apud *Ælian.* Var. hist. l. IV. c. XVII. De malvæ autem viribus medicis prolixè *Dioscorides.*

Maron Ægyptium agnoscit *Plinius* l. XII. c. XXIV. vires autem *mari* medicas percenset l. III. c. XLIX. *Dioscorides.*

Mastichen Ægyptiam, lentisci arboris resinam, laudat *Galenus* de Compos. medic. per gen. l. VIII. c. II. & l. II. ad Glauconem. De viribus autem *mastiches* in medendo celeberrimis disertè, & eruditè *Dioscorides* l. I. c. XC.

Morus, ut ex *Theophrasto* constat, Ægypto familiaris est. *Plinius* etiam l. XXIII. c. VII. *Mora*, inqvit, *in Ægypto, & Cypro sui generis, ut diximus, largo succo abundant, summo cortice desqvammato: altiore plagâ siccantur, mirabili naturâ. Succus adversatur venenis serpentium, prodest dysentericis, discutit panos, omnesq; collectiones, vulnera conglutinat, capitis dolores sedat; item aurium: splenetico bibitur, & contra perfrictiones.* &c.

Myosotida, sive auriculam muris, [cujus radix ex *Dioscoridis* monito sanat ægilopas] notissimam Ægyptiis plantam fuisse vel ex illo *Plinii* l. XXVII. c. XII. colligere est: *Tradunt*, inqvit, *Ægyptii mensis, qvem thiatin vocant, die vigesimo septimo, ferè in Augustum incurrente,*

rente, si qvis herbæ hujus [myosotidis] *succo inungatur manè, priusqvam loqvatur, non lippiturum eo anno.*

Myrica, ut tradit *Dioscorides* l. I. c. CXVI. *provenit in AEgypto, utilis sangvinem exscreantibus, vulvæ profluvio laborantibus, morbo Regio, splenèticis, & morsibus phalangiorum*, &c.

Myrobalanum etiam cognovit antiqva Ægyptus. Vox *Plinii* l. XXIII. c. V. *Palma, qvæ fert myrobalanum, probatissima in AEgypto, ossa non habet reliqvarum modo in balanis. Alvum, & menses sistit in vino austero, & vulnera conglutinat.*

Myrti in AEgypto mirum in modum odoratæ surgunt; ecce ipsa *Theophrasti* l. VI. c. VII. verba! Ἐν Αἰγύπτῳ δὲ μυρρίναι θαυμασταὶ τῇ εὐοσμίᾳ. *Plinius* l. XXI. c. XI. *In AEgypto sine odore hæc omnia; tantumq; myrtis odor præcipuus.* Vires myrti in rejectione sangvinis per os, in erosione vesicæ, in phalangii, & scorpionum ictibus, & malis aliis propemodum infinitis efficacissimæ recensentur *Dioscoridi* l. I. c. CLV.

Nymphæam etiam Ægypto attribuit *Avicenna: Niluphar*, inqvit, *nymphæa est AEgyptiis, vocaturq; iis granum sponsi, somnum conciliat, sedat dolorem capitis ex causâ calidâ, & syrupus ejus cum tritico præparatus confert omnibus capitis doloribus, estq; magnum medicamentum præcipuè AEgyptiis.*

Palmam in Ægypto pullulare jam olim prodidit *Theophrastus* l. II. c. VIII. Accedit & *Dioscorides* l. I. c. CXLVIII. *Palma*, inqvit, *in AEgypto gignitur, cujus fructus adstringit, & contra alvi profluvia, fluxumq; muliebrem ex vino austero bibitur, hæmorrhoidasq; sistit*, &c. Subjungit autem *Dioscorides* capite proximo aliud palmarum genus, qvod *Thebaicum* appellat, id est qvoqve Ægyptium: *Thebaicarum*, inqvit, *palmarum decoctum potui datum, causonem sedat, & cum hydromelite vetusto sumptum vires recreat:* In gargarismis vehementer adstringit, & cohibet, &c. Agnoscit & *Strabo* l. XVII. palmam Thebaicam præstantissimam esse.

Papaver nigrum Ægyptium inter plantas omnes de principatu certat, nascitur autem copiosissimè in locis Sajeth, ubi olim Thebarum

barum urbs præclarissima, ex cujus capitibus succum exprimunt incolæ, & ad solem exsiccant usui futurum. Hoc est nobile illud *opium Thebaicum*, qvod hodieqve per orbem universum, ad pacandos furentes humores adhiberi solet, de qvo videatur *Prosper Alpinus* l. IV. de Medicin. Ægyptiorum. Hoc ipsum *Galenus* l. I. de Antidot. tanqvam potentissimum collaudat.

Papyrus Ægyptia non modò nutrimentum suggerebat genti suæ, ut priùs monuimus, non tantùm lembos, & navigia, sed & pharmaca. De qvo inter alia *Plinius* l. XXIV. c. XI. *Cognata*, inqvit, *in Ægypto res est harundini papyrus, præcipuæ utilitatis, cùm inaruit, ad laxandas, siccandasq; fistulas, & intumescendo ad introitum medicamentorum aperiendas. Charta qvæ fit ex eâ cremata, inter caustica est: cinis ejus ex vino potus somnum facit: ipsa ex aqvâ imposita callum sanat.*

Persea in Ægypto, & locis proximis fructum fert, in Rhodo ad florem duntaxat pervenit, si verus est *Theophrastus* l. III. c. V. Genium ejus designat *Plinius* l. XIII. c. IX. *Ægyptus*, inqvit, *& perseam arborem sui generis habet, similem pyro, folia retinentem: fertilitas assidua ei, subnascente crastino fructu, maturitas etesiarum afflatu.* Et *Galenus* l. II. de Aliment. Facult. *Perseon*, inqvit, *vidi Alexandriæ, estq; illa ex magnis arboribus. Narrant autem fructum ejus apud Persas adeo esse noxium, ut si qvis illum comederit, interimatur: qvi tamen si in Ægyptum transferatur, fit esculentus, manditurq; non aliter qvàm pyra & mala, qvibus etiam magnitudine convenit.* De viribus ejus medicis videantur, qvæ superiùs ex *Dioscoride* allata. Hanc à Perseo Memphi satam esse credit *Plinius* l. XV. c. XIII. Aliam verò esse Persicam à Perseâ ibidem disertè tradit *Plinius*.

Persoluta Ægyptia laudatur & *Plinio* l. XXI. c. XXXII. *Et persolutam*, inqvit, *Ægyptus in hortis serit coronarum gratiâ: duo ejus genera, fœmina & mas: utrâq; subditâ Venerem inhiberi, virorum maximè tradunt.*

Punica malus non vicina tantùm Carthaginis jam olim amavit, sed & Ægyptum, qvod ex *Plinii* l. XIII. c. XIX discimus. Præit

autem *Theophraſtus* l. II. c. III. In Ægypto, inqvit, ajunt Punicam acidam tum femine, tum plantâ in dulcem qvodammodo, & vinolentam converti. Vires mali punici, corticisq; ejus, & florum, adeo latè patent, ut poſtqvam recenſuiſſet ex iis varias *Plinius* l. XXIII. c. VI. tandem induſtriâ antiqvorum, & experiundi ſolertiâ excitatus inclamârit: *Non eſt ſatis mirari curam, diligentiamq; priſcorum, qvi omnia ſcrutati nihil intentatum reliqvere.* Qvæ laus ſi ullius gentis eſt, certè Ægyptiacæ erit.

Siliqvam, qvæ aliis κερατωνία, aliis κεράτιον, *Theophraſto* περωνία, in Ægypto naſci freqventem ſatis conſtat, tradente non ſolùm magno illo *Ereſio* l. I. c. XVIII, ſed & *Proſpero Alpino* l. de Plant. Ægypt. Hodierni Ægyptii mel ex ſiliqvis ejus extrahunt dulciſſimum ad alios fructus condiendos. Utuntur & eodem ad clyſteres, item in renum inflammationibus, tuſſientibus, aſthmaticisqve. Neqve olim uſus ejus ignobilis fuit, de qvo *Dioſcorides* l. I. c. CLVIII. Et hodie freqventatur uſu ſolenni ad vitia pectoris tuſſientium, & ardorem ſtomachi; ſuntq; ſiliqvæ illæ multis propter gratam dulcedinem in delitiis. Cur ergo inter porcorum duntaxat edulia apud *D. Lucam* c. XV. referuntur? ubi ille de filio prodigo: Καὶ ἐπεθύμει γεμίσαι τὴν κοιλίαν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν κερατίων, ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι, καὶ οὐδεὶς ἐδίδου αὐτῷ. Qvia in Oriente ea erat ſiliqvarum harum arborearum copia, ut ſuum etiam pabulo naſcerentur, qvod probè obſervatum *Plinio*. Fortaſſis tamen ſolæ ſiliqvæ ſucco jam expreſſo obſipatæ ſunt ſuum generi, qvòd ſuccus tranſiret in Syriâ in vina factitia annotante itidem *Plinio*. Has ſiliqvas vulgus hodie vocat panem *S. Johannis*, ac ſi in deſertis illo genere victitaverit, *Adolphus Vorſtius* autem, Botanicus Leidenſis inſignis, malebat *panem ſilii prodigi* appellare.

Sycomori [an eadem ſit, qvæ morus, viderint alii] *plantam*, inqvit *Galenus* l. II. de Alim. Fac. *vidi Alexandriæ unà cum fructu, parvæ ſicui albæ ſimilem.* De cujus viribus medicis conſulendus *Dioſcorides* l. I. c. CLXXXI. *Titus Livius Burattinus*, vir ampliſſimus, qvi ſeculo noſtro Ægyptum curioſo oculo perluſtravit, animadvertit arculas

arculas veterum Mumiarum Memphiticarum ex *sycomori* arbore fabricatas esse.

Stratiotis Ægypti incola est. *Celebratur autem*, inqvit *Plinius* l. XXIV. c. XVIII, *& à Græcis stratiotis, sed ea in Ægypto tantùm, & inundatione Nili nascitur, aeizoo similis, ni majora haberet folia. Refrigerat mirè, & vulnera sanat ex aceto illita: item ignes sacros ac suppurationes: sangvinem qvoqve, qvi defluit à renibus, pota cum thure masculomirificè sistit.* *Dioscorides* l. IV. c. CII. adjicit, *stratiotin* vulnera, erysipelata, & œdemata ab inflammatione præservare. *Veslingius* in Prosp. Alpin. agnoscit se vidisse eandem *stratiotin* aqvis Ægyptiacis incubantem, eiq; eximiam sanandorum vulnerum efficaciam attribuit.

Thuris arbores Sabæis ferè propriæ, visæ tamen & in Carmaniâ; immò in Ægypto satas esse studio Ptolemæorum regnantium tradit Juba Rex apud *Plinium* l. XII. c. XIV. Vires thuris medicas latè prosequitur *Dioscorides* l. I. c. LXXXI.

Urtica Ægyptia sequitur, de qvâ ita *Plinius* l. XXII. c. XIII. *Urticâ qvid esse invisius potest? at illa præter oleum, qvod in Ægypto ex eâ fieri diximus, vel plurimis scatet remediis. Semen ejus cicutæ contrarium esse Nicander affirmat: item fungis, & argento vivo*, &c.

Et hæc hactenus, ut leve specimen tantùm ederetur plantarum Ægyptiarum, servatarum velut ex naufragio in scriptis Græcorum, Latinorumqve veterum; qvòd si qvis vel ex *Galeni* libris de comp. Medic. per gen. *aristolochiam, panacem, myrrham, castoreum, galbanum, spicam, cyperum, juniperum, bdellium, alia* freqventata Ægyptiis; vel ex *Prospero Alpino, Veslingio, Bellonio*, aliorumqve recentiorum monimentis [qvanqvam illi non nisi selectiora describant] tum germinantia hodie in Ægypto, tum ex vicinâ Arabiâ, & Æthiopiâ istuc qvotidie allata, adeoqve ibidem qvasi domestica germina memorare institueret, in immensum propè excresceret commentatio. Tantùm velim hîc ex ungve leonem æstimari, acqviescens judicio *Prosperi Alpini* l. IV. c. VIII. de Medic. Ægypt. *Apud Mahemetem*, inqvit, *Medicum Ægyptium vidi librum permagnum, &*

mirabilem, qvi à doctißimo Ægyptio, olim Sultani cujuspiam Ægypto imperantis mandato, [*qvi omnes Ægypti, Arabiæ, Æthiopiæq; locorum plantas obſervaverat*] *de omnibus illorum locorum plantis conſcriptus fuerat. Qvem ſi rectè latinitate donatum noſtri haberent, de multis medicamentis peregrinis lites omnes abſolverentur.* Neqve hoc tantùm nomine prædicanda Ægyptus eſt, qvòd germinum ſaluberrimorum abundaverit copiâ, ſed vel impenſiùs, qvòd ſapientes *incolæ*, ex *Strabonis* l. XVII. *regionis fertilitate rectè ſint uſi.* Ingenio opus, ut plantis utiliter, & copiosè fruamur, qvo nec deſtitutos fuiſſe Ægyptios vel unus *Mendeſius* ſuo exemplo docuerit. Diſertè *Columella* l. de R. R. XI. c. III. *Sed nihilominus*, inqvit, *ſpecularibus integi debebunt* [cucumeres] *ut etiam frigoribus, ſerenis diebus, tutò producantur ad ſolem. Hac ratione ferè toto anno Tiberio Cæſari cucumis præbebatur: nos autem leviore operâ iſtud fieri apud Ægyptiæ gentis Dolum Mendeſium legimus, qvi præcipit aprico, & ſtercoroſo loco alternis ordinibus ferulas, alternis rubos in hortis conſitas habere: deinde eas confecto æqvinoctio paululum infra terram ſecare, & ligneo ſtylo laxatis vel rubi, vel ferulæ medullis ſtercus immittere, atqve ita ſemina cucumeris inſerere, qvæ ſcilicet incremento ſuo coëant rubis, & ferulis. Nam ita non ſuâ, ſed qvaſi maternâ radice aluntur, ficq; inſitam ſtirpem frigoribus qvoqve cucumeris præbere fructum.* Sed & de Ægyptiis generatim *Palladius* Junio. c. IX. *Græci*, inqvit, *aſſerunt Ægyptios hoc modo proventum futuri cujusq; ſeminis experiri. Aream brevem loco ſubacto & humido nunc excolunt, & in eâ diviſis ſpatiis omnia frumenti, vel leguminum ſemina ſpargunt. Deinde in ortu canicula, qvi apud Romanos qvarto decimo Calendarum Auguſti die tenetur, explorant, qvæ ſemina ortum ſydus exurat, qvæ illæſa cuſtodiat. His abſtinent, illa procurant, qvia indicium noxæ, aut beneficii per annum futurum generi unicuiqve ſydus aridum præſenti exitio, vel ſalute præmiſit.* Et qvis dubitet *Democritum*, multum ſolertiæ illius ſuæ in culturâ ſtirpium Ægyptiis, qvibus tam diu vixit familiaris, debuiſſe. De illo autem *Columella* l. XI. c. III. *Democritus*, inqvit, *in eo libro, qvem georgicon appellavit, parùm prudenter cenſet eos facere, qvi hortis exſtruant munimenta; qvòd neqve*

latere

latere fabricata materies perennare posit, pluviis ac tempestatibus plerumq; infestata, neqve lapides supra rei dignitatem poscat impensa: si verò amplum modum sepire quis velit, patrimonio esse opus. Et postea: *Veteres quidem auctores, ut Democritus, præcipiunt semina omnia succo herbæ, qvæ sedum appellatur, medicare, eodemq; remedio adversus bestiolas uti, qvod verum esse nos experientia docuit.* Tandem: *Sed Democritus in eo libro, qvi Græcè inscribitur* περὶ ἀνιηπαθῶν, *affirmat has ipsas bestiolas enecari, si mulier, qvæ in menstruis est, solutis crinibus, & nudo pede unamqvamqve aream ter circumeat, post hoc enim decidere omnes vermiculos, & ita emori.* Si tamen is liber *Democriti* est.

V. Ex allatis non difficile erit judicium ferre de *Conringianâ* illâ opinione, qvam l. 1. c. XI. securè proponit. *Videntur*, inqvit, *in universum Ægyptii tribuisse herbis planè eximias & vim naturæ excedentes facultates, eventu indubiè interdum exspectationi respondente, ut ut sæpe fuerint frustrati. Ita medicamen illud, qvod suâ qvoqve ætate adhuc usurpare Diospolitanas Ægypti mulieres scribit Diodorus* l. I. c. XCVII, *olim verò Helena ex Ægypto acceperat,* νηπενθὲς & ἄχολον, *supernaturali qvadam egit facultate. Non enim à natura ulli rei ista vis indita est, qvam Helenæ pharmaco Homerus attribuit.*

Αὐτίκα ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον
Νηπενθὲς τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.
Ὃς τὸ καταβρόξειεν ἐπὴν κρητῆρι μιγείη
Οὐκ ἂν ἐφημέριος γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν
Οὐδ' εἰ οἱ κὰι πότνια μήτηρ τε πατήρ τε
Οὐδ' εἰ οἱ προπάροιθεν ἀδελφεὸν ἢ φίλον υἱὸν
Χαλκῷ δηϊόωεν, ὁ δ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῷτο.

Ab ejusmodi herbarum feracitate videtur mihi & Homerus Ægyptum laudavisse, non autem ab aliis medicis plantis. Qvamvis enim Homeri illo testimonio Theophrastus herbarum melioris generis fertilem laudet Ægyptum præ terris aliis, & frugiferum maximè sit Ægyptiorum solum, tamen medicamentorum verè naturalium copiâ non videtur olim abun-

dâsse Ægyptus, utpote qvum vel ex Dioscoride constet, ὅλως ἰατρικῶν minimâ sui parte ex Ægypto petitam esse. Ipsemet verò Theophrastus qvoq; testatur l. 6. de caus. plant. *inodora pleraqve nasci in Ægypto. Qvæ autem inodora sunt, illa etiam minus esse sapida solent: eoqve etiam minus valida ad medendum necessum est esse, qvoniam in sapidis & odoris vis medica potissimum hæreat. Et verò etiam hodie est eadem Ægyptiaci soli natura. Nec enim medicas plantas præter perpaucas nobis potuerunt narrare vel Prosper Alpinus, vel Joannes Veslingius, magnum illud Saxoniæ in Italis hodie decus, qvi præ aliis cum curâ in herbas Ægyptias inqvisivere. In eadem mecum sententiâ Homerum Plinius etiam accepit.*. Et mox: *Et verò idem Plinius qvoq; prodidit de herbis odore præstantibus, nominatim rosis & violis: in Ægypto sine odore hæc omnia, tantumq; myrtis odor præcipuus. Ut proinde falsum sit, qvod idem scribit.* l. 13. c. 4. *Terrarum omnium Ægyptus accommodatissima unguentis: abeâ Campaniâ est, copiâ rosæ. Nec enim rosam inodoram unguentis idoneam dixeris, qvalis tamen est Ægyptia.* Ut in fœcundissimo tritico lolium notatur, ita in laudatissimam alioqvin botanicen Ægyptiam superstitiosum qviddam progressu temporis irrepsisse mirum non est, caliginosis illis, & à veri Numinis cognitione alienis seculis, neqve ea tamen temporum obstitit miseria, qvò minùs multa & præclara, ad augendum Floræ decus, & humanam sanitatem procurandam adinvenerint innoxiè, & supra gentium hactenus omnium solertiam inqvirendo in naturam rerum gloriosè assurrexerint. Id, si exstarent hodie antiqvorum Ægyptiorum monimenta, oculis omnium evidentiùs obversaretur, nunc licet ex sparsis tantùm fragmentis judicium formemus, magnitudinem tamen Ægyptiam etiam jacentem non possumus non admirari. *Sed superstitio fœdavit AEgyptias plantas, medicinamq; adeo ipsorum universam!* Excludenda illa, amovendus cortex, ut ad nucleum perveniatur. Qvid qvòd & Persæ jam olim sub Rege Kajumarra, Noachi pronepote, vanissimæ superstitioni dediti fuere, docente *Petro Teixeirâ*; qvid qvòd Græci, Romaniqve ejusdem culpæ fuere affines? qvos non propterea rejicimus, sed libamus mella, permissis scriptori suis

acu-

aculeis. Et sanè facilè esset, ex *Dioscoride*, *Plinio*, *Aëtio*, *Tralliano*, *Marcello*, *aliis*, varias Græcorum, Latinorumqve superstitiones in medendo corradere, si operæ foret pretium, nunc cùm supervacuis attineri non libeat, missis illis, in dubio relinqvo utrúmne ipse *Galenus* noster, jam senior ad superstitiosas medicationes processerit. Qvia autem per me nihil velim detractum viro optimè de humano genere merito, pauca tantùm ex *Augerii Ferrerii*, eruditissimi Medici Galli l. II. meth. med. c. XI. advocabo: *Characteres*, inqvit, *& carmina primùm qvidem reprobavit Galenus, & pro anilibus deliramentis habuit. Verùm postea palinodiam cecinit in tractatu, qvem de Homericâ medicatione inscripsit. Qvi etsi temporum injuriâ interceptus est, tamen citatur ab Alexandro Tralliano, cum meritâ ac laudabili commendatione his ferè verbis: Honestum est*, inqvit, *morbum vincere, & omni machinâ ægris succurrere. Nam divinissimus Galenus, qvi ne esse qvidem carmina putavit, longo pòst tempore, multoq; usu plurimum ipsa posse deprehendit. Audi igitur verba ipsius, qvæ de Medicâ Homeri tractatione relinqvit. Habent se autem ea in hunc modum: Nonnulli igitur putant incantationes anicularum fabulis esse persimiles, qvemadmodum ego qvoqve diu existimavi. Temporis autem processu ab his, qvæ evidenter apparent, persvasus sum, vim in ipsis esse. Nam in percussis à scorpionibus adjumentum ex eis sum expertus. Nec minùs in ossibus gutturi infixis, qvæ carmine statim exspuebantur. Hæc Trallianus verba Galeni referens.* Qvæ an agant vi pacti primi, secundive, an animi firmiter persvasi fiduciâ, an modo alio, hîc non est disqvirendi locus; adducta tantùm illa sunt, ut vitium hoc superstitionis non unius nationis Ægyptiæ agnoscatur, sed aliarum qvoqve politiorum gentium, etiam post accensam ab adventu Salvatoris nostri clarissimam lucem. Qvid multis? vix est hodieqve in meliori orbe provincia, qvâ non similibus ineptiis deditum vulgus conspiciatur. Neqve id tamen impedit, qvo minùs multa alia egregia ibidem reperiantur.

Qvid si & Sacerdotes Ægyptii, qvos sapientissimos gentis fuisse constat, & Medicinæ consultos, plebi illam permiserint superstitio-

ſtitionem, ipſi præclariùs de naturâ rerum ſentientes? Qvin Sacerdotes illi [qvi, ſi *Iſocrati* in laud. Buſir. credimus ἰατρικὴν ἐξεῦρον ἀπιχαρείαν] herbas qvandoqve ad medendum advocaverint, dubitare ne qvidem *Galenus* permittit, ut qvi ex templo Vulcani Memphitico, illâ Sacerdotum Phariorum palæſtra l. v. de compoſ. Med. per gen. c. 1. non tantùm Iſidis, ſeu Hermonis ſacri ſcribæ pharmacum adfert ex ariſtolochiâ rotundâ, ſed & emplaſtrum ſacrum, dictamno ingrediente commendatum; qvis tamen liqvidò aſſeverabit eos illam medicandi ſuperſtitionem invexiſſe, aut plantis per vanitatem Magicam abuſos? Certè ſi *Heliodorum* in Æthiop. l. III. audimus, *nec herbis illi intabuerunt, nec* φαρμάκοις. Inducitur enim ibi Sacerdos Ægyptius in hanc ſententiam loqvens: *Qvi Ægyptiorum ſapientiam*, inqvit, *unam & eandem eſſe exiſtimant, haud rectè judicant. Eſt enim qvædam vulgata, & ut ita dicam, humi ſerpens, qvæ ſimulacrorum miniſtra eſt, & circa mortuorum corpora volutatur, herbis intabeſcens, & incantationibus dedita, neqve ad ullum bonum finem perveniens, neqve hos, qvi illâ utuntur, perducens,* &c. *Altera verò, fili, qvæ revera ſapientia eſt, & à qvâ adulterina illa degeneravit, qvam nos Sacerdotes, & antiſtitum genus ab ineunte ætate excolimus, ſupràres cœleſtes contemplatur, Deorum convictrix, & naturæ præſtantioris particeps, aſtrorum motus inqvirens, & futurorum præſcientiam in lucro ponens, ab his qvidem terrenis malis remota, omnia verò ad honeſtatem & utilitatem hominum inſtituens.* Qvicqvid tamen horum fuerit, in plantas à Sacerdotibus Ægyptiis ſuperſtitioſi aliqvid irrepſiſſe nullo hactenus argumento ſatis compertum.

Nepenthes & ἄχολον Dioſpolitanarum, Helenæqve ſupernaturali qvadam egiſſe facultate qvis credat nudâ auctoritate ſuâ firmanti Conringio? *nulli rei inditam à naturâ vim iſtam* ſubjicere, non eſt utiqve demonſtrare, ſed fulcire opinionem ſuam merâ petione principii. Non memorabo narratorem *Homerum*, qvandoq; rem in majus extollere, ut qvi, cùm ſummam velocitatem pullorum eqvinorum Erichthonii Regis Iliad. v. deſcribere parat, aſſerat eosdem ipſis ſegetum ariſtis, ipſi fluctuum marinorum dorſo

dorſo impune inſultaturos, ſed nihil adeo deflexiſſe hic à vero Poetam credibile eſt, ſalvâ enim naturæ majeſtate id præſtiterit ſi non *opium* curiosè præparatum, certè *datura*, qvod à *nepenthe* exſpectat *Homerus*. In Ægypto autem papaver illud nigrum, [unde laudatiſſimum opium] hodieqve lætiſſimè ſuccreſcere auctor eſt *Proſper Alpinus* de Med. Ægypt. l. IV, c. II. *Hunc ſuccum* [opium] *qvo omnes utuntur*, inqvit, *ex locis Sajeth, ubi olim Thebarum* [Ægyptiarum] *urbs erat præclariſſima, deferunt; ibi etenim nigra papavera copioſiſſimè proveniunt, cæteriſq; omnibus facultate præſtant, ex qvorum capitibus ſuccum exprimunt, qvem ſole ſiccant, atqve ad uſum ſervant.* Illud ipſum opium Thebaicum *Galeno* l. I, de Antidot. laudatur, ut omnium potentiſſimum; qvod fortaſſis longâ experientiâ edoctæ Dioſpolitanæ matres rectiùs etiam temperare didicerant hodiernis pharmacopœis. Qvin hodieqvè Turcæ opio ſuo utcunqve ruditer ſatis præparato ſatiati, ruunt in hoſtem cœco impetu, omnium malorum immemores, qvod rerum Byzantinarum hodie gnaris compertiſſimum eſt. *Daturam* autem, qvam *ſolanum maniacum Theophraſti* docti faciunt, Ægyptiam plantam eſſe agnoſcit *Veslingius* Obſerv. in Proſp. Alpinum; eandemqve hodie vulgò ibidem *daturam* tradit appellari. Qvid autem præſtet hodieqve *datura*, ſive *dutroa* in Oriente, recognoſcat, ſi vacat, *Conringius*, ex Navig. *Hug, Linſcotani* c. LXI. *Herbæ hujus uſus*, inqvit, *Luſitanorum, ac Indorum mulieribus* [cur non & Ægyptiis? ubi itidem naſcitur,] *freqvens eſt, qvam maritis ignaris propinant, ut ſecurè adultero copiam nefandæ libidinis faciant. Ita marito præſente, ac apertis ſpectante oculis, verùm fatuo riſu in mentis abalienationem conjecto, communi proverbio horrenda illa cornua inſtruunt, qvibus conjugem proſtituto geniali toro infamant.* Etc. XXXI. *Ex ſemine Dutroæ* [ſive daturæ] *herbæ ſuccum educunt fœminæ, qvem deinde potui miſcent, maritisq; propinant. Illi velut emotæ mentis homines in riſum ſolvuntur, ſine apprehenſione ullius rei; aut ſomno occupantur veluti animæ expertes. Tum paratâ ſecuritate libidinis, præſente marito, eoq; tamen non recognoſcente, conjugem amator dedolat. Durat aliqvando potionis hujus*

vis per viginti qvatuor horas. Ablutis autem frigidâ pedibus prisci sensus redeunt, nullâ tamen actarum rerum tempore illo potionis memoriâ. Nihil ergo attribuit *Homerus* Helenæ pharmaco, qvod non plenissimè in potione *daturæ*, & illâ vi naturali agente deprehendatur. Expertusqve est jam ante sexennium amplisſ. Præses noſter Urbanus P. Bullichius, mirificam illam seminis *daturæ* vim in puellâ qvadam Hafnienſi, non sine insigni Regis Auguſt. inſpectantis oblectatione. Alienatio illa mentis durat secundum *Homerum*, & *Linſcotanum*, ad diem unum plerumqve, idem in Ægyptio illo pharmaco obſervavit *Ælianus* de Nat. Animal. l. IV. c. XLI. Sed de *moly Homerico* qvid cenſendum? *Conringius* more ſuo, l. I. c. XI. *Neqve verò ipſum moly*, inqvit, *adeo laudatum adverſus magica veneficia, aliâ qvàm magicâ vi polluit.* Probandum tamen id *Conringio* fuerat, non dictatoris more pronunciandum. Poſſe & plantas cum fructu, atqve legitimè opponi morbis per incantationem illatis jam diu experti ſunt ſapientes Medici. Nonnullos juvat veratri nigri crebrior uſus, alios hypericon, qvosdam etiam viſcum colurnum, de qvo plenius *Carrichterus*, & poſt eum elegantiſſimi ingenii *Henricus ab Heer*, Obſerv. VIII. Neq; in hoc germine aliud apud *Homerum* videtur ſuperſtitionem ſpirare, qvàm qvòd ſit χαλεπὴν ὀρύσσειν ἀνδράσι θνητοῖσι, qvo tamen fortaſſe intellexerit, plantam illam fuiſſe inventu difficilem, ut ſunt ſanè plantæ qvædam raræ, qvod de *lycoperſico* Galeni conſtat; & qvàm viſcum colurnum inventu fuerit difficile docet idem *Henricus ab Heer*, aſſerens non niſi poſt centeſimum annum in corylo inveniri. Qviçqvid horum fuerit, qvis in Poëtâ, & illo pagano non toleret ſuperſtitioſam aliqvam cerimoniam, dum res, qvam deſcribit, agat naturaliter? Sed ut ad *daturam* redeam, dum gloriatur in *Apolog.* ſuâ *Conringius*, *ſe qvàm plura ſcire pharmaca ejusmodi ipſi fortaſſis incognita Borrichio*, licet, qvæ ſciat in hoc genere *Borrichius*, ignoret planiſſimè, rectiùs forſan & gloriæ ſuæ & publico conſuluiſſet, ſi Eleuſinia illa myſteria expoſuiſſet oculis omnium, qvàm qvòd nunc in citatione *ſeptem* illorum Homericorum verſuum, *ſeptem* errores ſuos luci publicæ exponat, qvod, ſi

confe-

conferatur *Homerus* ipſe cum *Conringio*, non poteſt non eſſe manifeſtiſſimum. Utqve cætera condonentur, qvis ferat, nè primum qvidem verſum *Homeri*, ut à *Conringio* legitur, ſcanſilem eſſe, qvartum autem ſeptem pedibus decurrere, cùm ſex duntaxat pedibus epos ſuum concluſerit *Homerus*? Tantum poteſt nimia ſui fiducia.

Ex ſuperioribus demum conſeqvitur, *Homerum* non collaudâſſe Ægyptum à Magicis plantis, ſed ab iis, qvæ vi naturali efficaciſſimè operantur. Non abundâſſe autem olim Ægyptum medicamentis verè naturalibus minùs rectè opinatur *Conringius*, cùm vel ex ante productis in medium omnia contraria diſpaleſcant; cùm ex *Proſpero Alpino*, *Bellonio*, *Veslingio*, & hodiernis peregrinatoribus longo ordine eadem, ſi res opem poſceret, recenſeri poſſent, diffuſeqve oſtendi Ægyptus, adhuc eſſe poſſe ſecundum illud *Lucani:*

Terra ſuis contenta bonis — —

At, obduces, ὕλῃ ἰατρικῇ *minimâ ſui parte ex Ægypto petitam.* Cæterùm ſuffecit Ægyptiis ſua ὕλη ἰατρικὴ, qvâ uſi feliciſſimè medicati ſunt, ut ex *Herodoto*, *Diodoro*, *Iſocrate*, aliisqve conſtat. Qvid ad illos, ſi Græci aliunde etiam pharmaca conqviſierint? ſi ὕλῃ ἰατρικῇ ultra neceſſitatem extenderint? Non omnis fert omnia tellus. Accedit qvòd plures Ægyptiorum arbores non ferrent alienam tellurem. Loqvatur *Theophraſtus* l. IV. c. II. *Sunt &*, inqvit, *pleraq; in Ægypto arbores, ut morus, & perſea dicta, & glans, & ſpina, & aliæ qvædam, qvæ peregrinari omnino neqveunt*; ideoq; neceſſe erat Græcis, ſi qvidem recentium germinum ſollicitarent opem, ſuas hoc nomine, vicinasqve alias ſcrutari regiones. Aromatis qvidem odoratioribus non abundavit Ægyptus, ſed ex vicinâ Arabiâ ad ſatiem ſubminiſtrabantur: & illa forſan magis ad decus, qvàm neceſſitatem artis Medicæ inde conqviſita. Scripſerit Theophraſtus, *inodora pleraqve naſci in Ægypto*, intelligendus tamen potiſſimum erit de floribus coronariis, ut clariſſimè locus ipſe inſpectus manifeſtat, eademq; mens *Plinio* eſt, cùm tradit l. XXI. c. XI. *In Ægyp-*

to sine odore hæc omnia, tantumq. myrtis odor præcipuus. Utqve fortasse verax fuerit *Plinius* de rosis & violis, de liliis tamen, qvæ etiam recenset, liberaliùs justo locutum constat. Prudentiùs Theophrastus *pleraqve* dixit, qvàm Plinius, *omnia. Theophrastus* l. VI. hist. plant. c. VII. tradit *myrtum in Ægypto admirabili odoris suavitate oblectare*, non diffitente *Plinio. Dioscorides* autem l. I. c. LXII. tradit *oleum Susinum* [seu liliaceum] *qvod in Phœnice, & Ægypto paratur, optimum esse, ut lilia redolens.* Et qvis sustineat scribere omnia in Ægypto inodora esse? cùm & vinum Ægyptium, ex *Athenæo*, odoratum sit, atqve sine adulterio redoleat aromata; cùm myrti, cùm lilia ibidem excellenti odore invitent; cùm cypri flos in Ægypto sit odoratus ex *Plinii* l. XII. c. XXIV. cùm oleum cyprinum ex glande Ægyptiâ confectum odoris causâ expetatur, docente *Plinio* l. XV. c. VII. cùm etiam lauri Alexandrinæ radicem odoratam agnoscat *Dioscorides* l. IV. c. CXLVII, cùm sampsuchum Ægyptium vehementer fragrare non inficietur *idem* l. III. c. XLVII. Ut de balsamo Ægyptio, suffimento Cyphios Ægyptio, calamo aromatico Ægyptio, maro Ægyptio, aliis, nihil nunc adjiciam, contentus oculati testis *Prosperi Alpini* l. de Plant. Ægypt. c. II. testimonium subjecisse: *Cassiæ fistulæ flores*, inqvit, *valde odorati sunt, præsertim oriente sole. Ægyptii diluculo per cassiarum loca deambulare sæpius odoris causâ consveverunt: qvippe aurâ à cassiis eximium ac gratissimum odorem spirantibus, ad ipsos delatâ oblectantur. Apud illos enim ob florentes arbores aër matutinus perpetuò eximium, ac suaviorem odorem redolet. Bellonio* in Ægypto non tantùm spectatæ nascentes *cappares, ceratia, convolvuli succo lacteo, harmala, Kali, musæ, poma aurea, citria, limonia, punica, amoris, rhamni, terebinthi, tamarisci, tithymalli, tamarindi, saccharifera arundines*, sed & *jasminum* flavum odoratissimum. Ut propterea non improvidè scripserit *Plinius* l. XIII. c. III. *Terrarum omnium accommodatissimam esse ungventis Ægyptum*; sunt enim plura alia ungventa & grata & salubria, utcunqve rosa Ægyptia, fortassis ibidem odore destituta ea non ingrediatur. Certè & *Theophrastus* l. de odorib. *Ungventa Ægyptiorum diutissimè perdurare* animad-

madvertit. Ubi advertendum etiam multa per ſe eſſe ferè inodora, ſed adjecta rebus aliis earundem odorem nobilitare, qvod & *Theophraſtus* l. de odoribus probè obſervavit. *Glandis Ægyptiæ*, inqvit, *ungventum non ſanè nimium odoris efflat, admiſta tamen aliorum addit bonitati.* Qvod & nos in ambrâ, aliisqve fieri experimur. Qvin & excelluiſſe in Ægypto ungventa ob Arſinoës, Berenicesqve ſtudium docuit nos *Athenæus*. Et *Lucianus* cùm Niliacorum meminit ſalſamentorum, laudat ungventa Canopica. Minùs adhuc probandum eſt illud *Conringii*: *Qvæ inodora ſunt, illa etiam minùs ſapida eſſe ſolent: eoq; minùs valida ad medendum neceſſe eſt eſſe, qvoniam in ſapidis, & odoris vis Medica potißimùm hæreat.* At inodora eſt gentiana, rhabarbarum, colocynthis, curcuma, pleræq; radices, pleraqve ſemina, nitrum, infinita alia, qvæ non ideo deſinunt eſſe vel ſapida, vel in medendo efficacia. Qvin & multa ſunt nec odora, nec ſapida, & viribus tamen efficaciſſima, ut varia metallica, mercurialia, lapides pretioſi, margaritæ, immò & purgantium, emeticorumq; vegetabilium nonnulla. *Non potuiſſe autem vel Alpinum, vel Veslingium narrare plantas Ægyptias præter perpaucas* fruſtra ſcribit *Conringius*, enimvero ſic ſatis multas, ut legenti obvium eſt, poſteritati reliqverunt, nec inſtituti eorundem fuit omnes deſcribere, ſed rariores duntaxat, & Cairo, ubi potiſſimum commorabantur, viciniores; neqve etiam usqvam profeſſi ſunt ſe omnes totius Ægypti plantas medicas enarraturos. Qvid qvòd multæ illarum, qvas ex antiqvis ſcriptoribus Ægypto deberi ſuperiùs oſtendi, nè ab illis qvidem delineatæ ſint. Ubi in *Alpino Veslingióve* deſcriptum occurrit vel *abſinthium marinum* Ægyptium vel *acacalis*, vel *aniſum*, vel *aris*, vel *bryonia*, vel *buphthalmum*, vel *chamædaphne*, vel *chamæmelum*, vel *cichoreum*, vel *clematis*, vel *colocynthis*, vel *cuminum*, vel *ladani* planta, vel *laurus Alexandrina*, vel *morus*, vel *myoſotis*, vel *myrtus*, vel *perſea*, vel *perſoluta*, vel *punica mala?* hæc autem omnia & medica germina eſſe, & in Ægypto jam olim viguiſſe experimenti tantùm gratiâ ex ſcriptoribus antiqvis jam ante demonſtratum. Similiter *Alpinus*, & *Veslingius* plu-

rimas recensuere Ægypti plantas, de qvibus altum jam est apud antiqvos omnes silentium; & *Kirckerus* non paucas. Qvod si *Mahemetis* illius Ægyptii Medici, de qvo superiùs differentem vidimus *Alpinum*, scriptum botanicum, qvo omnes complexus erat Ægypti stirpes, luce publicâ donaretur, jam adhuc Floræ Ægyptiæ opes disertiùs prædicaremus; sed vel ex adductis constare potest abundare plantis medicis Ægyptum, nec in eo sibi excidisse *Plinium*, cùm ex Homero docuerit: *Gloriam herbarum Ægypto tribuendam.*

Cap. V.

I. Animalium infinitis prope speciebus abundâsse Ægyptum. II. Prædicandam esse mirabilem illam Ægyptiorum solertiam in mansvefaciendis ad usum humanum animalibus. Eandem in mumiis Ægyptiacis patere. III. Ægyptios animalia, eorumqve partes ad medendum providè advocâsse. IV. Anatomen ab Ægyptiis seriò excultam: eamqve institutam fuisse ad scrutandas in corporibus mortuorum causas ægritudinum. Phthisin cordi adhærere non creditum Ægyptiis, sed phthiriasin, eoqve corruptum Plinii locum emendandum. Qvin & historiam ossium humanorum nusqvam rectiùs, qvàm in Ægypto traditam ævo Galeni.

I. In-

I. INtueri porrò libet, utrúmne Ægyptii veteres, ex animalium genere varia ad usus salutares, & deniqve ad medendum corpori humano sapienter, & sine magicâ vanitate advocaverint. Exundasse Ægyptum infinitis prope animalium speciebus nemo fortassis postulabit, ut demonstremus. Plena iis antiqvorum, & recentiorum monumenta. Ex multis prodeat oculatus testis *Strabo* l. XVII. *Pisces*, inqvit, *in Nilo permulti sunt ac diversi, qvi propriam qvandam & regioni convenientem formam habent: sed, maximè noti sunt oxyrynchus, & lepidotus, & lates, & alabes, & coracinus, & porcus, & phagrorius, qvem etiam phagrum vocant. Item silurus, & citharus, & thrissa, & mugil, ostreacea, dilychnus, physa, bos: item cochleæ ingentes, qvæ vocem ululatui similem edunt. Animalia qvoqve sua habet, ichneumonem, & Ægyptiam aspidem, qvæ proprium qviddam habet, præter alias aliorum locorum: ea duplex est, altera dodrantalis, qvæ celeriùs interficit, altera ulnæ fere longitudine, ut & Nicander ait, qvi de serpentibus scripsit. Ex avibus & ibis, & accipiter Ægyptius, qvi mansvetior est iis, qvi alibi sunt, qvemadmodum & felis. Habent & corvum nocturnum peculiarem, nam apud nos aqvilæ magnitudine est, & grave canit: in Ægypto verò graculi magnitudine voce diversâ. Mansvetissima est ibis, magnitudine & figurâ ciconiæ persimilis: color duo genera facit: nam alterum totum est nigrum, alterum ciconiæ simile. Alexandriæ nullum non trivium eis plenum est, partim utiliter, partim inutilter. Utiliter, qvatenus omnes serpentes, & omnes macelli, & fororum obsoniorum sordes colligit: inutiliter verò, qvia omnivora & immunda est, nec facilè à mundorum & alienorum contaminatione prohiberi potest.* Laudantur *Clementi Alexandrino* Pædag. l. II. attagenes Ægyptii, ut saporis delicatissimi; columbæ Ægyptiæ singulis annis pariunt duodecies, qvod & *Aristoteli* observatum, Hist. animal. l. VI. c. IV. *Bellonio* conspecti in Ægypto *bubali, cameli, arietes promissis caudis, oryges, hyænæ, ichnevmones, vulpanseres, capræ* ad stuporem auritæ; inter pisces *canthari, lupi, umbræ, synodontides, mugiles, rajæ, sqvatinæ, canicolæ, linæ, orbes, glanes;* inter aves *coturnices, hierates, onocrotali, accipitres, milvi, ardeæ stellares, crex;* ex serpentum, phalangiorùm-

rumqve genere *ceraſtæ*, *ſtelliones*, *viperæ*, *chamæleontes*, *tarantulæ*. *Ælianus* in Hiſtor. Animal. tradit in Ægypto vivere *charadrios*, *aſpides*, *cornices*, *corvos*, *hæmorrhoas*, *oryges*, *pagros*, *phyſas*, *ſcorpios*, etiam alatos, & duplici aculeo formidandos, *trochilos*, *cladarorynchos*, *vultures*. De piſcibus Ægyptiorum, eorundemqve fœturâ, qvædam curiosè attigit in Euterpe *Herodotus*. Mira qvondam hirundinum Ægyptiarum ſolertia fuit, ſi fidem debemus *Plinio* l. x. c. xxxiii. *In Ægypti Heracleotico oſtio*, inqvit, *hirundines molem continuatione nidorum evaganti Nilo inexpugnabilem opponunt ſtadii ferè unius ſpatio: qvod humano opere perfici non poſſet. In eadem Ægypto juxta oppidum Copton inſula eſt ſacra Iſidi, qvam nè laceret amnis idem, muniunt opere, incipientibus vernis diebus paleâ, & ſtramento roſtrum ejus firmantes, continuatis per triduum noctibus tanto labore, ut multas in opere emori conſtet: ea militia illis cum anno redit ſemper.*

II. Sed his in medio relictis, commendanda meritò manſvetariorum Ægyptiorum induſtria in cicurandis beſtiis, etiam ferocibus, de qvâ ita *Ariſtoteles* Hiſt. Animal. l. ix. c. i. *Qvod ſi*, inqvit, *cibi copia ſuppetat, haud ſcio anne animalia, qvæ nunc metuunt, & ferociunt, inter ſe eant, manſvetéq; cùm inter ſe eunt, cum homine etiam agant. Manifeſtum hoc facit diligentia, & cura, qvam Ægyptii animantibus impendunt. Qvia enim apud ipſos cibo non carent, ſed copiosè nutriuntur, vivunt invicem pacificè etiam efferatiſſimæ beſtiæ, manſveſcunt q; ob ſuum commodum; qvemadmodum locis qvibusdam crocodilinum genus manſvetum ſacerdoti ſe exhibet, propter curam nutrimenti.* Διὰ γὰρ ὠφελείας, inqvit, ἡμερῶσι, οἷον ἐπιχῶρὶ τὸ τῶν κροκοδείλων γένος ποιοῦσι τὸν ἱερέα διὰ τὴν ἐπιμέλειαν τῆς τροφῆς. Qvò autem uſqve crocodilum manſvefaciant, oſtenderit illud *Herodoti* in Euterpe: *Circa Thebas*, inqvit, *& Mœrios ſtagnum unum ex crocodilis alunt cicurem, & edoctum manu tractari, appendentes ejus auribus vel gemmas, vel fuſiles ex auro inaures, & primoribus pedibus catenam innectentes.* &c. Et *Plutarchus* l. de ſolertiâ Animal: *Crocodili*, inqvit, *ſacerdotum non modò vocem agnoſcunt vocantium, ſeq; contrectari ſinunt: ſed etiam rictu diducto dentes manibus purgandos, & linteo tergendos præbent.*

Ita

Ita *ibidem* cicurem reddunt ad purgamenta macellorum devoranda, ut ex Strabone didicimus: Ita *ichnevmones* in morem canum Alexandriæ cicurari docet *Bellonius* Obſerv. l. II. c. XXII. Viditq; *hyænam odoriferam* adeo manſvetam Alexandriæ, qvemadmodum c. XX. teſtatur, *ut cum hominibus colludens, naſum illis, aures & labra ſine noxâ morſu prehenderet.* Sed qvid de aſpide? etiámne manſvetariis Ægyptiis parere didicit tam venenata beſtia? de veneno primùm ejus ita *Galenus* l. de Theriacâ ad Piſonem. *At in magnâ*, inqvit, *Alexandriâ ſubinde ſum contemplatus, qvàm celeriter perimerent aſpides. Cùm enim aliqvem hac pœnâ lege damnatum humaniter, citoq; volunt occidere, adjicientes ipſius pectori feram, jubentesq; paululum obambulare, ita ſine morâ hominem tollunt è medio.* Sed qvid prohibet hîc Ægyptiæ qvoqve Reginæ curioſitatem in ipſo propemodum mortis articulo contemplari? Cleopatra illa erat, qvæ victo jam Antonio mori certa *Alexandriæ* [ut eſt apud *Plutarchum* in M. Antonio] *varia collegit genera venenorum lethalium, qvorum ſingula, ut periclitaretur, qvod minimum doloris ſenſum inferret, obtulit rerum capitalium cuſtodiis. Ut animadvertit, qvæ lethum repræſentarent, ea mortem cum dolore maturare, leniora defici celeritate, tranſiit ad experiendum beſtias. Aſpiciebat cùm alia aliis admoveretur. Tractabat id qvotidie, atqve in omnibus pæne unicum invenit aſpidis morſum citra contractionem membrorum, vel gemitum, gravem ſoporem & torporem inducere, cum faciei molli ſudore & ſenſuum ſtupore facilè elangveſcentium, & ægrè ferentium* [*ſicut, qvi ſomno merſi alto ſunt*] *ſe expergefieri & excitari.* Verùm enimvero & aſpides in Ægypto ita ſubinde manſveſcunt, ut cum infantibus pacificè viventes nihil illis detrimenti afferant, ſi verus eſt *Phylarchus* apud *Ælianum* de Animal l. XVII. c. V. Siluri, ex *Æliani* de Animal. l. XII. c. XXIX. in ſtagno qvodam Ægyptio aluntur cicures, objectoqve adſe nutriendos pane certatim ſubſultant.

Neqve tantùm docet *Ælianus* l. de Natur. Animal. IV. c. XLIV. *ichnevmones, crocodilos*, & *accipitres* in Ægypto blanditiis ita ciborum capi, cicurariqve, ut poſt ſemper manſvetiſſimi perdurent,

sed & l. VI. c. X. *Regnantibus Ptolemæis*, inqvit, *cynocephalos Ægyptii literas, & saltare, & tibiam inflare, ac pulsare citharam docuerunt.* Mitto *asteriam* avem, qvam facilè humanis moribus assvefaciunt Ægyptii, ex eodem *Ælian o*; mitto ingeniosam, felicemqve Tentyritarum in eadem Ægypto audaciam, de qvâ *Ælianus* de nat. Animal. l. X. c. XXIV. *Tentyritæ Ægyptii*, inqvit, *qvâ parte comprehensibilis & expugnabilis sit crocodilus, præclarè intelligunt. Etenim ejus oculos, qvod sint hebetes, planè sciunt opportunos esse ad vulnus accipiendum, atqve etiam ejusdem axillas, & ventrem commodè feriri posse. Igitur comprehendere eos soliti, tam studiosè iis infesto animo sunt, ut illic fluvius à crocodilis conqviescat.* Qvæ sagax notitia eò tandem, prope dixerim, temeritatis provexit Tentyritas, ut auctore *Plinio* l. VIII. c. XXV. *flumini innatent, dorsoq; [crocodilorum] eqvitantium modo impositi, hiantibus resupino capite ad morsum additâ in os clavâ, dextrâ ac lævâ tenentes extrema ejus, utrinqve ut frænis in terram agant captivos: ac voce etiam solâ territos cogant evomere recentia corpora ad sepulturam.* Fortassis qvædam hîc *Plinian a* majora sunt vero. Pæne tamen similia Romæ inter spectacula contigisse, advectis crocodilis viventibus, fatetur *Strabo* l. XVII. Id fateor, vidisse me in Italiâ nonnullos ita audacter manibus nudis tractâsse vivos serpentes, scorpionesqve etiam aculeis suis instructos, ut nostræ ancillæ lucios, aut percas. Certè neqve *occatio* Ægyptiorum ingeniosa, & simul impensis ferè vacua, neqve *pullities* eorundem, sagacitatem nationis, non magicen spirans, prætereunda hîc nobis. Occatores autem porcellos fecere jam olim Ægyptii; namq; super jactum jam in terram semen egere suum gregem, aliàs sibi magnopere fastiditum, qvi proterendo, conculcandoqve & glebas comminuit, & semen telluri ita altè impressit, ut ab insidiantibus avibus nesciret postea evelli, qvod *Herodotus* in Euterpe, & apud *Ælianum* de Nat. Animal. l. X. c. XVI. docuit *Eudoxus*. De pullitie *Diodorus* l. II. *Qvi aves*, inqvit, *& anseres nutriunt, præter earum, qvæ apud alios homines habentur, procreandi naturam, adeo illis indulgent, ut in numerum avium dictu mirabilem abeant. Non enim ovis incubant aves, sed ipsi*

Ægyp-

Ægyptii ingenio, & naturali arte ex ovis præter cæterorum consvetudinem educunt fœtus. Sed de re jam notissimâ nihil hîc ego ampliùs, contentus adjecisse, Ægyptiorum solertiam non in vivis duntaxat animalibus ad usum convenientem traducendis eluxisse, sed & in mortuis, si qva ratio svadebat, conservandis; qvod ut ex tot mumiis hodieqve superstitibus liqvidò constat, ita & in aliis qvoq; animantibus non dissimilia tentâsse fidem fecerit vel illud *Plinii* l. VII. c. III. ubi postqvam docuisset ex *Trogo* septenos aliqvando infantes in Ægypto uno simul utero gigni, subjicit: *Claudius Cæsar scribit Hippocentaurum in Thessaliâ natum eodem die interiisse: & nos principatu ejus allatum illi ex Ægypto in melle vidimus.* Ita ego duos infantes cyclopes Parisiis vidi jam ultra viginti qvatuor annos in spiritu terebinthinæ conservatos apud Dn. *Tamponette.* Sed de humanis Ægyptiorum mumiis illud curiosum, qvòd non solùm mensis nepotum epulantium apponerentur, ex *Cicerone, Mela, Luciano, Stlio*, sed & qvandoqve oppigneratæ suos ab infamiâ, & ære alieno liberarent, docente *Herodoto*, aliisq; Sub lingvis mumiarum aureas laminas invenit *Titus Livius Burrattinus;* in capitibus redimicula aurea, in digitis manuum, pedumqve inauratos ungves Vir illustris, Dn. *Henricus Rantzovius* nostras, oculatus mausoleorum Ægyptiorum testis deprehendit.

III. Reliqvum est, ut paucis contemplemur, anne providè usi sint animalibus Ægyptii ad medendum. Sanè, nihil videtur industria gens etiam hac parte omisisse, neqve difficulter inducor ad credendum, optima qvæqve Græcorum ex animalibus pharmaca emanâsse ex fonte hoc, sed injuriâ temporum periere libri, qvi id disertiùs faterentur. Interea, qvæ ex illo naufragio enatavere, vestigia illius veritatis sic satis produnt. Hîc nè qvis inventa Magica esse obtendat, agnoscunt initiò Ægyptii qvibus Magistris usi sint. Clysterum usum didicere, præmonstrante ibide, venæ sectionis utilitatem, præeunte hippopotamo, vomitionum, purgationumqve fructum, manifestante cane. Ita Plinius l. VIII. c. XXVI. & XXVII. *Hippopotamus*, inqvit, *in qvadam medendi parte etiam Ma-*

giſter exſtitit. Aſſiduâ namq́; ſatietate obeſus exit in littus recentes harundinum cæſuras ſpeculatum: atqve ubi acutiſſimam vidit ſtirpem, imprimens corpus, venam qvandam in crure vulnerat, atqve ita profluvio ſangvinis morbidum aliàs corpus exonerat, & plagam limo rurſus obducit. Simile qviddam & volucris in eadem Ægypto monſtravit, qvæ vocatur ibis: roſtri aduncitate per eam partem ſe perluens, qvâ reddi ciborum onera maximè ſalubre eſt. Ælianus l. v. de Animal. Nat. c. XLVI. *Canibus herbam natura oſtendit, qvâ ſuis vulneribus medeantur. Iidem, ſi lumbricis vexentur, ſegetem herbeſcentem depaſti eos excernunt. Qvum autem alterutrum ventrem exhaurire habent neceſſe, dicuntur herbam qvandam comedere, cujus vi partim evomendo, partim dejiciendâ alvo, qvicqvid in iis redundat, ejiciunt. Unde Ægyptios etiam ſyrmaiſmum, qvo utrumq́; ventrem expurgant, didiciſſe ferunt.* Ἐντεῦθεν καὶ τὸ συρμαΐζειν Αἰγυπτίους λέγουσι μαθεῖν. Sed & animalia ipſa, ipſorumqve partes in medicamenta apud Ægyptios commigrâſſe docet *aſyracus, cantharides, crocodilus, hippopotamus, ſcincus. Galenus* de ſimpl. med. facult. l. XI. c. XLVI. *Referunt autem*, inqvit, *& in Ægypti regionibus arefactum aſyracum, qvem vocant*, [beſtiolæ id nomen] *exhiberi iis, qvi à ſcorpio percuſſi ſunt. Plinius* l. XXIX. c. IV. *Coſinum eqvitem Romanum, amicitiâ Neronis Principis notum, cùm is lichene correptus eſſet, vocatus ex Ægypto Medicus ob hanc valetudinem ejus à Cæſare, cùm cantharidum potum præparare voluiſſet, interemit. Verùm illitas prodeſſe non dubium eſt.* Neqve temeritas ejus Medici effecerit, ut non ſæpe cum fructu alii uſurpent, & jam tum uſurpaverint. Narrat & idem *Plinius* l. XXVIII. c. VIII. Ægyptios conſveviſſe adipe crocodili ægros ſuos perungere. De crocodilo terreſtri minori ita ibidem: *Inteſtina ejus diligenter exqvirunt jucundo nidore farcta: crocodileam vocant, oculorum vitiis utiliſſimam, cum porri ſucco inunctis, & contra ſuffuſiones vel caligines: illita qvoqve ex oleo cyprino moleſtias in facie enaſcentes tollit: ex aqvâ verò morbos omnes, qvorum natura ſerpit in facie, nitoremq́; reddit, lentigines tollit ac varos, omnesq́; maculas. Et contra comitiales morbo bibitur, ex aceto mulſo binis obolis: appoſita ciet menſes.* Et mox: *Felle*

inuns

inunctis oculis ex melle contra suffusiones, nihil utilius prædicant, Intestinis & reliqvo corpore ejus suffiri vulvâ laborantes salutare tradunt: item velleribus circumdari vapore ejus infectis. Corii utriusqve [crocodili] *cinis ex aceto illitus his partibus, qvas secari opus sit, aut nidor cremati sensum omnem scalpelli aufert. Sangvis utriusq; claritatem visus inunctis donat, & cicatrices oculorum emendat. Corpus ipsum excepto capite, pedibusq; elixum manditur ischiadicis: tussimq; veterem sanat, præcipuè in pueris, item lumborum dolores. Habent & adipem, qvo tactus pilus defluit: hic perunctos à crocodilis tuetur, instillaturq; morsibus. Cor annexum in lanâ ovis nigræ, cui nullus alius color incursaverit, & primo partu genitæ qvartanas abigere dicitur.* Vel ex hoc *Plinii* loco constiterit Ægyptios usum salium lixivorum perspectum habuisse, id enim qvod corii crocodilini cineres hîc præstant, sali eorundem lixivo debetur, sc. *partibus, qvas secari opus sit, sensum omnem scalpelli auferunt.* De Hippopotamo Ægyptio *Plinius* l. XXVIII. c. VIII. *Hujus corii cinis cum aqvâ illitus panos sanat: adeps frigidas febres: item fimum suffitu. Dentes è parte lævâ dolores dentium, scarificatis gingivis. Pellis ejus è sinistra parte frontis in inguina adalligata Venerem inhibet: ejusdem cinis alopecias explet: testiculi drachma ex aqvâ contra serpentes bibitur: sangvine pictores utuntur.* De stinco sive scinco *Plinius* l. VIII. c. XXV. *Similis crocodilo, sed minor etiam ichnevmone est in Nilo natus scincus contra venena præcipuus antidotis: item ad inflammandam virorum Venerem.* Similia tradit *Dioscorides* l. II. c. LXXI.

IV. Qvin & primi hominum Ægyptii ad discendam ex Anatome naturam interiorem animalium industriam suam laudabili ausu contulere; primi hominum aperuere humana viscera ad morbos investigandos. Apud *Ælianum* l. de Natur. Animal. X. c. XXIX. Tarichevtæ Ægyptii [ὁι τὰς ταριχείας τῶν ζώων ἑρεσῶντες] notavere in anatome ibidis cujusdam intestina ad cubitos XCVI. in longitudinẽ porrigi, qvod nè cui in animali mirum videatur, nos hîc nuperrimè in anatome junioris rangiferi intestina deprehendimus cubitorum LXXXVIII. Qvid si autem & cubiti Ægyptii nostris minores? imò ex

mò ex breviusculis mumiarum ossibus id videtur confici. *Democritus* Ægyptiis innutritus palæstris chamæleontis membratim dissecti anatomen publicavit, in qvâ si remedia qvædam vanitatem superstitiosam redolentia notaverit l. XXVIII. c. VIII. *Plinius*, temporum id infelicitati attribuendum. Qvid si & inepti qvidam lacinias illas assuerint, ut à magni nominis Philosopho auctoritatem mutuarentur? De ceraſtis *Brodæus* Miscell. l. III. c. XI. *Qvi bestiam hanc*, inqvit, *discendi studio in Ægypto, & Africâ dissecuerunt, catulis gravidam offenderunt multoties.* Illud ex qvam antiqvo *Brodæus* hauserit scriptore, non liqvet. Sed & Athostin, antiqvissimum Ægypti Regem tradit *Manethos* apud *Eusebium Pamph.* in Chron. *artem medicam exercuisse, & libros conscripsisse Anatomicos.* Qvid ad hæc *Conringius? Sed hoc fortassis*, inqvit, *est fabulosum. Certè talis libri nusqvam alibi sit mentio: eoq; nec à nobis vel in laudem vel vituperium ejus dici qvicqvam potest.* Qvasi verò gravius qvicqvam in vituperium ejus dici posset, qvàm illud: *esse fortasse fabulosum?* Qvot libri fabulosi erunt, si ad condemnandum id satis sit, *ab alio non memorari?* Constat autem docente *Eusebio, Manethonem* ex archivis ista hausisse, non ex fæce. *Gellius* l. X. c. X. *Veteres Græcos*, inqvit, *annulum habuisse in digito accepimus sinistræ manus, qvi minimo est proximus. Romanos qvoqve homines ajunt sic plerumq; annulis usitatos. Causam esse hujus rei Apion in libris Ægyptiacis hanc dicit: qvòd insectis, apertisq; humanis corporibus, ut mos in Ægypto fuit, qvas Græci ἀνατομὰς appellant, repertum est, nervum qvendam tenuissimum ab eo uno digito, de qvo diximus, ad cor hominis pergere ac pervenire: propterea non inscitum visum esse, eum potissimum digitum tali honore decorandum, qvi continens & qvasi connexus esse in principatu cordis videretur.* Apud *Macrobium* Saturn. l. VII. c. XIII. Disarius libris Anatomicorum [Ægyptiorum] consultis idem se tradit reperisse, adjicitqve ibidem *Horus* Sacerdotes Ægyptios ob eam causam digitum hunc medicinalem odoribus illinire. Qvid hic Conringius? *Risum*, inqvit, *eam doctrinam potiùs mereri, qvàm confutationem vel tyronibus rei Anatomicæ est notum.* Fortassis tamen

reperi-

reperitur secretior qvidam consensus inter digitum illum & cor, qvàm vulgo credi Anatomicorum tyronibus solet. De se testentur alii, ego cùm ungvem ejus digiti reseco, aliter omnino me affici sentio, qvàm cùm reliqvos. Idem plurimis contingere audio. Sed cœcutiisse etiam aliqvando Ægyptios qvis dubitabit? cùm hodie mirum qvantum inane deprehendamus in Græcorum illâ Anatome. Ita facile fuit Græcis post Ægyptios aliqvid adjicere solidius, facile nostris hominibus post Græcos. Nihil simul inventum, & numeris omnibus absolutum fuit. Qvi autem existimat Sapientes Ægyptios cordi qvotannis ad annos L adscripsisse pondus drachmarum duarum, & post detraxisse ad annos iterum L, nimiæ credulitatis reus est; nec enim ulli dubium esse potest, omnis ætatis homines ad condituram ab ipsis apertos fuisse, adeoqve qvotidie similes ineptias oculorum sensu clarissimo refutatas. An forsan tarichevtæ illi Alexandrini *Censorino* memorati, fuere vilissimi qvidam ex fæce popelli homunciones, qvibus atra qvandoqve candida esse persvaseris: Sacerdotes tale qvid vel per somnium credidisse, incredibile est. Qvod autem adstruit Conringius, *illam omnem ἀναπλὼ Ægyptiorum videri institutam in usum condiendorum cadaverum*, id verò disertissimis à *Plinio* confutatur verbis: *Tradunt*, inqvit, l. XIX. c. V. *& præcordiis necessarium hunc* [raphani] *succum: qvando phthiriasin cordi intus inhærentem non alio potuisse depelli compertum sit in Ægypto, Regibus corpora mortuorum ad scrutandos morbos insecantibus.* Conringius hîc cum aliis *phthisin* legit, & qvasi ita & scripserit diligentissimus *Plinius*, & tradiderint sapientes Ægyptiorum Reges, castigat. *Qvod refert Plinius*, inqvit, *ab Ægyptiis Regibus observatum, id non consentaneum vero esse, nobis cognitum est.* At nihil certius qvàm *Plinium* scripsisse *phthiriasin*, eandemq; fuisse Ægyptiorum sententiam. Qvid propriè cordi cum phthisi? at phthiriasi sæpe conflictatur. Noverat sane *Plinius* phthisicos acribus offendi, eoqve mel Atticum, resinam laricis, & cochleas Africanas iisdem commendat l. XXVIII. & l. XXX, eoqve docere hîc instituerat, per *phthiriasin* cordis, ver-

mes

mes in sinubus cordis hærentes, qvibus enecandis, tollendisqve convenientissimè servit raphanus. Neqve vox phthiriasis displicuit *Plinio* alibi. Observati autem in corde vermes *Salio*, J. D. *Horstio*, *Majo*, M. A. *Severino*, *Schenckio*, *aliis*. Qvomodo autem illi vermes expellantur, præter auctoritatem magni *Dan. Sennerti*, [qvi in praxi Medicâ iis succum allii, raphani, & nasturtii opponit] luculentè evincet illud *Gabelchoveri* Centur. III. c. I. ubi de puellâ vermibus cordis afflictâ ita disserit: *Qvando generantur vermes sub corde, vel sub capsulâ cordis, & faciunt punctluras & dolores, & medicamenta dantur cordialia, sed nihil proficiunt, & æger moritur. Sed vera cura est talis: Recipe succi allii, raphani, & nasturtii, detur, & statim curabitur. Crede experto, qvia verum est. Ex MSSto Joannis Stockeri, illustris suo tempore Medici, experimentorum libro depromptum, cujus vestigiis volui insistere, & curatio, Deo laus bene successit, ita ut citò convaluerit, & jam optimè se habet in conjugio vivens aliqvot liberorum mater.* Qvid multa? ipse Dioscorides laudat oleum raphaninum ad phthiriases l. I. c. XLV. *Raphaninum oleum*, inqvit, *iis, qvi ex malâ valetudine phthiriases contraxere, convenit, scabritiasq; cutis in capite emendat. Eo utuntur Ægyptii unacum obsoniis ipsum coqventes.* Ergo phthiriasin & internam, & externam curat raphanus, adeoqve laudem merentur Ægyptii Reges, qvi tam desperato alioqvin malo, tam nobile pharmacum sapientissimè opposuerunt; & vel solum hoc exemplum, ut ex ungve leonem æstimemus, non perfunctoria Ægyptiorum in Anatome & Medicinâ experimenta fuisse, sed utilissimè curiosa, liqvidò attestatur. Et qvàm opportunè scientiam suam Anatomicam vocaverint ad usum Ægyptii, vel ex illo *Aëtii* tetrab. IV. serm. IV. c. CIII. internoscere est: *Qvapropter visum est*, inqvit, *ut anteqvam exuberet nympha*, [qvod in qvibusdam contingit] *amputetur, tunc præcipuè, cùm nubiles virgines sunt elocandæ.* Mox adjicit modum, qvo Ægyptii amputationem illam sine noxâ perficiunt. Qvis hoc sine cognitione Anatomes præstitum arbitrabitur? Neqve ad molles tantùm humani corporis partes scrutandas artifice ferro processerunt Ægyptii,

sed

sed ipsam ossium compagem, texturamqve omnibus, per id tempus, Græcis solertiùs expediere. Ecce confitentem *Galenum* de Admin. Anatom. l. 1. ! *Hoc autem sit opus tuum*, inqvit, *hoc studium ut non librorum modò lecturâ, verùm sedulâ etiam inspectione, fideq; oculatâ cujusq; ossis humani speciem accuratè perdiscas. Qvod qvidem Alexandriæ multò facilius facies, ubi Medici ossium disciplinam auditoribus ante oculos exponunt.* Et qvis dubitet ossium humanorum naturam jam ante conditam Alexandriam sapientibus Ægyptiorum probè explicatam fuisse? cùm rasuris capitum etiam puerilium singulare & lapidibus vix penetrabile robur calvariis suis induxerint, metumqve calvitii averterint, Persis hac parte hebescentibus, de qvo disertè in Thaliâ *Herodotus.*

Cap. VI.

I. Terram ipsam Ægyptiam, per solertiam gentis, deprehensam esse virium Medicarum. Inveniri in Ægypto salem, nitrum, aphronitrum, salem ammoniacum, alumen, sory, misy, parætonium, rubricam, memphiten lapidem chirurgis expetitum, morochthum, nobilissima marmora, adamantes, carbunculos, amethystos, smaragdos, sardas, opalos, succina, topazia, senitas, corallia, obsidianum, cyanos, magnetes. II. Ægyptiis non defuisse vel metalla, & metallica, eaqve ab iis curiosè tractata, vel destillationum Chemicarum scientiam, in qvam rem exhibentur vasa qvædam Chemica antiqvi Zosimi.

1. RElIqvum est, ut mineralia, & lapides pretiosos Ægyptiorum, atqve metalla non contemplemur duntaxat, sed qvàm providè iisdem usi sint incolæ, paulò attentiùs exploremus. Initiò, ipsa omnium genitrix terra in Ægypto suis in medendo usibus non caruit, enimvero eâ hydropicos felici successu inungebant, ut est apud *Aëtium*, & *Galenum*. Et qvidem *Galenus* ita de simpl. med. fac. l. IX. c. II. *Illa terra, qvæ colitur, si pinguis, commoda est ad curationem earum omnium partium, qvæ desiccari poscunt: unde sanè eâ & Alexandriæ & per Ægyptum utuntur multi, suâ utiqve sponte ac judicio, multi verò etiam monitti somniis. Vidi enim Alexandriæ qvosdam aqvâ inter cutem laborantes, ac lienosos Ægyptiæ terræ luto utentes, qvi sibi suras, femora, cubitos, brachia, tergum, latera, pectusq; inungerent, ac perspicuè juvarentur. Eundem in modum & veteres phlegmonas, & laxa œdemata adjuvat lutum hoc. Novi siqvidem qvosdam, qvi ex immodicâ per hæmorrhoidas evacuatione turgentes effecti ac tumidi, non obscurè fuere adjuti. Sed & qvidam diutinos, fixosq; parte qvapiam dolores perpessi luto hoc planè persanati sunt.* Agnoscit & *Dioscorides* parabil. l. I. *terram Ægyptiam pilos extergere.* Ita solertissima Ægyptiorum natio nullis pepercit laboribus, experimentisqve, ut salutaribus inventis secula bearet. Miscuerit se aliqvando superstitio, qvis neget? ea tamen non efficiet, ut non agat terra vi naturali. Crudior ad fodinas terræ Lemniæ spectata ibidem *Galeno* Græca vanitas, associata malè natis ceremoniis, & sigillo Dianæ, & illâ tamen fructuosè, missis ceremoniarum ineptiis, utuntur hodieqve Medentes. Sed ad mineralia, qvæ produxit Ægyptia tellus, lapidesqve festinandum. In iis primùm se offert illud ciborum omnium condimentum optimum sal, de qvo *Herodotus* Melpomen. *In supercilio soli à Thebis Ægyptiis ad columnas Herculis ferme decem dierum itinere grandes jucundi salis grumi existunt. Plinius* l. XXXI. c. VII. *Circa Memphim extrahunt lacu salem, dein sole siccant.* Et mox: *Fit tamen & in Cretâ sal sine riguis, in salinas mare infundentibus, & circa Ægyptum, ipso mari influente in locum (ut credo) Nilo succosum: sit & è puteis in salinas ingestis.* De nitro fidem fecerint illa

illa *Strabonis* l. XVII. *Ultra Memphim sunt nitri fodinæ duæ, qvæ nitrum ferunt plurimum, atqve inde dictus est Nomos Nitriotis.* Laudatur & aphronitron Ægyptium *Dioscoridi* l. v. c. CXXXI. Sed qvis salem Ammoniacum ibi reperiet? succurret *Athenæus* Dipnos. l. II. c. XXIX. *Dinon*, inqvit, *in Persicâ commentatione narrat salem Ammoniacum ex Ægypto mitti ad Regem, & aqvam ex Nilo.* Sed & idem ex *Plinii* l. XXXI. c. VII. colligas, licet. Alumen Ægyptium probatissimæ notæ fuisse ex *Plinii* l. XXXV. c. XV. colligimus: *Laudatissimum*, inqvit, *alumen in Ægypto*, [est] *proximum in Melo. Dioscorides* l. v. c. CXXIII. *Omne propemodum aluminis genus in Ægypto, & in iisdem metallis invenitur, etiam alumen trichites.* Unde non mirum, qvòd *Herodotus* in Euterpe, tradat Amasin Ægypti Regem mille aluminis talenta donâsse iis, qvi templum Delphicum fortuito incendio hausturn de novo moliebantur. Sed cur tum Amasis alumen? fortassis, ut copiosiùs insparsum muris iterata arceret incendia, qvod fieri Mithridatis exemplo didicimus. Sory Ægyptium commendatissimum esse constat ex *Dioscoridis* l. v. c. CXIX. de cujus viribus videatur ibidem *Anazarbæus.* Laudat & *Plinius* l. XXXIV. c. XII. adjicitqve, etiam olfactu qvibusdam vomitiones movere. Qvin & Ægyptium misy *eidem* l. v. c. CXVII laudatur, & accedere ad naturam chalcitidis [id est vitrioli] censetur. Stibium, si in Ægypto non nascitur, ignotum tamen genti esse neqvit, utpote Judæis finitimis familiare, qvod ex calliblepharo Jezabelis, & *Jobi* Kerenhappuk liqvidò conficitur. Hæmatiten ob insignes vires in affectibus oculorum, difficultate urinæ, fluore muliebri, exscreatione sangvinis collaudat *Dioscorides* l. v. c. CXLIV, & nativum in Ægypto scribit inveniri. Et jam ante l. v. c. CXII. scripserat, rubricam fabrilem Ægyptiam, & Carthaginiensem optimas esse. Parætonium Ægyptium commendat *Plinius* l. XXXV. c. VI. Si rariores qværimus lapides, suppeditabit & Ægyptus tum lapidem Memphiten, tum morochthum; *Memphites*, inqvit *Dioscorides* l. v. c. CLVIII. *lapis in Ægypto juxta Memphim invenitur, calculorum magnitudine, pingvis & versicolor. Hoc tradunt trito & illito partes, qvæ urendæ, & se-*

candæ sunt, citra periculum ita obstupescere, ut non sentiant cruciatum. Morochthus autem ex *ejusdem* l. v. c. CLII. *in Ægypto nascitur, linteis dealbandis eo utuntur linteones. Convenit & sanguinem exscreantibus, cœliacis, & vesicæ dolore vexatis*, &c. Non attingam nunc othonnam, Ægyptium lapidem, de quo *Dioscorides* l. II. c. CCXIII. Nec à marmoribus indigenis nuda Ægyptus. Ut taceam enim ex monte, qui Ægyptum & Arabiam disterminat, excisa fuisse saxa ad pyramides, quæ ad Memphim visuntur, exstruendas juxta *Herodoti* Euterpen, certè neque defuit Ægypto Augustum, Tiberium, & Memphites marmor, nec porphyrites, nec alabastrites, nec Syenites, nec basaltes, & quis potest enumerare universa? In hanc rem *Plinius* l. XXXVI. c. VII. *Augustum marmor* [in Ægypto Augusti principatu inventum] *undatim crispum in vertices, Tiberium sparsim convolutâ canitie. Vocatur & Memphites* [marmor] *à loco gemmantis naturæ; hujus usus conteri, & iis, quæ urenda sint, aut secanda, ex aceto illini: obstupescit ita corpus, nec sentit cruciatum. Rubet Porphyrites in eadem Ægypto: ex eo candidis intervenientibus punctis, leucostictos vocatur, quantislibet molibus cædendis sufficiunt lapicædinæ.* Et mox: *Invenit eadem Ægyptus in Æthiopiâ, quem vocant, basalten, ferrei coloris atque duritiæ, unde & nomen ei dedit. Nunquam hic major repertus, quàm in templo Pacis ab Imperatore Vespasiano Augusto dicatus: argumento Nili XVI liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi incrementi augentis se amnis intelliguntur. Non absimilis narratur in Thebis delubro Serapis, ut putant, Memnonis statuæ dicatus: quem quotidiano solis ortu contactum radiis crepare dicunt.* Ut admirari hic subeat solertiam Ægyptiorum, utentium tam ingeniosè etiam durissimis marmoribus. De alabastrite *Plinius* l. XXXVI. c. VIII. *Hunc aliqui lapidem alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optimè servare incorrupta dicitur: idem & ustus emplastris convenit. Nascitur circa Thebas Ægyptias, & Damascum Syriæ.* Postea: *Thebaicus intertinctus aureis guttis invenitur in Africæ parte Ægypto adscriptæ, coticulis ad terenda collyria, quadam utilitate naturali conveniens. Circa Syenen verò Thebaidis Syenites, quem ante pyrrhopæci-*

pœcilon vocabant: trabes ex eo fecere Reges qvodam certamine obeliſcos vocantes, ſolis Numini ſacratos, &c. Ex hoc pyrrhopœcilo, ſive baſanite ad medicinam jam olim mortaria in Ægypto conficiebantur, ex *Plinii* l. xxxvi. c. xxii. *Dioſcor.* l. v. c. cii. & *Galen.* l. i. de Antidot. Unde & pharmacopolia Romana, Neapolitana, Veneta, iisdem hodieqve ſuperbiunt. Eſtqve hic ipſe lapis, unde conſtant mortaria, & obeliſci antiqvorum, *porphyrites*, Italis nunc *granito*. Qvod genus mortarium, ex urbe Româ in patriam mecum pervexi. Fuere tamen & alia antiqvorum mortaria ex marmore nigro, de qvibus *Strabo* l. xvii. *Plinius* l. xxxvi. c. xvii. *Theophraſtus auctor eſt, & translucidos lapides in Ægypto inveniri* [ſervandis mortuorum corporibus aptos] *qvos ophitæ ſimiles ait: qvod fortaſſis tum fuerit, qvoniam & ii deſinunt, & novi reperiuntur. Aromatites*, ex Plinii l. xxxvii. c. x. *& in Ægypto gigni traditur circa Philas, ubi lapidoſa & myrrhæ coloris & odoris, ob hoc Reginis frequentata. Balanita genera duo habent, ſubvirides, & Corinthii æris ſimilitudine: illa Copto, hæc ex Troglodytica veniens, medias ſecante flammeâ venâ. Coptos & Batrachitas mittit: unam ranæ ſimilem colore: alteram ebori.* Poſt: *Ciſſites circa Copton naſcitur candida, & videtur intus habere partum, qvi ſentiatur etiam ſtrepitu.* Tandem: *Phloginos, qvam & chryſiten vocant, oſtreæ Atticæ aſſimilata invenitur in Ægypto.* Antea eodem capite ſcripſerat: *Thebis Ægyptiis reperta* [achatæ] *carent rubentibus venis, & albis: & hæ qvoqve contra ſcorpiones validæ.* Succedunt his nobiliores gemmæ natalibus Ægyptiis illuſtres. Adamantes, ſi in ipsâ non naſcebantur Ægypto, certè tamen effodiebantur inter delubrum Mercurii, atqve inſulam Meroën, hoc eſt, ad procurſum Nili in Ægyptum tendentis, de qvo certos nos eſſe jubet *Plinius* l. xxxvii. c. iv. Amethyſti & in Ægypto naſcuntur monente *Plinio* l. xxxvii. c. ix. Carbunculos circa Thebas Ægyptias inveniri, & Sardas circa Ægyptum auctor eſt idem *Plinius* l. xxxvii. c. vii. Carbunculos excellentes in Ægypto ad Catadupos collocat *Theophraſtus* l. de lapid. Opali & in Ægypto naſci traduntur, auctore *Plinio* l. xxxvii. c. vi. De ſmaragdis Ægyptiis plures auctores conſentiunt:

Scythicorum, Ægyptiorumq; smaragdorum duritia tanta est, ut neqveant vulnerari, referente *Plinio* l. xxxvii. c. v. qvi ibidem, *erui smaragdos* tradit *circa Copton oppidum Thebaidis in collibus & cautibus.* Nihil nunc adjiciam de colosséo Serapi è smaragdo novem cubitorum, in labyrintho Ægypti qvondam spectato, secundum Apionem Plistonicen; nihil adjiciam de smaragdis, & aliis pretiosis lapidibus, in isthmo ad Coptonem repertis, juxta *Strabonem* l. xvii: nihil de smaragdinis Æthiopiæ fodinis, de qvibus inter Æthiopas, & Ægyptios disceptatum olim gravissimè, qvod ex *Heliodori* Æthiopicis compertum: nihil de smaragdinis animalibus *Clementi Alex.* l. v. strom. laudatis. Sed nec smaragdorum vires ad recreandos oculos ignotæ antiqvis fuere, admonente *Plinio.* Si liceat *succinum* inter gemmas referre, etiam illud in Ægypto qvondam natalem invenerit locum, si verus *Niceas*, qvi teste *Plinio* l. xxxvii. c. ii. succinum & in Ægypto nasci scripsit, & ibi *Sacal* vocari. Topazion circa Thebaidis Alabastrum oppidum nasci tradidit Plinius l. xxxvii. c. viii. Nascebatur & qvondam in Ophiode insulâ freqventissimè, ubi Ægyptii Reges magnam hominum multitudinem mercede conductam in excubiis detinebant ad lapidum horum collectionem, & custodiam, observante l. xvi. Strabone. *Nec gemmarum ulla est liqvidior* [qvàm pæderos] *capiti jucunda, suavis & oculis: laudatissima est in Indis, apud qvos argenon vocatur: proxima apud Ægyptios, ubi semites*, verba sunt *Plinii* l. xxxvii. c. ix. Corallia antiqvis Ægyptiis notissima fuisse vel id indicio esse videtur, qvòd tum *Orpheus* Ægyptiâ sapientiâ imbutus de eorum viribus disertè commentatus sit, tum qvòd in mari mediterraneo, [& hoc Ægyptum alluit] copiosissimè nascantur. Sed [ut pantarbam Calasiridis Ægyptii transeam] qvid de Obsidiano? eloqvatur rem *Plinius* libr. xxxvi. c. xxvi. *In genere vitri & Obsidiana numerantur, ad similitudinem lapidis, qvem in Æthiopiâ invenit Obsidius, nigerrimi coloris, aliqvando & translucidi, crassiore visu, atqve in speculis parietum pro imagine umbras reddentes: gemmas multi ex eo faciunt: vidimusq; & solidas imagines Divi Augusti, capti materiâ hujus crassitudinis: dicavitq; ipse pro miraculo in templo*

Con-

Concordiæ Obsidianos qvatuor elephantos. Remisit & Tiberius Cæsar Heliopolitarum ceremoniis repertam ibi in hæreditate ejus, qvi præfuerat Ægypto, Obsidianam imaginem Menelai: ex qvo apparet antiqvior materiæ origo, nunc vitri similitudine interpolata. Et mox: *Fit & tinctura ex genere Obsidiani ad escaria vasa, & totum rubens vitrum, atqve non translucens, hæmatinon appellatum: Fit & album, & murrhinum, aut hyacinthos, sapphirosq; imitatum, & omnibus aliis coloribus: nec est alia nunc materia seqvacior, aut etiam picturæ accommodatior.* Ex qvibus duo colligimus, & antiqvissimum Obsidianum in Ægypto inventum, & ex eo artifice dextrâ varias paratas tincturas; qvam tincturarum ingeniosam solertiam in Ægypto apud summos viros jam olim natam esse ex aliâ itidem gemmâ existimare licet. Ea est cyanos, de qva ita *Plinius* l. XXXVII. c. IX. *Reddetur & per se cyanos accommodatâ gratiâ è paulò ante damnato colore ceruleo: optima Scythica, deinde Cypria, postremò Ægyptia. Adulteratur maxime tincturâ, idq; in gloriâ Regis Ægyptii ascribitur, qvi primus eam tinxit.* Sed rectiùs ipse *Theophrastus* [unde hæc transtulisse videtur *Plinius*] libr. de lapidibus: Καὶ κυανὸς, inqvit, ὁ μὲν αὐτοφυὴς· ὁ δὲ σκευαστὸς, ὥσπερ ὁ ἐν Αἰγύπτῳ· γίνεται δὲ κυανὸς τρία· ὁ Αἰγύπτιος, καὶ σκύθης, καὶ τρίτος ὁ κύπριος· βέλτιστος δ' ὁ Αἰγύπτιος εἰς τὰ ἄκρατα λειώματα· ὁ δὲ σκύθης εἰς τὰ ὑδαρέστερα· σκευαστὸς δ' ὁ Αἰγύπτιος· καὶ οἱ γράφοντες τὰ περὶ τὰς βασιλείας, καὶ τοῦτο γράφουσι, τὸς πρώτους βασιλεῦσι φησὶ τεχνητὸν κυανὸν, μιμησάμενον τὸν αὐτοφυῆ. Utqve certum sit, cyanum legitimè præparatam vitro elegantissimam imprimere tincturam, alia tamen præsto sunt argumenta, qvæ doceant, in tincturis olim præparandis versatos Ægyptios. *Seneca* ep. XC. docet *invenisse Democritum* [à qvibus ille disceret, nisi à notis longâ familiaritate Ægyptiis?] *qvemadmodum ebur molliretur, qvemadmodum decoctus calculus in smaragdum converteretur.* Qvin & calices illi *allassontes* rarissimi artificii, Adriano Imperatori à sacerdote Alexandrino donati [de qvibus *Vopiscus*] facilè ostenderint, qvid potuerit in hoc genere tincturarum ingeniosissima Ægyptiorum natio. Ita industriæ accommodant se omnia, & in ipsâ terrâ Ægypto inventa qværentibus singularis γῆ

ὑαλί-

ὑαλίνης referente *Strabone* l. xvi. Tandem mirificiſſimus ille lapidum magnes largâ copiâ in Ægypto producitur, ſi *Braſavolo* debetur fides. Cumqve ad manum eſſet jam olim Alexandriæ Dinocrati, auſus rem eſt naturâ & fortunâ ſuâ majorem, de qvâ *Plinius* l. xxxiv. c. xiv. *Eodem lapide* [magnete] *Dinocrates* [Salmaſius *Dinochares*] *architectus Alexandriæ Arſinoës templum concamerare inchoaverat, ut in eo ſimulacrum ejus è ferro pendere in aëre videretur: interceſſit mors & ipſius, & Ptolemæi, qvi id ſorori ſuæ juſſerat fieri.* Qvò & reſpexiſſe *Auſonium* Idyll. iii. & *Auguſtinum* l. iii. de Civit. DEI c. vi. credibile. Sed non ſuccedere iſtiusmodi tentamenta ſatis liqvet; nec in Mahometis monimento tale qvicqvam deprehendunt peregrinatores, utcunqve recepta illa jam diu in publicum duravit perſvaſio.

II. Sed vocant jam demum Ægyptia metalla, qvibus, ſi minus fœta qvondam Ægyptus fuerit, exiſtimandum in humili provinciâ, [ut eſt nobilior Ægypti pars humilis, & Nilo ſe ultra ripas evolvente, aqvis reſtagnans] metalla parciùs enaſci. Qvâ parte tamen in montoſa & ardua ſurrexit, neqve his ſe divitiis à benignâ matre naturâ fraudatam oſtendit. In hanc rem *Diodorus Siculus* l. iii. *In confiniis*, inqvit, *Ægypti, vicinaq; Arabiæ, & Æthiopiæ locus qvidam magnis aurifodinis abundat, ubi plurimum qvidem metalli nobilis eruitur, ſed multâ qvoqve ærumnâ, & impenſis.* Adjicit, homines miſerandæ ſortis, & compedibus vinctos ad aliqvot myriadas illic laborare, totamqve auri eliciendi ex comminutis illis ſaxis methodum clarè oculis exponit, tandem in hæc deſinens: ἡ μὲν οὖν τῶν μεταλλων τέχνων εὕρεσις ἀρχαία παντελῶς ἐστιν, ὡς ἂν ὑπὸ τῶν παλαιῶν βασιλέων καταδειχθεῖσα. Ut agnoſcamus, ipſos Ægyptiorum Reges [qvos ante cœruleum factitium commentos eſſe audiimus] metallorum olim naturæ perveſtigandæ manus admoviſſe. Præter has fodinas non temere deprehendemus Ægyptiis ullas certas in uſu fuiſſe; χρυσωρυχία in Thebaide nulla, ſed officinas tantùm aurarias laudat *Diodorus*. Sed de his jam ante prolixiùs cap. de *Hermete*. Argentum vivum utcunqve forſan Ægyptia tellus non profuderit,

derit, ex vicinæ tamen Æthiopiæ metallis non difficile fuit emercari, tradente, apud *Plinium* l. xxxiii. c. vii. *Hermogene*, in Æthiopiâ minium nasci, qvod antiqvorum minium, sive cinnabari, vomicam esse hydrargyri nemo hodie ignorat. Plumbi usu, stanniqve [rectiùs, plumbi candidi] non caruisse Ægyptios, vel ex eo constat, qvòd in aurariis illis *Agatharchidi* etiam laudatis metallis ad extremos Ægypti limites admiscerent tritæ mineræ operarii ἀνάλογον μολίβδε βωλίον, καὶ χόνδρες ἀλῶν, ἔπ᾽ ὄξχὺ καστίρε, qvæ verba sunt cultissimi scriptoris *Diodori*. Æs ustum terebant olim Ægyptii in coticulis ad collyria, & ulcera oculorum, docente *Plinio* l. xxxiv. c. x. Æreas imagines minutas mumiis suis includebant, qvæ hodieqve sæpe ibi reperiuntur, à putredine corpora præservaturæ, ut ex *Plutarcho*, & *Macrobio* colligimus. Sed fac, Ægyptios metallorum omnium fodinis destitutos fuisse, nihil tamen facilius, qvàm ex finitimâ Æthiopiâ eadem advocare, ut terrâ rupibus inhorrescente, & metallorum varii generis, ut ex *Strabone* liqvidò constat, feraci. Et cur non inde metalla? cùm ex vicinâ Arabiâ, aliisq; circumjectis provinciis jam olim receperint thymiamata, resinam, stactenq;, ut vel ex *Genes. Mosaicæ* c. xxxvii. notamus. Qvàm autem his lapidibus, metallisqve, undecunqve demum invectis ingeniosè usi sint Ægyptii, non attinet fortassis hìc uberiùs perseqvi in eâ scriptorum luce. Plenus iis *Herodotus*, *Diodorus*, *Strabo*, *Plinius*, *Marcellinus*, plena hodieqve urbs Roma, tot admirandis obeliscis, marmoribus, statuis, prophyretico Bacchi [qvod vocant] sepulcro, aliis, artificem Ægyptiorum dextram, & impensas non formidantem latè ostentans. Non attingam hìc tot aliâ solertiæ Ægyptiæ monimenta, tot pyramides, labyrinthum, delubra, sphinges, & cætera robustæ sagacitatis argumenta, qvibus recensendis cùm immorantur Graji, Latiniqve, vix à stupore sibi temperant, cùm æqvari illa mortalium aliorum ingenio, manuqve desperent. Prudenter sanè Ægyptii lapidum alios procurandæ humani corporis sanitati accommodârunt, ut partim superiùs ostensum, partim l. ii. ostendetur, alios propagandæ in ultima secula nomi-

nis sui celebritati. Potissima autem & antiqvissima in Ægypto palæstra λιθαργῶν Panopolis, ut ex *Strabonis* l. XVII. observamus, ex qvâ haud dubiè illustres illi statuarii prodiere, Græcorum Magistri. Neqve enim ista Græci suo debent ingenio, sed peregrinationibus Ægyptiacis. De qvo *Diodorus*: *Constat*, inqvit, *omnes qvantivis pretii ἀγαλματοποιὸς Ægyptum freqventâsse, & inter alios Teraclem, & Theodorum, qvi Samiis illud Apollinis Pythii simulacrum perfecere.* Nec impari dexteritate versatos fuisse in metallicis, vel ex hoc *Pliniano* l. XXXIII. c. IX. admonemur: *Tingit & Ægyptus*, inqvit, *argentum, ut in vasis Anubem suum spectet, pingitq́, non cælat argentum.* Et *Heliodorus* Æthiop. l. III. *Charicleæ ad pectus erant serpentes aurei, colore cærulei, aurum enim ab arte denigrabatur, ut asperitatem, & varietatem sqvammæ nigrum fulvo mixtum repræsentaret.* Erat autem Chariclea filia prophetæ Ægyptii. Ex qvibus patet, encausticen qvoqve metallicam [qvæ hodie ab amausis amalleren vocatur] ex Ægyptiorum cerebro profluxisse. Nam ad procurandam sanitatem metallicis usos nemo inficiabitur eorum, qvi vel solum excusserit *Galenum*, qvod utcunqve pluribus liceret, uno hic atqve altero duntaxat illustrabitur testimonio. *Galenus* de compos. medicam. per gener. l. V. c. I. medicamentum proponit, Isis appellatum, & vulneribus venenis, fracturis, fistulis utile, qvod recipit præter terebinthinam, *sqvammam æris rubri, æruginem rasam, salem ammoniacum, alumen ustum*, &c. adjicitqve, vocari etiam hanc compositionem *Hermonis sacri Scribæ*, & mox, *ex adytis templi Vulcani in Ægypto* profectam. Postea: *Ex dictamno*, inqvit, *emplastrum conficitur, sacrum appellant, dicentes & hanc scripturam in Vulcani templo juxta Memphim inventam esse; facit ad recentia cruenta ulcera, nervorum præcisiones, carbunculos, tela educit, sistit oculorum fluores, tollit dolorem capitis, necat feras reptiles suffitu.* Si qvis autem spectet ingredientia inveniet ibi inter alia, *argenti spumam, æruginem rasilem, æs ustum.* Iterum Galenus de compos. med. per gen. l. V. c. V. adducit emplastum Ægyptium à *Damocrate* descriptum, qvod recipit *lithargyrium, æruginem, æs ustum, diphrygem.* Et

libro

libro proximo, c. v. commendat Ægyptium emplastrum ad omne genus vulneris, in qvo operantur *ærugo, argenti spuma*, galbanum, &c. De ære Plinius l. xxxiv. c. x. *Hulcera qvoqve oculorum cum lacte sanat, idq; Ægyptii collyrii modo terunt in coticulis: facit & vomitiones è melle sumptum.* Sed & passim l. vi. agit *Galenus* de emplastris Ægyptiacis, ut agnoscamus ex his, aliisqve, materiam medicam maximâ sui parte ab Ægyptiis ad Græcos derivatam, nec futurum adeo, ut Hellas sibi magnopere placeret inventis suis medicis, si antiqva Thebæorum, Memphiticorum, & Alexandrinorum adyta in posteritatis emolumentum hodie patescerent. Et qvis dubitet ungventum illud nobile magorum ex auro apyro, de qvo *Plinius* l. xxi. c. xi. ex Ægyptiorum fontibus profluxisse. Atqve utinam exstaret vel *Democritus*, vel *Apion Plistonices*, qvi inter alia Ægyptia etiam de Medicinâ metallicâ scripsit tradente *Plinio*. Justa itidem suspicio est, per contumacem illam Sacerdotum Ægyptiorum taciturnitatem plurima Chemica in adytis illis conservata periisse, de qvo pluribus actum cap. de *Hermete*, nè actum agamus, hîc non repetenda. An autem vulgata illa Chemia, qvæ in triviis hodie docetur, Ægyptiis antiqvis eo modo, qvo nobis, usurpata fuerit, non facile definierim in illâ monimentorum veterum penuriâ, μεταλλικῆς autem, hoc est, secretiorem illam, & utiliorem, non ignotam fuisse, videor mihi jam ante satis ostendisse. Sed nec vulgatiorem ignotam ipsis planè dixero, cùm videam æs ustum, æruginem, alumen ustum, diphrygem, misy, sory, salia in cineribus latentia, curiosam encausticen, alia ministerium ignis sollicitum reqvirentia iisdem innotuisse; de solâ destillationum arte res forsan longioris subsellii est, sed nec iis hanc detrahendam existimo, vel ob eam causam, qvòd videam omnes, qvi ad manus meas pervenere, Scriptores antiqvitatis illius Ægyptiæ arcanioris, postulare, ut si qvis in sacrâ arte [i. e. Chemicâ] successum sibi polliceri velit, τὰ σώματα efficiat ἀσώματα, id enimvero fieri neqvit, sine ope alembici, aut instrumenti, qvod alembico respondet, nisi enim sit, qvod corpuscula assurgentia excipiat, ἀσώματα illa in

auras evolabunt. Atqve id si in ficciori fumo scire Ægyptii, cur in vapore idem ignoraverint, causa nulla obduci potest, præsertim in gente emunctæ naris, & sensûs acerrimi. Et qvid plura moramur? Unus *Zosimus Panopolites* libro περὶ ὀργάνων, καὶ καμίνων luculentè ob oculos nobis sistit antiqvorum illa vasa destillationibus accommodata; postqvam enim jussisset candidatos artis id agere, ut ipsis ad manus esset βίκος ὑέλινος, σωλὴν ὀστράκινος, λοπὰς καὶ ἄγγος στενόστομον, mandâssetqve ἐπὶ ἄκρῳ τῶν σωλήνων βίκας ὑέλας μεγάλας πηχῶν ἐπιθεῖναι, ἵνα μὴ φεύγωσιν ἀπὸ τῆς θέρμης τὸ ὕδωρ, tandem, ut clariùs sese explicet, ipsas vasorum figuras appingit, qvarum nonnullas licet rudiori manu exaratas ex Bibliotheca Regis Christianissimi, & illâ D. Marci Venetiis, libuit hîc in gratiam curiosorum adjicere.

Figuræ vitrorum qvorundam destillatoriorum Ægyptiis olim usurpatorum, ex *Zosimo*.

Cap. VII.

I. Ægyptios Sacerdotes non tantùm Medicinam invenisse, sed & in propriis corporibus diutissimè, & salubberrimè vivendo, perfectionem inventi sui demonstrâsse. II. Illud κινεῖν Ægyptiorum post qvartum morbi diem, immeritò à Conringio taxari. III. Ægyptios opportunè usos vomitione, & clysmatis. IV. Nec dubitandum, qvin & medicamentis Chemicis. V. Pamphili ineptias à Conringio per errorem attribui Ægyptiis. VI. Ex Apione allata non certò tangere Ægyptios.

VII.



Ægypto vivere omnium experien[illegible]

saga-

auras ev
in vapor
ingente
mur? U
lentè ob
accomm
ut ipsis a
γος εκνόσε
πτερεῖς ὀλ
chariùs se
nullas lic
nissimi, &
rum adji

Figu

I. Æ
ve
&
de
qv
xa
&
di
Co

Ex Apione allata non certo tangere Egyptios

VII.

VII. Kyrannidum librum hodiernum Ægyptii Auctoris non esse, nec Doli Mendesii scripta fuisse Magica. VIII. Orphea, & antiqvos plures Magiæ sceleratæ à Conringio non satis prudenter accusari. IX. Non Platonem ab Ægyptiis curatum fuisse, sed Euripidem, & qvidem ex legibus artis Medicæ. X. Nec vanam apparere, nec Magicam ictèri curam per charadrium. XI. Qvid de Jachene, & Nechepso censendum. XII. Qvid de Isidis pharmaco, & incubationibus; item Hippocratis gestis in æde Æsculapii. XIII. Medicinam Ægyptiam adhuc vigere, superstitione omni depositâ. XIV. Plura de Ægyptiorum sapientiâ medicâ.

I. HActenus ὕλην ἰατρικὴν Ægyptiorum potissimùm inspeximus, qvantum per triste illud incendium Alexandrinum, monimentorumqve antiqvæ Helladis, & Latii ingenuitatem licuit, nunc intuendum, an illas Floræ delitias, animalium partes, tellurisqve interioris opes sapienter ad usum corpori humano salutarem accommodârint. Qvanqvam autem de eo dubitare non sinat cognita jam ex ante memoratis Ægyptiorum solertia, non erit tamen supervacuum, ad alios qvoqve illorum temporum provocare testes, ut veritas undiqvaqve inconcussa persistat. Ab *Herodoto* ergo ducemus exordia. *Jam verò*, inqvit in Evterpe, *apud Ægyptios Medicina hunc in modum distributa est, ut singulorum morborum sint Medici, non plurium. Itaqve omnia referta sunt Medicis. Alii enim sunt oculorum, alii capitis, alii dentium, alii partium alvi, nonnulli morborum occultorum.* Ex hoc fonte non potuere non in Ægypto vivere omnium experientissimi Medici, cùm singuli, & ii

sagaces totam vitam in unicâ morbi specie cognoscendâ & emendandâ consumerent. *Isocrates* in laud. Busir. *Sacerdotes Ægyptii igitur*, inqvit, *his usi commoditatibus, ad corpora curanda Medicinam invenerunt, non eam, qvæ periculosis medicamentis utitur, sed eam, qvæ, cùm æqvè tutò sumi possit, atqve cibi qvotidiani, tantas habet utilitates, ut nemo neget eos & saluberrimis esse corporibus, & vivere diutissimè.* His adjungenda illa *Diodori Siculi: Morbos ut antevertant, clysteribus & potabilibus qvibusdam purgamentis, jejuniisq;, & vomitu corpora medicantur, idq; vel in dies singulos repetunt, vel triduum aut qvatriduum interponunt. In omnis enim nutrimenti digestione majorem partem esse superfluam, & hinc morbos creari, ideoq; curationem jam memoratam, qvâ principia morbi tolluntur, ad recuperandam sanitatem conferre plurimùm affirmant.* Et mox: *Medici annonam ex publico accipiunt, & medicinam ex lege scriptâ, per multos ab antiqvo Medicos illustres concinnatam applicant, si leges, qvas sacri codicis lectio tradit, secuti, ægroto sanitatem reddere neqveant, culpâ vacant, & indemnes abeunt. Sin contra præscriptum agant, capitis judicium subeunt. Nam medendi rationem longo temporis usu observatam & ab optimis artificibus ordinatam, paucos ingenio ac solertiâ superaturos legislator censuit.* *Heliodoro* Æthiop. l. III. excellere dicuntur Sacerdotes Ægyptii in arte medicâ. Tandem non ab re fuerit *Amm. Marcellinum* audire, l. XXII. *Medicinæ autem*, inqvit, *cujus in hac vitâ nostrâ nec parcâ, nec sobriâ, desiderantur adminicula crebra, ita studia augentur indies, ut licet opus ipsum redoleat, pro omni tamen experimento sufficiat, si Alexandriæ se dixerit eruditum.*

II. Hìc *Conringius* l. I. c. XI. *Multum vereor*, inqvit, *nè ars Medica Ægyptiorum à perfectione plurimùm abfuerit. Inter leges illas indubiè fuit illa, cujus meminit Aristoteles* l. III. Polit. c. XI. edit. Giph. Ἐν Αἰγύπτῳ μεταὶ τὰ πρῶτα μέτρια κινεῖν ἔξεστι τοῖς ἰατροῖς, ἐὰν ᾖ πρότερον ἄλλοις τοῖς αὐτὸ κινδύνῳ. *Utitur autem illâ Aristoteles tanqvam exemplo, qvo probetur ineptum esse conatum omnia legibus definiendi. Ipsa verò etiam lex laborat, sive de venâ secanda, sive de corpore per pharmacum evacuando* [*utrumqve enim intelligi potest voce illa* κινεῖν] *sermo est. Etenim*

Etenim nonnunqvam in morbis acutis turgente humore, statim primo qvasi momento cùm venam scindi, tum pharmacum dari insigni cum fructu sanitatis usus docet. Nonnunqvam ajo: sæpe enim neutrum initio fert morbi ratio, qvæ sanè jubet non nisi τὰ πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινεῖν, μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ, ut optimè est observatum nostro Hippocrati. Sed 1. nihil adeo in decreto hoc Ægyptiaco peccatum apparet, nihil qvod non Hippocratis Oraculo conveniat. Qvis enim dubitet Ægyptios generalem hanc regulam alibi certis suis circumscripsisse limitibus, & illud ὀργᾷν considerasse, utcunqve id non observaverit fortè *Aristoteles?* Certè si, ut jacent sæpe in aphorismis *Hippocratis* verba, intelligenda essent perpetuò sine explicatione ex locis aliis mutuatâ, multa in illis notarentur monstrosè falsa, qvod à *Galeno, Valesio, Heurnio, Spigelio, Ballonio, Laurentio, aliis* jam ante observatum. Igitur conferre debuisset loca omnia Ægyptiorum *Aristoteles* eò spectantia, ut legitimum fieret judicium. Qvia autem τὸ πλεῖστον in initiis morborum μὴ ὀργᾷ, qvod ex dicto Hippocratis excluſit *Conringius*, ergo rectè generali canone nobilissimum præceptum concluſere Ægyptii in gratiam Candidatorum artis, cautiones speciales robustioribus in eo studio alibi, more Hippocratico, reservantes. 2. Expendenda probè ex *Aristotele* verba Ægyptiorum, non enim id volunt, Medicorum id fieri periculo, aut cum ipsorum legibus pugnare, si ante qvartum diem moveant humores, sed periculo ægri, non enim legitur τῷ αὐτῶν κινδύνῳ, sc. ἰατρῶν, sed τῷ αὐτῷ, id est νοσοῦντι, qvod advertisse debuisset *Conringius*, anteqvam in præceptum illud Ægyptium obliqvus incurreret. Utcunqve enim aliqvando salvis ægri rebus, turgente initio materiâ, catharticum succedat, innumeris tamen vicibus cum ægri periculo attentatur. Adde his, febres malignas in Ægypto freqventissimas, [de qvo *Alpinus*] in qvarum principio illud κινεῖν foret periculosissimum. Verba autem *Aristotelis* leguntur in edit. Lugdun. meâ non l. III. Polit. c. XI. sed l. de Republ. III, c. XV.

III. Neqve feliciùs urgetur ad elevandam Ægyptiorum sapien-

sapientiam illud, qvod seqvitur, *Conringii*: *Aut fefellit nos Diodorus, aut clysmata illa, ut & vomitus Diodori ævo nimis in freqventi usu fuere Ægyptiis.* Enimvero non esse eam Diodori mentem, *Ægyptios vel qvotidie, vel tertio qvoqve die, toto anno vomere, aut clysmatis uti*, sed tantùm, qvoties spontaneæ lassitudines, aut vitia diætæ morbum instare prænunciabant, ratio dictat, & verba *Diodori* istuc tantum eunt: Τὰς ἢ νόσους προκαταλαμβανόμενοι διαπύουσι τὸ σῶμα κλυσμοῖς &c. Illud διαπύειν designat sparsa jam tum per corpus esse mali initia. Et qvis sapiens & sanus velit tertio qvoqve die illud antevertere, qvod timere legitimè non potest, nisi post luculentum errorem? Qvia autem toto mense aliqvid vitii paulatim in membra proserpere potest ex liberiore vivendi consvetudine, hinc non mirum est Ægyptios frumentariæ plagæ habitatores, ex *Herodoto, singulis mensibus triduo se se purgâsse vomendo atqve intestina diluendo conservandæ sanitatis gratiâ, existimantes omnes langvores hominibus creari ex cibis, qvibus aluntur.* Qvippe & *Hippocrates* l. de insomn. jubet pleniori victu usos bis qvovis mense vomere. Sacerdotes tamen Ægyptios, ut compositissimum & temperatissimum vitæ genus seqventes id actitâsse non perinde constat.

IV. Non usos Ægyptios antiqvos medicamentis Chemicis, eo persvadere laborat *Conringius*, qvòd nulla eorum in monumentis omnis prisci illius ævi vestigia reperiantur, exstare qvidem Ægyptiis familiaria olea, thymiamata, ungventa, emplastra, apud *Dioscoridem*, *Plutarchum*, *Galenum*, alios, sed illa rudi & vulgari modo se se habere. Sed nè illud qvidem satis efficax esse argumentum liqvidò ostendit inexpugnabilis Sacerdotum Ægyptiorum taciturnitas, in negotiis momenti gravioris freqventata, id qvod cap. de *Hermete*, ex *Diodoro Siculo*, *Olympiodoro*, *Zosimo*, *Stephano Alexandrino*, luculentis Scriptoribus abunde demonstratum. Qvid qvod nè Matheseos secretiora exsculpere ex iis potuere Græci, utcunqve longâ patientiâ eadem ambientes. Disertè *Strabo* l. xvii. *Eudoxus*, inqvit, *cum Platone in Ægyptum profectus est, & ambo cum Sacerdotibus XIII annos conversati sunt, ut tradidere nonnulli.*

Iidem

Iidem sacerdotes cum scientiâ rerum cœlestium præstarent, sed servarent eam in arcanis, neqve cum qvoqvam dignarentur communicare, tempore tamen & obseqvio victi nonnulla aperuere præcepta, barbaris interim plurima omnino occultantibus. Ad summam, sacerdotes Ægyptii veluti characteres alios cum plebe promiscuâ communes habebant, monente *Diodoro*, alios hieroglyphicos, & sibi familiares, ita medicinam aliam atqve aliam; vulgatiorem illam non inviti communicabant populis, & hæc ea est, qvæ, docente *Plinio*, in Græciæ postea migrabat lingvas; arcanior autem illa metallica, qvæ & loculis potenter medebatur, & corpori, ob gravissimas rationes in secretissimis habita est, eoqvenon nisi per Deorum, fabularumq; aliarum commenta, veluti per nebulam ἀμυήτοις ostensa. Hinc *Plutarchus* antiqvam Ægyptiorum Theologiam agnoscit φυσικὸν λόγον fuisse ἐγκεκαλυμμένου μύθοις; & *Origenes* l. 1. contra Celsum, *Ægyptios sub nominibus Deorum philosophari solitos.* Sed de eo jam ante pleniùs c. de *Hermete.* Id meretur adjici, non satis constare hodie, per inopiam librorum antiqvorum, qvò usqve progressi sint Ægyptii veteres in oleis stillatitiis, in acidis ex sale, sulphure, nitro, vitriolo spiritibus; an magisteria, clyssos, alia hodiernorum Chemicorum tentamenta dilexerint; eosdem tamen unum illud χρυσοποιήσεως magisterium [qvod Chemicorum pharmacorum caput est & palmarium] sciviſſe, & ad medendum etiam humano corpori vertisse ignorari neqvit legentibus scripta *Panopolitani Zosimi*, utiq; Ægyptii hominis & illâ oriundi civitate, qvam Strabo λιθουργῶν κατοικίαν παλαιὰν pronunciat; in qvâ credibile est non tantùm circa marmoreos lapides artificiosè sculpendos occupatos fuisse oppidanorum rudiores, sed & circa λίθον τῆς φιλοσοφίας ingeniosiores. Sed nec aliud persvadent Græcorum Chemicorum monimenta, nec aliud Arabum, ut qvi varia Ægyptiorum opera, per Europam in illis regnorum collisionibus deperdita, apud se se conservârunt, de qvibus passim in Oedip. Ægypt. *Kirckerus.*

V. Sed tenax propositi *Conringius*; *In colligendis*, inqvit, *herbis multas ab iis* [Ægyptiis] *superstitiones adhibitas ex Galeno discere*

est. Qui ubi Pamphilum memorat de herbis scripsisse, addit: Verùm is ad fabulas versus aniles est, simulq; præstigiatoras qvasdam deliras Ægyptias, junctis nonnullis incantationibus, qvas cùm herbas colligunt, admurmurant. Ita sanè habet interpres Latinus. In Græco tamen Basiliensi codice, Ægyptiorum nomen desideratur. Verum indubiè in codice suo Græco invenit Theodoricus Goudanus [*Gaudanus* debuit scribere] *interpres, nec temere fidendum esse Basiliensibus codicibus Græcis ob copiam mendorum & lacunarum constat inter eruditos.* Ut urat adhuc Ægyptios *Conringius*, mavult versioni latinæ fidere, qvàm ipsi *Galeno* loqventi. Non fidendum autem Gaudano interpreti hac parte, sed Basileensibus codicibus Græcis, etiam Veneti codices Græci ostendunt, qvos inter meus ille à socero Aldi Manutii, *Andreâ Asulano*, post inspectos, ut fatetur, omnes ferè Græciæ & Italiæ codices sollicitè publicatus ita loqvitur: Ἀλλ' ἐκεῖνόν μὲν [Pamphilus] ἔτι τι μύθοις γραῶν τινὰς ἐξετράπετο, καὶ λυκὰς γοητείας, ἅμα πολλῇ παιδαριώδεις, ἃς ἀναιρούμενοι τὰς βοτάνας ἐπιλέγουσιν. Ubi hîc Ægyptiorum nomen! nusqvam. Et qvidem *Pamphilum* hunc Græcum fuisse nomen ipsum declarat; utrum autem à *Xenocrate Aphrodisiensi*, aliisqve popularibus suis, à vanitate superstitiosâ non alienis, an à Magis Babylonicis, Persicis, Parthicis, aliisve ista hauserit, non satis liqvet; id constat, per meram injuriam hunc locum in Ægyptiorum detorqveri opprobrium. Et cur hac parte *Pamphilum*, ineptissimum mortalem, atqve, ut hîc traditur, de rebus sibi ignotissimis scribentem ad partes vocaret *Galenus*, cùm propriorum oculorum fidem invocare potuisset, si tale qvid in Ægypto gereretur, non taciturus, ut erat diligentissimus rerum ad Medicinam spectantium inqvisitor, si ejusmodi ineptiarum aliqvid Ægyptiis freqventatum observâsset. Vixit enim sic satis diu in Ægypto *Galenus*, & nil simile de Ægyptiorum rebus tradidit. Ex adverso hortatur candidatos Medicinæ, ut Alexandriam commigrent studiorum gratiâ; notatqve Alexandrinorum proclive ad experimenta naturalia, non ad Pamphili nugas ingenium. De qvo exemplum nobis reliqvit *Galenus* l. de Aliment. Facult. 1. c. de phaseolis:

seolis: *Cognovi*, inqvit, *juvenem qvendam Alexandriæ, arti Medicæ deditum, qvi per annos qvatuor, singulis diebus, solis phaseolis pro obsonio utebatur; phaseolos dico, fœnum Græcum, ervialam, & lupinos. Attigit autem interdum & olivas ex Memphide, & olera, paucosq; fructus, eos qvi citra coctionem manduntur. Propositum enim ipsi erat, ignem nunqvam accendere. Omnibus certè illis annis sanus vixit, nec ullâre, habitu corporis deteriore, qvàm ab initio.* Curiosum experimentum, & à præstigiis alienum. Neqve veriora sunt illa *Conringii*, qvæ seqvuntur: *Pamphilum porrò sua ex Ægyptiis transcripsisse indicant illa, qvæ ex eodem, cùm de aliis, tum de triginta sex horoscoporum sacris herbis, qvas Pamphilus ex Hermetis Ægyptii libro desumptas professus erat, non multò post narrat Galenus.* Non enim id scribere sustinet sapientissimus *Galenus*, Hermetis esse librum illum de horoscoporum herbis, sed, ἐν τινι τῶν εἰς Ἑρμῆν τὸν Αἰγύπτιον ἀναφερομένων βιβλίων ἐγγεγράφθαι, hoc est, *proditum illud esse in scripto qvodam eorum, qvæ ad Hermetem Ægyptium referuntur.* Ex eo itaqve loco nemo sive Ægyptios, sive Hermetem justè impugnaverit.

VI. Iterum aliqvot interjectis *Conringius: Cæterùm, qvas vires*, inqvit, *herbis, lapidibus, aliisq; rebus vulgò adscripserint Ægyptii, Apionis illud docet, de qvo Plinius: Qværat aliqvis, qvæ sint mentiti veteres Magi? cùm adolescentibus nobis visus Apion prodiderit cynocephaliam herbam, qvæ in Ægypto vocaretur Osirites, divinam, & contra omnia veneficia, sed si erueretur, statim eum, qvi eruisset, mori.* &c. 1. Non constat, utrum Ægyptiis impingenda sit illa culpa, an Babyloniis, aliisve; certè Babylonios Magos vanissimos fuisse in confesso est. Et cur etiam lapides huc advocat *Conringius*, cùm *Apion* de lapidibus non loqvatur. Utqve id ageret, notum qvid Babylonii Magi de lapidibus prodiderint, vel teste *Plinio* l. XXXVII. c. X. *Zachalias Babylonius*, inqvit, *in his libris, qvos scripsit ad Regem Mithridatem, humana gemmis fata attribuit; has non contentus oculorum & jecinorum medicinâ decorâsse, à Rege etiam aliqvid petituris dedit, & litibus, judiciisq; interposuit: in præliis etiam eas salutares pronunciavit.* Ubi talia de Ægyptiis *Plinius?* 2. Id tantùm docet *Apion*, vocari illam

plantam in Ægypto Osiriten, advocari autem ab Ægyptiis ad veneficia non docet.

VII. Indulget argumento *Conringius*, &, *Similibus vero*, inqvit, *pleni sunt nostri Kyrannidum libri. Nec alia* [qvàm magica] *videntur tradita in libellis Doli, sive, ut alii legunt, Boli Mendesii, qvos olim falsò inscriptos esse Democrito jam tum supra audivimus indicantem Columellam.* Kyrannidum librum hodiernum Ægyptii alicujus Scriptoris esse nullo constat alicujus ponderis argumento. *Doli Mendesii* scriptum, non esse Democriti, *Columellæ* credimus, sed nec in illo nobis magicum qvicqvam observatum est. Audiamus illa *Doli*, qvæ *Conringio* magica censentur! *Columella*, inqvit, *de curatione ovilli pecoris sacro igne laborantis: Ægyptiæ gentis Auctor memorabilis Dolus Mendesius, (cujus commenta, qvæ appellantur Græcè ὑπομνήματα, sub nomine Democriti falsò produntur) censet propter hanc sæpius, ac diligenter ovium terga perspicere. Ut si fortè in aliqvâ tale vitium deprehensum, confestim scrobem defoditamus in limine stabuli, & vivam pecudem, qvæ fuerit pusulosa, resupinam obruamus, patiamurq; super obrutam mejere totum gregem; qvod eo facto morbus propulsetur.* Nihil certius est, qvàm medicationem hanc esse merè naturalem, eaqve propter *Columellæ* laudatam. Agit enimvero *Columella* hoc loco, id est l. VII. c. V. inter alia, de efficaciâ urinæ ad medicandum pecus. *Celso placet*, inqvit, *si in pulmonibus vitium, acris aceti tantum dare, qvantum ovis sustinere possit, vel humanæ veteris urinæ tepefactæ trium heminarum instar per sinistram narem corniculo infundere.* Mox adjicit: *Est etiam insanabilis sacer ignis, qvem pusulam vocant pastores: ea nisi compescitur intra primam pecudem, qvæ tali malo correpta est, universum gregem contagione prosternit.* Mox recitat consilium in hoc casu *Doli Mendesii*, & post illa verba: *patiamur super obrutam mejere totum gregem, qvod eo facto morbus propulsetur*, proximè subjungit: *bilis æstivo tempore non minima pernicies, potione depellitur humanæ veteris urinæ, qvæ ipsa remedio est etiam pecori arcuato.* Scilicet ovilla urina pecudi pusulosæ superfusa traditur *Mendesio* malum sanare. Qvid hic peccati, præ-

stigia-

stigiarúmve est? Relinqvitur in scrobe ovicula ad limen caulæ, ut excipiat persultantis congeneris gregis urinam, qvâ abluta sensim convalescit, nec contagium propagat. At obruitur, inqvies! Sed non tradit *Mendesius* terrâ pecudem obrui, sufficit pertusis asseribus claudi in scrobe, ut admittat eò promptiùs serum illud salutare. Resupina jacet, qvòd in ventre, & ad ingvina minus velleris, eoqve faciliùs ibi penetret lotium. Et cui ignotum, qvàm facilè in caulis lotio ovillo prægnantibus nitrum paretur, tot morbis utile? Qvin & plebeji homines freqventer pusulas manuum abigunt urinâ propriâ sæpe ablutas. Accedit & alter locus *Columellæ* ostendens clarissimè *Mendesium* Ægyptium non præstigiis, sed naturalibus experimentis deditum fuisse. Is est l. XI. c. III. *Hac ratione toto ferè anno Tiberio Cæsari cucumis præbebatur: nos autem leviore operâ istud fieri apud Ægyptiæ gentis Dolum Mendesium legimus, qvi præcipit àprico, & stercoroso loco alternis ordinibus ferulas, alternis rubos in hortis consitas habere: deinde eas confecto æqvinoctio paululum infra terram secare, & ligneo stylo laxatis vel rubi, vel ferulæ medullis stercus immittere, atqve ita semina cucumeris inserere, qvæ scilicet incremento suo coëant rubis & ferulis. Nam ita non suâ, sed qvasi maternâ radice aluntur, sicq; insitam stirpem frigoribus qvoqve cucumeris præbere fructum.* Qvid hic præstigias olet? qvid non curiosissimam solertiam?

VIII. Sed nè sic qvidem conqviescit *Hermannus: Certum est*, inqvit, *Orpheum, Onomacritum, Musæum, Pythagoram, ut & Empedoclem Magiæ fuisse studiosissimos, adeoq; & Magicam aliqvam medicinam professos esse.* Et mox; postqvam *Homero, Hesiodoq;* eandem affricuisset labem, vehementiùs insurgens, *& verò in universum*, inqvit, *antiqvissimis Græcorum Poëtarum singularis qvædam cum Dæmonibus familiaritas intercessit. Certè tales in vulgus voluisse censeri, ipsorum carmina non loqvuntur, sed clamant. Omnem verò illam Magiam ex Ægypto primùm advenisse argumento est, qvod ab Orpheo maximè hæc Poëtica cœperit: qvem Pausanias Ægypto ortum fuisse perhibet.* Mitiùs arbitratur de magnis illis mentibus illustris *Naudæus* in Apolog.

ſuſp. Mag. docetqve argumentis & multis, & luculentis nec illo nefariæ Magiæ crimine pollutum fuiſſe *Orphea*, nec *Pythagoram*, nec *Empedoclem*, nec *Numam Pompilium*, immò nec *Zoroaſtrem*, *Socratémve*, aut cæteros antiqvos vulgò hoc nomine à *Del Rio*, aliisq; perperam infamatos. Ergo, ut brevis ſim, vel incumbet *Conringio*, ut *Naudæum*, Virum eruditiſſimum, amicum qvondam ſuum, erroris convincat, vel, ut accuſationem ſuam, rectiùs ab eodem jam informatus, deſtituat. Qvod Poëtas antiqvos ſpectat, ſtent illi, cadantqve ſuo Domino; mihi interea nihil in eorundem obſervatum ſcriptis, qvod crudele illud *Conringii* judicium certò ſtabiliat. Qvin & clementiùs iisdem uſi ſunt Scriptores ſacri, nunc ad *Arati*, nunc *Epimenidis* monimenta provocantes. Sanè qvi artem Poëticam ſeriò attigit, ignorare non poteſt Deorum illam, Dearumqve præſentiam, qvam introducunt, nihil monſtri alere, immò, non tantùm extra crimen eſſe, ſed & ex intimis præceptis artis, qvam totam collocat *Ariſtoteles* in commentis, in fingendo veriſimili, non vero. In hanc rem præclarè ingenioſus ille Neronianarum noctium Arbiter *Petronius: Non enim*, inqvit, *res geſtæ verſibus comprehendendæ ſunt, qvod longè melius Hiſtorici faciunt, ſed per ambages, Deorumq; miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum præcipitandus eſt liber ſpiritus; ut potius furentis animi vaticinatio appareat, qvàm religioſæ Orationis ſub teſtibus fides.* Sed abruptæ ejusmodi cenſuræ cum auctore ſuo dormient. Ad Orphea redeuntes, videmus in eo damnando titubare *Conringium*. Poſtqvam enim recitâſſet illa *Plinii: Primus omnium, qvos memoria novit, Orpheus de herbis curioſiùs aliqva prodidit*, ſubjungit: *in eo falſus eſt Plinius, qvaſi ipſe Orpheus de herbis nonnulla literis mandaverit. Ariſtoteles cautiùs loqvitur de carminibus Orphicis:* τὰ λεγόμενα Ὀρφικὰ ἔπη *appellans.* Sed qvis ſpondebit *Ariſtotelem* hîc de omnibus Orpheos monimentis loqvi? immò textus nusqvam docet ventilari ab *Ariſtotele* ea, qvæ de herbarum viribus Orpheo attribuuntur. *Onomacritum* ſcripſiſſe Orphica ex *Sexto Empirico* diſcimus, ſed id non impedit, qvò minus & ſcripſerit ipſe *Orpheus*; qvid qvod nec

Onoma-

Onomacritus apud *Sextum Empiricum* de plantis Orphicis vel verbum faciat, ſed de elementis duntaxat. Qvid ſi etiam Orphica illa digeſſerit tantùm *Onomacritus?* Utqve ſint Orphica qvædam *Onomacriti*, omnia ſanè non eſſe ex *Clem. Alex.* Strom. I. conſtat, qvi alia ejus *Zopyro Heracleotæ*, alia *Prodico Samio* aſſignat, & ipſa tamen à *Pythagorâ* Orpheo ipſi memorat attribui. Sed & Strom. V. inducitur *Epigenes* [gravis Auctor *Plinio* vocatus] ipſa verba *Orpheos* propria ex Poëſi Orphicâ adducens, inter qvæ legas κερκίσι, καμπυλόζωσι, ἡμοσίν, μίτον, λευκοστόλος, ἄνθιον, alia, qvæ evidenter oſtenderint illud *Ariſtotelis*, τὰ λεγόμενα Ὀρφικὰ ἔπη, non de omnibus Orpheos ſcriptis intelligendum; & proinde non ex illo fonte falſitatis convinci poſſe illud *Plinii: Orpheum de herbis curioſiùs aliqva prodidiſſe.* Sed & vindicant *Orphea* ab eo, qvod *Conringius* intendit Magiæ crimine, *S. Auguſtinus, Euſebius Pamphilus, Picus Mirandula, Steuchus Eugubinus*, qvorum auctoritas nobis tanti eſt, ut non temerè deſerendam putemus.

IX. Sed nunc alia ſcena panditur. *Verùm*, inqvit Conringius, *qvòd in Ægypto magica aliqva medicina maximo fuerit in pretio, non opus eſt fortaſſis ut probetur Græcorum, qvi inde doctrinam ſuam acceperunt, moribus: ſatis enim id conſtat, vel ex eo unico, qvòd jam Moſis ævo Magia in univerſum ab Ægypti Sacerdotibus ſanctè ſit culta, & ſacris artibus accenſita. Neqve verò non Magica fuit, qvâ Plato in Ægypto valetudinem à Sacerdotibus recuperavit, curatio per aqvam marinam. Non enim aqvæ illius magna vis eſt naturalis ad morbos curandos* Qvid ex Græcis exſculpſerit *Conringius*, jam tum contemplati ſumus, Moſis autem ævo Magiam in univerſum ab Ægypti Sacerdotibus cultam fuiſſe, nondum ſatis demonſtravit. Magos infames Pharaonis ævo vixiſſe legimus, & abominamur, illos autem Sacerdotes fuiſſe Ægyptios fortaſſis non ita liqvidò probatur. *Artapanus*, inqvies, *facit Jannem & Jambrem Sacerdotes Memphitanos.* At Memphin nè qvidem ædificatam fuiſſe ætate Jannis & Jambris putandum, ſi *Diodori*, & *Clem. Alexandrini* calculo debemus fidem. Et cur *Artapano* ita ſcribenti tutiùs accedas, qvàm *Strabonı* facienti

Moſen

Mosen Sacerdotem Ægyptium l. xvi? Accedit, qvòd Plinius l. xxx. c. 1. expressè Jannem scribat fuisse Judæum. Utqve largiare eos Sacerdotum è grege fuisse, non tamen ex eo qvisqvam confecerit, magicam id temporis in Ægypto fuisse medicinam. De præstigiis illorum *Moses* loqvitur, de pharmacis nusqvam. Qvod autem adjicit *Conringius*, *Platonem in Ægypto* [docente Laërtio] *valetudinem à Sacerdotibus recuperâsse*, id verò tum hîc scribere, tum in indice, oscitantis est; de *Euripide* id affirmat *Laërtius*, neutiqvam de *Platone*; qvippe *Euripidis* sanati est illud in *Iphigenia*: Θάλασσα κλύζει πόντια τ' ἀνθρώπων κακά. Sed cur illa curatio magica? certè hodieqve qvædam ægritudines crebrâ in aqvâ marinâ ablutione feliciter tolluntur, inqve iis pertinax scabies, & præcipuè morsus rabiosi canis, & inde conseqvens hydrophobia, qvorum malorum aliqvo tentatum ibi fuisse *Euripidem* credibile est. Et qvàm senserit infestos canes etiam postea, vel ex eo liqvidum, qvòd tandem ab iisdem discerptus sit, si verus est *Gellius* l. xv. c. xx. Qvicqvid autem horum fuerit, exploratissimum hodie est, homines à cane rabido demorsos, si statim & crebrò perluantur aqvis marinis, sanitatem freqventer recipere, qvod in Galliis ad *D. Huberti* templum contingit, observante etiam *Josepho de Aromatar.* Disp. de Rab. Contag. Et sanè in Belgio maritimo, alibiqve sine omni ceremoniarum apparatu illud medicationis genus hodieqve freqventatur. Sed audiatur & *Celsus* l. v. c. xxvii. *Sed unicum tamen*, inqvit, *ὑδροφοβίας remedium est, nec opinantem* [ægrum] *in piscinam non ante ei provisam projicere, & si natandi scientiam non habet, modò mersum bibere pati, modò attollere; si habet, interdum deprimere, ut invitus qvoqve aqvâ satietur, sic enim simul & sitis, & aqvæ metus tollitur.* Enimvero pleræqve Romanorum piscinæ jam olim aqvâ marinâ stagnabant, qvemadmodum Formiis, & in sinu Bajano ex piscinarum ruderibus non ita pridem observavi. Sed & ægri qvandoqve prosperè mersantur fluvialibus aqvis, id qvod Lugduni in Galliis mihi notatum, monstrante locum editum in nosocomio, *D. Lamonerio*, Medico clarissimo, unde mente capti in Rhodanum

qvoti-

qvotidie serenâ æstate præcipitantur, & mox funè reducti, ad idem postridie compelluntur balneum, donec mentem sibi constare ostenderint.

X. Pergat autem *Conringius*, ut libet, scribere: *Omnino certè Magica fuit curatio elephantiasis per sanguinem humanum*, in qvo decipi ipsum docebitur l. II. c. de Medicinâ ex animalibus. Sed nec illud Conringii satisfacit: *Magicum qvoqve est, qvod Charicles exigit à Calasiri Ægyptio Propheta, qvo animus Chariclia posset induci ad rem conjugalem apud Heliodorum*: Σοφίαν τινὰ, καὶ ἴυγγα κίνησιν ἔχειν αὐτῶν Αἰγυπτίων. Sed ἴυγγα generale vocabulum esse, pro qvavis illecebrâ, non tantùm ex *Xenophonte*, sed & ex *Æliani* de Animal. l. x. c. XIV. discere potuit *Conringius*, ubi cultissimus scriptor de accipitris tibiâ: τὸ ἦ αὐτὸ τῆς κνήμης ὀστοῦν εἰ χρυσῷ περιπλήσῃ, ἕλκει τι αὐτὸ, καὶ ἴυγγι ἀποῤῥήτῳ τινὶ πρὸς ἑαυτὸν ἄγει. Instat: *Similiter vel vanum est, vel Magicum, qvod apud eundem Heliodorum ex sacris Ægyptiorum libris memorat Calasiris de curatione icteri per avem charadrium.* Contemplemur verba Heliodori! *Charadrius*, inqvit, *ictericis medetur: qvæ avis, si isthoc morbo laborans aliqvis eam aspiciat, fugit & aversatur eum clausis oculis, non invidentiâ, [ut qvidam ajunt] auxilii, sed qvod aspiciendo accersat, & transferat in se malum, velut fluxum qvendam; ac eâ de causâ declinat aspectum, tanqvam ictum.* Per genium vestrum, Lectores, qvid hîc magicum est? an vanum, nunc intuebimur. Inter aves immundas censetur charadrius divino Mosi *Levit.* XI. & *Deuter.* XIV. Hebræi *anapha* vocant, ab אנף irasci, qvòd facilè in iram irritetur. *Aristoteli* de Histor. Animal. l. IX. c. XI. prava est avis & colore, & voce. Hanc non solus *Heliodorus* narrat aspectam mederi ictero, sed jam diu ante Heliodorum *Ælianus* de Animal. l. XVII. c. XIII. aliiqve, Ægyptiorum nomine intacto. Sed opportunè *Ælianus* modum curandi exprimit, nomenclaturæ *Mosis* respondentem: *Charadrius avis*, inqvit, *hoc beneficium à natura obtinet; si qvis ictericus eam acerrimè intueatur, & illa contra fixis respiciat oculis tanqvam vicissim ei succensens* [ὡσπερεὶ ἀνηθυμέμενος] *ictericum illo suo obtutu ad sanitatem reduc-*

cit. Similia tradit *Theophylactus Simocatus*, vetus *scholiastes Aristophanis*, & plures omnino veterum. *Suidas* adjicit: ἔστι δὲ ἀηδὼν ὀρνέον μεταβαλλόμενον εἰς τὰ προκείμενα. Iraſcitur ſcilicet, viſo ictero, & colorem mox icterico ſimilem contrahit, ut videatur qvodammodo mores chamæleontis imitari. *Plinius* non diſſimilia de galgulo l. xxx. c. xi. *Avis icterus*, inqvit, *vocatur à colore, qvæ ſi ſpectetur, ſanari id malum tradunt, & avem mori: hanc puto latinè vocari galgulum.* Qvin & hodie per univerſam ferè Europam à flavo colore auxilium ſibi ſperant icterici. *Plinius* iis commendat flavos gallinarum pedes, l. xxx. c. xi. Alii ex flavâ cerâ aureis hinc inde nummis diſtinctâ bibere eos jubent, nonnulli croci plurimum & oculis, & ori objiciunt, alii alia. Sed ad *charadrium*: res ita nota fuit antiqvis, ut mores ejus apud *Suidam* tranſierint in proverbium. Credibile, ut aſpectu rubicundorum irritatur taurus, aſpectu rei inſvetæ in effrenes curſus inſtigantur eqvi, aſpectu felium nonnulli animo linqvuntur, ita aſpectu charadrii ictericorum humores in corpore variè affici, commoveriqve, atqve adeo ex illo motu porum cholidochum aperiri, qvo facto ſtrata jam ſanitati via eſt. In qvo nihil ego vanum deprehendo, cùm reſpondere effectum, poſt affirmantes tot Scriptores luculentos, negare non ſuſtineam. Unum addo, non admodum diſſimile ex *Fel. Platero*, cordato ſcriptore, prax. tract. ult. ubi narrat *militi cuidam in ſtrangurià profuiſſe ſolum aſpectum floris cardui Mariæ*, nec experimento obloqvi audet. Ne qvid nunc de colore viridi adjungam, illo lippientium ſolatio. Sed alia vocant.

XI. Qvæ porrò de Jachene Ægyptio attexit *Conringius*, meritò ſuſpectæ veritatis cenſeri poſſunt. Ut enim taceam unum fortaſſis id *Suidam* narrare, [cujus teſtimonium hoc nomine alibi conculcat ipſe *Conringius*] ut taceam in hiſtoriâ illâ non conſtare ſibi *Suidam*, ut cui modo *Jachen* appellatur, modo *Jachim*, ſed & in loco à *Conringio* allato traditur floruiſſe in Ægypto Rege *Senye*, proximè autem in voce ἱερογραμματεὺς, Rege *Evene*. Accedit, qvòd Reges id nominis in Ægypto nullos agnoſcat vel *Manethos*, vel

vel *Herodotus*, vel *Diodorus*. Esto nihilominus, vixerit is *Jachen*, fueritqve amuletorum, & carminum sciens; scivit tamen, si *Suidæ* credimus, non ut usurparet, sed ut vim illorum remediis frangeret, id enim postulant *Suidæ* verba, scisse illum, vel scripsisse περὶ ἀπορρήτων, καὶ θαυμασίων ἀντιπαλα. Ut largiare tamen, miscuisse *Jachenem* medicamentis carmina, qvis omnes Ægyptios [ut qvi nonnunqvam etiam vapulant sacris Scriptoribus idololatriæ nomine] superstitionis crimini velit eximere? immò qvis Græcos omnes, Romanosqve? Tandem, qvid non ausa fuit nefaria Endoris Python, in illâ luce provinciarum Israelis? qvæ non lucorum inania frqventavit Judæorum natio? Atqve ut hoc non impediit, qvò minùs id temporis sanctissimi vates veri Numinis traderent cultum, ita nec effecerit Jachenis superstitio, ut non germana, laudabilisqve in Ægypto tunc unà viguerit Medicina. Neqve tela *Conringii* adversus Necepsum [vel Nechepsum] Ægyptium Regem directa validiora sunt. Qvæ enim ille de syderum decanis, Diisqve tradidit, nemini hodie satis intelliguntur, qvòd sub fictis Deorum nominibus occultarent Philosophiam suam antiqvi, ut ex *Plutarcho* ostensum. Hinc & *Berosus Chaldæus* apud *Eusebium*, sub personis Deorum rerum naturam interpretatur. Qvod autem *Firmicus* decanos illos Deorum nomine dignatur, nullum movet scrupulum, cùm sæpe idem sacro hoc nomine liberaliùs utatur, etiam illo ipso opere Constantinum Imperatorem & Deum; & Numen appellans. Sed & jam ante monuimus Reges Ægyptios naturæ rerum pervestigandæ sollicitè fuisse intentos, illos invenisse fodinas metallorum, colores delicatos, Anatomica, Medica, scrutando, non superstitionibus indulgendo. Qvin & illum ipsum, Græcorum judicio, medicinæ inventorem Æsculapium, Regem Ægyptium fuisse discimus ex *Eusebii* Chronicis, vocatumqve *Sesotron*. Accedit inclutus ille Ægyptiorum Rex *Athostis*, qvem primâ post cataclysmum dynastiâ, & medica scivisse, & scripsisse Anatomicos libros credimus *Manethoni*.

XII. Subjungit qvædam *Conringius* de Φαρμάκῳ Ἀθανασίας

Isidis, sed non perinde advertit, Sacerdotes allegoricum qvandoqve sensum historiæ Isidis, & Hori accommodâsse, & alia more suo locutos, alia sensisse, ut arcerent profanum vulgus. Id multis persequitur *Plutarchus* l. de Iside. Disertè etiam *Macrobius* Sat. l. 1. c. xxi. *Apud Ægyptios*, inqvit, *Apollo, qvi est Sol, Horus vocatur, ex qvo & horæ viginti qvatuor, qvibus dies, noxq; conficitur, nomen acceperunt: & qvatuor tempora, qvibus annuus orbis impletur, horæ vocantur.* Videri ergo potest Horus immortalitatem consecutus, qvòd etsi horæ occidant, emorianturqve, novis tamen perpetuò succedentibus appareant immortales. Paulò aliter *Plutarchus*: Ἔστι γὰρ Ὧρος, inqvit, ἡ πάντα σώζουσα, καὶ τρέφουσα τὸ περιέχον τῷ ὥρᾳ, καὶ κρᾶσις ἀέρος, qvæ, utcunqve sæpe varietur, intercidatqve, postea tamen recurrit, mori nescia. Taceo, in omnium historiarum veterum initiis, si sacram excipias, occurrere mythica qvædam, ad vivum non resecanda, de qvibus sapienter *Livius* initio præclari operis: *Datur*, inqvit, *hæc venia antiqvitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium* [& gentium] *augustiora faciat.* Sed &, si literæ pressè insistamus, non potest Isis ἀθανασίαν corporis intellexisse, ut qvam sibi ipsi spondere neqvibat, non ita multò post emortua; sed invento immortalitatis animarum secreto, hanc filio etiam jam adultiori spem insinuavit. Hinc & à morte ipsa dicitur *Diodoro* τυχεῖσα ἀθανασίας. *Ignatio* in epist. ad Ephes. sanguis Christi vocatur φάρμακον ἀθανασίας. Si περὶ ἀγηρασίας scripsit Ægyptius auctor, intellexerit fortassis methodum aliqvam convenienter humectandi extrema etiam membrorum, erugandiqve, ut diu videatur homo juventutem conservare. Qvòd si aliud ipsi institutum, constat ubiqve locorum inania esse ingenia, qvæ umbras captent, & fumos. Neqve is Ægyptius insanientium primus fuit. Jam ante instigaverat balneum Æsonis, in qvo is teste *Ovidio* Metam. vii. recoctus

— — — miratur, & olim
Ante qvater denos hunc se reminiscitur annos.

Qvin & alios nonnunqvam, si fidem debemus *Joanni de Laet* in descript.

descript. Americæ, spes non multùm dissimilis accendit. *Bimini insula*, inqvit, *apud Lucajas studiosè à Joanne Poncio Hispano olim qvæsita est, nam sibi ab incolis persvaderi passus erat, in eâ fontem reperiri, cujus hausţu senes juvenescerent.*

De incubationibus Ægyptiorum in templo Isidis, & Serapidis, ad captanda morborum qvorundam per somnos remedia, diffusiùs hic agere non fert instituti ratio, id unum intuendum hîc nobis, gentem illam fuisse à veri Numinis vero cùltu alienam, Deorum tamen, qvos in illâ caligine meliores arbitrabatur, studiosissimam, unde *Herodotus* de Ægyptiis: Ἰητροβέες ἔσι θειοτάτους ἐόντες μάλιστα πάντων ἀνθρώπων. Si peccavere incubitu illo, indolendum magis, qvàm insultandum miseriis, & putandum simul, crimen hoc ipsis commune fuisse cum Græcis, Romanisqve, cultissimis nationibus, qvibus hanc eandem medicandi consvetudinem familiarissimam fuisse ignorari non potest antiqvorum scripta versantibus. Monstratqve hodie Romæ Tiberina insula templum S. Bartholemæi, qvod olim Æsculapio sacrum plures incubantes sanatos conspexit, qvos inter gratos se se testati sunt publicâ in tabulâ marmoreâ laudatione *Gajus* cœcus, *Lucius* desperatè plevriticus, *Julianus* ex vomitione cruentâ exspes, *Valerius Aper* oculis captus. Interea viderit *Conringius*, qvâ fide hîc incubationibus annectat illa: *Simile*, *qvid*, inqvit, *etiam ab optimo maximo DEO esse observatum liqvet ex utriusq; fœderis sacris voluminibus: cujus opera æmulari Dæmonibus facinore, qvamvis infelici & improbo, familiare est.* Neqve enim ego memini in sacris usqvam literis exstare vel promissum, vel exemplum morborum corporis sanatorum per somnia in templis, nèqvidem in Hierosolymitano. Sed nec valdè qvadrat illud, qvod seqvitur, *Conringii*: *Qvo ipso*, inqvit, *simul manifestum fit mendacium illorum, qvi optimum virum Hippocratem Coum insimulant, qvasi Æsculapii æde fuecensâ furto rapuerit sibi annotata ibi remedia, iisq; magnum adeo sibi nomen comparaverit. Nè qvid enim nunc dicam τῆς ὕλης ἰητρικῆς peritiam, partem minimam fuisse Hippocraticæ laudis, qvid effecere ille potuit Æsculapii istis remediis, qvorum pleraqve natu-*

rali medendi vi caruerunt? Hic cùm appareat *Conringium* in *Plinium*, diligentissimum antiqvitatis medicæ indagatorem tacitè invehi, efficiendum, ut cordatus hic vir, qvi de *Hippocrate*, mitiùs & sine contumeliâ loqvitur, non damnetur inauditus. Ita ergo ille l. xxix. c. 1. *Tunc eam* [medicinam] *revocavit in lucem Hippocrates, genitus in insulâ Coo, inprimis clarâ ac validâ, & Æsculapio dicatâ. Is cùm fuisset mos, liberatos morbis scribere in templo ejus Dei, qvid auxiliatum esset, ut postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur, atqve (ut Varro apud nos credit) jam templo cremato, instituisse Medicinam hanc, qvæ clinicè vocatur.* Neqve vero hîc furti crimen *Hippocrati* impingitur, sed exscribentis laudatur providentia, cujus operâ effectum, ut, cùm templa incendiis, aliisqve calamitatibus pateant, conservaretur in publicum orbis terrarum commodum, qvod hic publicè in templo prostabat, ut similitudine ægris aliis prodesset. Sed nec de incubatione vel verbum hîc facit *Plinius*, neqve *Hippocratem* ista descripsisse verisimile est, qvæ in templis somniando ægris profuerant, ut maximam partem extra artem, & desperatis fere propria, qvos medici sine prognostico non attingunt. *Incubationes* non temere, nec nisi re conclamatâ advocabantur, ut sanarent Dii, qvos neqvissent homines. Sed præter illa somniantium pharmaca [qvæ tamen & qvandoqve naturali vi agebant] qvis dubitet cætera qvoqve remedia ab insulæ colonis descripta fuisse, qvæ jam sæpe sive casu, sive ratione juvissent? neqve enim tantùm desperatorum Deus erat Æsculapius, sed ægrorum promiscuè omnium. Hinc magicum omnino nihil in clarissimâ illâ compositione medicâ deprehensum, qvam *Plinius* l. xx. c. xxiv. incisam lapidi in aliâ Æsculapii æde memorat. Videturq; illa consvetudo ex Ægypto qvoqve in insulam hanc non adeo remotam commigrâsse. Certum enim ibi, teste etiam *Galeno*, in templis qvoqve emplastra, qvæ multis usui fuerant, spectata fuisse; certum, ibi ægros rariùs templis incubuisse, ut sanitatem ab Iside deposcerent, sæpius in viis publicis, ut à prætereuntibus sine mysterio discerent medelas. Disertè *Strabo* l. iii. *Lusitani*, inqvit,

ægro-

ægrotos vetere Ægyptiorum consvetudine in viis deponunt, ut qvi eum morbum experti sunt, iis consulant. Talia remedia è triviis conqvisita, & in ædem Æsculapii, ut similitudine conducerent, translata si descripserit vir optimus *Hippocrates*, & in justum ordinem digesserit, posteritatis commodo intentus, etiam hoc nomine laudem merebitur, qvanqvam & ipsum plurima ad artis complementum adjecisse nemo inficietur.

XIII. Tandem, ut claudat hanc de medendi ratione Ægyptiâ scenam *Conringius*, dentes in catastrophe suâ relinqvit, parum gratus in beneficam illam nationem, *ex qva omnis ingenii & morum cultus ad reliqvas gentes propagatus primùm fuit*, qvæ verba sunt ampliss. *Isaaci Voßii* l. de Nilo; parum attendens Græcam medicinam, & nostram hanc qvoqve, immensum qviddam Ægyptiorum fontibus debere. Superstitiones qvandoqve sê se immiscuisse nemo inficiatur, sed & infinita Ægyptiorum tum pharmaca, tum inventa alia procul ab omni superstitionis crimine laudem mereri ex superioribus liqvidò constat, ut vel jam tandem apertissimum sit, qvid judicare oporteat de illo *Conringii*: *Et sanè*, inqvit, *causſa, qvare destructo Dæmonum cultu nihil hodie valeant apud pios unius creatoris Dei fideles, omnia illa laudata olim Ægyptiorum remedia, non alia est, qvàm qvod Dæmones largiri vim suis qvondam symbolis ampliùs neqveant.* Enimverò non utuntur modò hodierni Ægyptii salutariter qvàm plurimis majorum suorum remediis missâ superstitione, qvod *Prospero Alpino* tradente, exploratissimum est, sed & tota hodieqve Europa per hanc Ægyptiorum scaturiginem felici continuatione medicatur. Ecqvis est seculo etiam nostro, ex illis piissimis æterni Numinis cultoribus Medicis, qvi non sequatur vestigia Ægyptiorum, commendando ægris & absinthium, & acaciam, & anisum, & cassiam fistulam, & chamæmelum, & cichorium, & colocynthidem, & cuminum, & helenium, & malvam, & mastichen, & myrtum, & opium, & siliqvam; & cantharides, & scincos, & emplastra metallica, & ungventa, & olea in Ægypto inventa? Sed qvis potest recensere universa? superstitio autem magica

magica id temporis non soli Ægyptiorum genti insedit, sed toti Orienti, & toti propemodum Orbi; Adrem *Plinius* de suo etiam ævo l. xxx. c. 1. *In tantum fastigii adolevit* [magica vanitas] *ut hodieq; etiam in magnâ parte gentium prævaleat, & in Oriente Regum Regibus imperet.* Neq; ideo inventa salutaria orbis antiqvi vituperamus; qvin immò etiam laudamus hôdie ingeniosas Chinensium, Japanensium, Brasilienſium, aliorumq; vel Atheorum, vel ipsi etiam malefico Dæmoni palam servientium merces, qvibus & nos prosperè utimur, & solertiam gentis barbaræ nostris ferè inimitabilem admiramur. Et si Dæmones hodie suis symbolis largiri ampliùs vires neqveant, cur in medio Christianismo hodie infiniti ægri per characteres, & alia Satanæ crepundia percurantur, etiam pii & simplices? Velle autem Græcorum gentem ab Alexandri Magni ævo eximerè illi Dæmonum religioni [qvod laborat *Conringius*] postulatum est historiæ temporum adversissimum, qvod ex *Pausania*, *Arnobio*, sanctis *Patribus* facilè esset demonstratu. E contrario, qvicqvid illustre veneramur in Græcis, pæne totum ex Ægypto in Helladatransmeavit, de qvo proximè ubertim.

XIV. Nunc pauca de medendi ratione Ægyptiis olim freqventatâ adjicere visum est. Jam diu ante Hippocratem vidit magnus ille Ægyptiorum Imperator, & Medicus *Nechepsus* contraria contrariis curari, qvemadmodum ex *Materni Firmici* Astron. l. iv. c. xvi. colligimus. Præterea, cùm de aëre, & aqvis sollicitum oporteat esse Medicum, neqve hîc conqvievit ingeniosæ gentis dexteritas, superioris Ægypti aërem, ut siccum & convenientem phthisicis commendans, qvod & postea annotavit *Galenus*, sive qvisqvis auctor est libri illius *Introductorii*. Aqvam Nili sui, ut saluberrimam [qvalem & hodie depingit *Alpinus*] experti, multis nominibus commendârunt, qvam ideoqve, cùm Ptolemæus Philadelphus filiam suam Berenicen Antiocho Regi Assyriorum despondisset, magnis impensis ad eandem curavit transferri, ut illam solam biberet, qvemadmodum ex *Polybio* notavit *Athenæus*. Similiter ad Regem Persarum translatam memorat apud eundem *Dinon*.

De

De utiliſſimis Ægyptiorum emplaſtris varia legas apud *Galenum*, *Aëtium*, *Oribaſium*. Qvàm etiam dextrè vulgus Ægyptium morſibus venenatorum jam olim occurrerit, *Dioſcorides* refert l. de Theriacâ, c. xix. *Dum ſpicas*, inqvit, *metunt Ægyptii, ollam picis paratam habent, & appenſam ollæ faſciam. Tunc enim à ſerpentibus ſibi maximè timent, tum propter æſtuoſam anni tempeſtatem, tum qvòd opacis abditi cavernis, denſoq; arvorum ceſpite deliteſcunt: plurima verò & infeſtiſſima è venenatis animalibus Ægyptus in campeſtribus alere conſvevit. Qvam primùm ergo qvìſpiam in pede, aliâve parte demorſus fuerit, illicò, qvi adſunt, faſciam in ollam picis immittunt, ac ſemel atqve iterum brachium, aut crus paulum ſupra vulnus obligant, & arctiſſimè duo è præſentibus undiq; conſtringunt, locumq; incidentes, qvâ circumactus eſt laqveus, picem inſtillant: ubi verò ſat picis inſudiſſe ſibi videntur, laqveum reſolvunt, & capas, aliaq; memorata adhibent.* Hoc eſt & ingenioſè, & vili pretio ingens malum profligare. Qvàm infeſta ſit pix liqvida venenatis beſtiolis, in hortis ſæpe æſtivo tempore expertus ſum, ſtatim enim atqve è bacilli extremo demittitur in dorſum bufonum, & rubetarum, illico convulſiones ſuccedunt, & mors ipſa brevi comitatur. Sed ut ex ungve alio qvoqve leonem hunc æſtimemus, qvid in re Medicâ valuerint Ægyptii, vel ex illo *Plinii* l. xxvi. c. 1. internoſcemus: *Cauſticis*, inqvit, *curabantur, qvi mentagrâ laborabant, ni uſq; in oſſa corpus exuſtum eſſet, rebellante tædio. Advenerunt q; ex Ægypto genitrice talium vitiorum Medici, hanc ſolam opem afferentes magnâ ſuâ prædâ: ſiqvidem certum eſt Manilium Cornutum ex Prætoriis legatum Aqvitanicæ provinciæ H. S. C. C. elocâſſe in eo morbo curandum ſe ſe.* Qvia autem Romani cauſtica illa ſive ſuorum, ſive Græcorum Medicorum averſabantur, qvòd medicinam hanc perpeſſi fœdiore ſæpe cicatrice notarentur, qvàm morbo, ut ibidem agnoſcit *Plinius*, igitur neceſſe fuit, licet plenâ jam Medicorum Hellade, ſupplicare Ægypto, & inde opem certam, mitioremqve accerſere. Qvin & pedum ulcera indutis calceis ſacerdotum Ægyptiorum papyraceis jam olim ſanabantur, ut ex *Ariſtid. ſerm. ſacr.* j. colligimus. *Chirurgice* qvoq;

[teste Celso l. VII. præf.] *in Ægypto increvit, Philoxeno maximè auctore, qui pluribus voluminibus hanc partem diligentissimè comprehendit.* Nec sola Quiritium urbs felicem olim sensit Medicorum Ægyptiorum operam, sed & jam aliquot seculis antea Cyrus, magnus ille Persarum Rex, cùm inter Archiatros suos nullam inveniret opem, ocularium ab Amasi Ægyptio Medicum amicè requisivit, & obtinuit, docente in Thaliâ *Herodoto*. Utrum autem *Hippocrates* Græcus in Persidem quoque ad Artaxerxem evocatus sit, fortassis ambiguum est, cùm personatas esse epistolas plerasque ad calcem operis Hippocratici adjectas nonnulli arbitrentur. Sed ad Ægyptios; quanti fuerint in morborum σεμνώσει [quæ vel sola decus & auctoritatem Medico addit] ex uno illo *Galeni* etiam colligere est, qui de dieb. decretor. l. III. c. VI. *Porrò*, inquit, *illud denuo repetendum, quod nos quoque observantes verissimum semper esse comperimus ab Ægyptiis Astronomis* [qui & ipsi medici] *inventum, lunam non modò ægris, sed etiam sanis, dies, quales tandem futuri sint, posse pronunciare. Si etenim ad planetas temperatos steterit, quos jam & salutares latini, Græci ὠφελητικὰς nominant, faustos & bonos producere, si ad intemperatos, graves, molestosque. Fingamus homine quodam nascente, salutares planetas in ariete, malignos in tauro esse; is homo nimirum, cùm luna in ariete, cancro, libra, & capricorno fuerit, commodè deget. Cùm verò taurum ipsum, vel tetragonum aliquod, vel diametrum signum occupat, malè tunc & molestè vitam transiget. Atque jam morborum initia huic cùm in tauro, leone, & aquario fuerit, pessima, sine periculo autem & salutaria sunt, cùm arietem, cancrum, libram, & capricornum luna permeat.* Disertè hîc *Galenus*: ὅπερ ἡμεῖς καὶ παραφυλάξαντες ἀληθέστατον εὑρομεν ἀεὶ, τὸ παρὰ τῶν Αἰγυπτίων Ἀστρονόμων δεδημένον. Et quis dubitet *Hippocratem* elementa prognosticorum suorum debere Ægypto, ut à patriâ suâ non nisi triduî itinere distanti? ut *Democriti* Ægypto innutriti [secundum *Celsum*] discipulo? Atque hæc hactenus de Ægyptiornm medicinâ, ut ex fimbriâ de texto judicaretur. Quod si ipsa Scriptorum Ægyptiorum monumenta exstarent, nuditatem sapientiæ Græcanicæ liquidiùs intueremur.

Immò

Immò si vel supereſſent qvatuor illi libri *Theonis Alexandrini* [de qvibus *Galenus* de sanit. tuend. l. III] de particularibus exercitiis corporis, ζεφαλικὰ, aliisqve id genus; vel Apionis Grammatici scripta de medicinâ metallicâ, *Plinio* laudata; vel deniqve *Hecatæi* monumenta de Philosophiâ Ægyptiâ, qvorum meminit l. I. *Laërtius*, multa, opinor, sanitatis procurandæ, veritatisqve indagandæ instrumenta ibidem notaremus, qvôd experimentis se magis fidere agnoscant Ægyptii, qvam malè natis rationibus; sed jacturas ejusmodi solabimur trito illo: *rerum irreparabilium felicem esse oblivionem.*

Cap. VIII.

I. Sapientiam Ægyptiorum, etiam extra medicinam, fuisse illustrem. Præstantissimos Græcorum in Ægyptum navigâsse ad cultum ingenii capiendum. II. Et luculentum itineris fructum percepisse ob artium ibidem perfectionem. III. Sacra Ægyptiorum, licet non optima, meliora tamen omnino fuisse sacris Græci Aristotelis, immò & reliqvorum Græcorum plerorumq;. In adoratione bestiarum videri latuisse arcanum politicum. IV. Horapollinis opus, phœnicem, sphinges Ægyptiis non debere fraudi esse. V. De incremento Nili non infeliciter disseruisse Ægyptios. VI. De igne, aqvâ, sale, piscibus, cæpis, animalibus qvæ statuerint Ægyptii. VII. Astronomiam, & Astrologiam Ægyptiorum videri certiorem fuisse, qvàm vel

pòst Alexandrinorum, vel hodiernorum Magistrorum artis. Cæteras etiam artes Mathematicas in Ægypto diligenter cultas fuisse. VIII. Græcos ab Alexandrinis didicisse potiùs, qvàm contra. IX. In motibus planetarum cognoscendis probè subactos fuisse Ægyptios. X. Frustra leges & alia qvædam Ægyptiorum à Conringio culpari; XI. Artifices Ægyptiorum insignes fuisse. Hieroglyphica eorum nec inepta, nec levia. XII. De Magis Ægyptiacis, qvæ vero similiora.

NOn satis id visum *Conringio*, Medicinæ Ægyptiæ laudem omnem detrahere, nihil prope actum putavit, nisi & in Theologiam, naturalem Philosophiam, aliasqve gentis sagacissimæ scientias, artesqve inveheretur. Verùm enimvero eas inveniet in *Herodoto*, *Isocrate*, *Cicerone*, *Diodoro*, *Strabone*, *Plinio*, *Tatiano*, *Clemente Alexandrino*, *Evsebio Pamphilo*, *aliisq.*, Ægyptiis attributas ex merito laudes, ut totis eas voluminibus deterere, & luculentâ suâ, qvâ pollet, facundâq; eruditione neqveat obscurare. Omnia huc convectare immensi operis foret, & supervacui, exstantibus in publicâ luce Scriptorum laudatorum monumentis; utqve fides horum omnium sit testatior, ea in historiâ sacrâ *Mosis* Act. VII. & Salomonis III. *Reg.* IV. se indicia sapientiæ Ægyptiæ produnt, qvibus adversari nefas. Nos non nisi strictim, & compendio, qvod fusè liceret, sententiam nostram de illâ qvoqve sapientiæ Ægyptiæ parte aperiemus.

I. Illustrissimam fuisse Ægyptiorum antiqvorum sapientiam vel ex eo liqvidum fuerit, qvòd summa qvæqve ingenia, vel in Ægypto jam olim nata sint, vel istuc ad incrementa studiorum captanda navigaverint, vel ab Ægyptiorum discipulis edocta gloriam suam latè propagârint. Plena istis historia est. *Archytas Tarentinus*,

tinus, celeberrimi nominis mechanicus, si Ægyptum non vidit, Pythagoricorum tamen nobilissimus appellatur *Laërtio*; at Pythagoras Ægypti diu incola. *Apollonius Pergæus*, conicorum magister insignis, in Ægypto claruit regnante Ptolemæo Evergete, ut ex *Eutocio Ascalonita* discimus. *Euclides* Mathematicus autem jam ante Pergæum in Ægypto vixit, sedente ad clavum Ptolemæo Lagi filio, attestante *Proclo Diadocho*. *Archimedem* in Ægypto vixisse adeo certum est, ut ibi cochleam suam invenerit auctore *Diodoro* l. VII. *Eratosthenem* in Ægypto floruisse, imperantibus Ptolemæis, Evergete, Philopatore, Epiphane, docuit idem *Eutocius*. Qvid de *Herone Alexandrino*, qvid de *Pappo Alexandrino*, qvid de *Alexandrino Theone* multa referam? qvos omnes Ægypti incolas fuisse vel ipsum nomen declarat. Loqvatur & hic illustris *Jo. G. Vossius* l. de scient. Mathemat. *Ab Euclidis*, inqvit, *tempore, usqve ad tempora Sarracenica vix ullum invenire est nobilem Mathematicum, qvin vel patriâ fuerit Alexandrinus, vel saltem Alexandriæ dederit operam Matheſi.* Sed ante *Euclidem* didicisse Mathematica in Ægypto *Pythagoram*, *Platonem*, *Eudoxum*, *alios*, nemini dubium est, *Cadmus* Thebis Ægyptiis oriundus fuit, auctore *Diodoro Siculo*, aut, si Phœnicem agnoscas, in Ægypto eruditus. *Dædalus* non modò Ægyptum salutavit, sed & templi Memphitici Vulcano sacri vestibulum aliqvod construxit, ibidemqve demiratus operum aliorum solertiam, lustrato satis labyrintho Ægyptio, similem Minoï Cretensium Regi fabricam architectatus est, sed Cretensium illâ pereunte, Ægyptia structuram suam prorsus ad nostræ ætatis tempus conservavit, inqvit l. I. *Diodorus*. *Danaus* ex Ægypto in Græciam traduxit coloniam, docente *Strabone* l. VII. Argosq; vetustissimam prope Græciæ urbem civibus instruxit, fatente *Diodoro*; & qvidem nave eò vectus, qvod *Plinio* credimus l. VII. c. LVI. *ante enim ratibus navigabatur*, eodem auctore. Et cum eo in Græciam simul aliqvam sapientiæ Ægyptiæ partem migrâsse qvis inficiabitur? *Diodorus Siculus*, luculentus Historicus, qvi apud Græcos nugari desiit, tradente *Plinio*, Ægyptum se lustrâsse multis testatur,

statur. *Diophantus Alexandrinus* clarissimæ famæ Arithmeticus, Ægyptium se se vel solo cognomine fatetur. *Democritus* antiqvorum omnium subtilissimus, judicio *Senecæ*, qvinqvennium in Ægypto exegit, ut ex *Diodoro* constat. Sed qvid prohibet alibi loqventem audire *Diodorum? Recensendi*, inqvit, *nobis qvi priscis illis temporibus sapientiâ & doctrinâ celebres apud Græcos peregrinationes in Ægyptum adjura & disciplinas gentis cognoscendas susceperunt. Etenim Sacerdotes Ægyptiorum Orpheum, Musæum, Melampodem, Dædalum, Homerum Poëtam* [nisi & ipse Ægyptius fuerit] *Lycurgum Spartanum, Solonem Athenienſem, Platonem Philosophum, Pythagoram Samium, Mathematicum Eudoxum, Democritum Abderitam, & Oenopidem Chium ad se adventâsse è sacris commentariis referunt. Et ex cujuscunqve professione artis demonstrationes adferunt, qvibus probant ex Ægypto cuncta, qvibus admirationem illi apud Græcos sibi peperere, esse translata.* De *Lycurgo* explicatiùs disserit *Plutarchus* in Lycurg. *Ægyptii*, inqvit, *item apud se arbitrantur Lycurgum fuisse, bellatoresq; à reliqvis corporibus diremptos in primis probâsse, ac traduxisse eum morem Lacedæmonem, segregatisq; illiberalibus, & sordidioribus operariis planè elegantem & nitidam Remp. instituisse.* De *Thalete* ita *Laertius: Thales in Ægyptum profectus sacerdotibus familiariter adhæsit. Et Diodorus: His addunt, qvod Lycurgus, Solon, Plato multas ab Ægyptiis leges mutuati in Reſpubl. suas receperint. Clemens Alexandrinus* Strom. l. 1. *Plato*, inqvit, *non inficiatur se ea, qvæ sunt præstantissima in Philosophiâ mercatum esse à barbaris, fateturq; in Ægyptum se venisse. Macrobius* in somn. Scip. l. 1. c. XIX. *Plato*, inqvit, *Ægyptios omnium philosophiæ disciplinarum parentes secutus est. Solon*, verba sunt *Amm. Marcellini* l. XXII. *sententiis adjutus Sacerdotum Ægypti, latis justâ moderatione legibus Romano qvoqve juri maximum addidit firmamentum.* Promulgaverat tamen Solon leges aliqvot ante hanc peregrinationem, docente *Herodoto*, & *Plutarcho;* sed cùm videret ad justum decus aliqvid adhuc legibus suis deesse, etiam senior navigare maluit, qvàm legitimo sapientiæ legiferæ complemento ex Ægyptiis accersendo destitui. Inter cæteras redux hanc legem

tulit

tulit ab Amasi Rege Ægyptio jam ante latam, *ut qvicunqve demonstrare qvotannis non posset, unde viveret, enecaretur*, qvemadmodum *Herodoto* in Euterpe annotatum. Svavis illi interea [ut est apud *Plutarchum* in Solone] familiaritas cum Psenophe Heliopolita, & Sonche Saita, sacerdotibus, à qvibus sermonem illum Atlanticum percepit, qvem verum fuisse ante duo primùm secula inventâ Americâ licuit intelligere. Non dissimilia *Diodorus: Apud Ægyptios*, inqvit, *si qvis opificum plura simul artificia exercet, gravissimas incurrit pœnas. Ægyptiis universis injunctum erat, ut nomina sua apud Magistratus profiterentur, indicantes simul, qvo proventu, & vitæ genere victum sibi qvisqve compararet. Mentitus, aut injustum agitans qvæstum, mortis pœnam incurrebat. Qvam legem Solon à peregrinatione Ægyptiâ Athenas traduxisse fertur.* Fuere qvin immò Athenienses Saitarum ex Ægypto coloni, si verus est *Diodorus Siculus*. *Euripidem* in Ægypto vixisse auctor est *Laërtius; Epicurum* omnia ferè hausisse à *Democrito*, indubitatum reddidit *Cicero*; vixisse & in Ægypto memorat *Cedrenus*. *Zamolxin* Getam, Pythagoræ qvondam famulum, postea in Ægypto egisse colligimus ex *Strabonis* l. VII. Nè nunc memorem *Diodorum Cronum*, *Chrysippum* Medicum, *Herodotum*, *Strabonem*, *Polybium*, *Germanicum*, *Julium Cæsarem*, *Ammianum Marcellinum*, *Galenum*, *alios*, qvos Ægyptum lustrâsse historiæ referunt. Præclarè *Diodorus: Multi prisci*, inqvit, *Ægyptiorum mores non tantùm ab indigenis probati fuere, sed in magnam qvoqve apud Græcos venere admirationem, ob qvæ celebratissimi qviqve doctorum peregrinationibus in Ægyptum operam dedere, ut legum illic, & studiorum, ceu rerum magni momenti cognitionem assequerentur.* Sed viditnè Ægyptum *Aristoteles?* nullus est dubitationi locus, tum qvòd *Ammonius* scribat ipsum secutum fuisse Alexandrum in expeditione illâ bellicâ ad usqve Brachmanas, immò Persidem cum ipso peragrâsse; qvis enim interea negabit cum eodem intrâsse qvoqve Ægyptum; tum qvòd Strabo l. XIII. memoret *Aristotelem* primum omnium docuisse Reges Ægyptios instruere bibliothecam. Ut taceam *Aristotelem* totis XX annis vacâsse *Platoni*, *Platonem* XII annis

annis in Ægypto verſatum, docente l. XVII. *Strabone*. *Theophraſtum Ereſium* adiiſſe Ægyptum vix audebit negare, qvi advertit qvàm accuratè plantas Ægyptias etiam illas, qvæ peregrinari neqveunt, depinxerit in Hiſt. plant. l. IV. c. II. & alibi, ut oculatum teſtem fuiſſe ægrè liceat dubitare.

II. Sed intuendus nunc porrò fructus, qvem vel incolæ ex illis ſuis moribus, vel ex peregrinatione Ægyptiâ cepere alienigenæ. *Iſocrates* in laude Buſir. *Philoſophi celeberrimi*, inqvit, *Ægyptiæ Reipubl. formam cæteris anteponunt: & Lacedæmonii qvi partem inde qvandam ad ſe tranſtulere, Rempubl. ſuam optimè adminiſtrant. Diodorus Siculus* recitatâ Reipubl. Ægyptiæ formâ: *Qvocirca*, inqvit, *etiam longiſſimo tempore ſub Regibus memoratis integrum Reipubl. ſtatum conſervârunt, in ſummâ felicitate vitam exigentes, qvamdiu hæc legum conſtitutio vigebat.* Nobiliores artes in Ægypto ad eam aſcenderant perfectionem, ut non modò non Græci, ſed vix hodie etiam cultiſſimæ nationes eam ſuperent. De Matheſi eorum præclarè ſenſit *Diodorus Siculus*, & ipſe oculatus rerum teſtis. *Macrobius* qvoqve in Somn. Scip. l. I. c. XX. *Sed Ægyptii*, inqvit, *nihil ad conjecturam loqventes, ſeqveſtrato & libero argumento, nec in patrocinium ſibi lunæ defectum vocantes, qvantâ menſurâ ſol terrâ major ſit, probare voluerunt.* Sed de Matheſi Ægyptiorum poſtea. Et poſt hæc tempora Sacerdotes Ægyptii laudantur *Dioni* in Recuſat. Magiſtratûs, tanqvam τὰ ξύμπαντα γινώσκοντες. Neqve duntaxat Philoſophiam, Aſtronomiam, & Geometriam iidem ſollicitè exercuere, tradente *Strabone* l. XVII; neqve duntaxat docuere *Thaletem* Ionicæ Philoſophiæ auctorem, & *Pythagoram* Italicæ, ut ex *Laërtio* conſtat, ſed & juſtitiam impenſè colebant. Ad rem *Ælianus* Var. hiſt. l. XIV. *Judices*, inqvit, *apud Ægyptios iidem qvondam fuerunt, qvi & Sacerdotes. In his princeps erat ſententiæ, maximus natu & in omnes ſtatuendi jus habebat, eum omnium hominum eſſe juſtiſſimum & ſinceriſſimum oportebat, qvi circa collum imaginem ex ſapphiro gemmâ confectam geſtabat, qvæ vocabatur veritas.* Sed & Reges Ægyptii qvàm in jure diſpenſando verſati ſint integrè, diſcamus licet ex

Plutar.

Plutarchi Apophthegm. *Ægyptiorum Reges*, inqvit, *suam qvandam servant legem, qvâ juramento obstringunt judices, ut Rege ipso injustam flagitante sententiam, ei morem non gerant.* Inter reliqvas Ægyptiorum leges & illam notavit *Plutarchus: gravidam, si mortis fuerit damnata, asservandam donec pepererit.* Sed his missis, ut de Medicinâ Ægyptiorum verbo iterum me expediam, vel ex solo effectu promptum est colligere, eam superâsse omnium hactenus aliarum nationum solertiam, & ἀκρίβειαν. Certè *Herodotus* in Euterpe, postqvam brevibus enarrâsset Ægyptiorum methodum medendi, subjungit, Ægyptios his remediis utentes esse hominum saniſſimos. Et *Isocrates* in laud. Busir. *Sacerdotes*, inqvit, *Ægyptii ad curanda corpora medicinam invenerunt, non eam, qvæ periculosis medicamentis utitur, sed eam, qvæ cùm æqvè tutò sumi possit, atqve cibi qvotidiani, tantas habet utilitates, ut nemo neget eos & salubberrimis esse corporibus, & vivere diutissimè.* Qvis audet has laudes Græcanicæ admetiri Medicinæ? qvæ utcunqve nobiliſſimam sui partem debeat Ægypto, præ taciturnitate tamen Sacerdotum, ultimum ibi adipisci neqviit complementum. Nihil faciliùs, qvàm in cæteris laudatissimis artibus ostendere qvoqve prærogativam Ægyptiorum. Sed nè videar prolixior, claudam illo *Diodori*: Ἀλλὰ μὲν καὶ τὰς τέχνας ἰδίᾳ ἐστὶ παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις μάλιστα διαπεπονημένας, καὶ πρὸς τὸ καθῆκον πάλιν διηκριβωμένας.

III. Sed vocat nunc aliò *Conringius*, incusatqve Ægyptiorum in religione, & placitis Astrologicis dissensionem. Qvod ad Astrologica, periere monimenta pleraqve Ægyptiorum veterum, per insaniam ferocientis Cambysis, aliorumqve, atqve ideo de iis hodie ita securè judicari neqvit. Fortassis tamen in modo explicandi apotelesmata sua non semper convenerit Thebanis cum Memphiticis, qvod utiqve eventuum veritati non adversatur. Qvis nescit Monspelienses Medicos hodie in medendi qvibusdam circumstantiis, scilicet circa venæ sectionem, & alia qvædam, à Parisinis dissidere? utriqve tamen sic satis feliciter medicantur. Qvod ad sacra Ægyptiorum, nemo non dolet miseriam temporum illorum,

qvibus non licuit Ægyptiis esse tam beatis, ut veritatem cœlestem integrè viderent, & seqverentur, cùm alioqvin, docente *Herodoto*, *in Deos ante omnes homines essent religiosi.* Qvod & luculentè prodiderunt, illucescente tandem clariùs veritate Evangelicâ. Neqve enim temerè gens ulla iis tum in sancto vivendi instituto celebrior, qvod ex historiis liqvidum. *Theodoretus* etiam Hist. Eccl. l. IV. c. XIX. *Erant in Ægypto homines, qvi Angelicam planè vivendi rationem summo studio excolentes à tumultu & strepitu civili se removerent, vitamq; in solitudine degere instituerent, & loca arenosa, planeq; sterilia, redderent frugifera.* Et in vitâ Posthumii c. VII. hæc legas: *S. Macarius* [in Ægypto] *ab illustri Viro Antonio Monachorum ferè qvinqvaginta millia susceperat gubernanda.* Sed ut ad antiqva revertamur, viderunt in iis sacrorum tenebris Ægyptii, ea qvæ Aristoteles toto ingenii molimine assequi neqviit, *Animarum* scilicet *immortalitatem.* Qvæ una scientia omnibus Stagiritæ monumentis haud dubie præclarior est. Primi hominum Ægyptii, referente *Herodoto* in Euterpe, tradidere ψυχὴν ἀνθρώπε εἶναι ἀθάνατον. Qvod adjungit *Conringius*, eosdem commentos esse migrationem animarum in alia corpora, si id qvidem ita est, imbecillitatis humanæ rationis fuerit, non assequi omnia; qvis enim hoc sine peculiari lumine à Paganis exspectet? Est tamen cur existimari possit Ægyptiorum sapientes de animæ humanæ statu à morte, præsertim sanctè viventium, præclariùs sensisse. Neqve enim tantum ita *Diodorus: Regionis hujus* [Ægypti] *incolæ tempus vitæ limitibus circumscriptum perexigui æstimant, at qvod celebrem à morte virtutis memoriam habiturum sit, illud pendunt maximi. Et domicilia viventium diversoria nominant, defunctorum vero sepulcra domos æternas appellant.* Sed disertiùs *Heliodorus* Æthiop. l. VII. *Haud legitima*, inqvit Cybele, *facitis, qvod sacerdotem* [Ægyptium Calasiridem mortuum] *deploratis & lugetis: qvem lætitiâ & gratulationibus proseqvendum esse, tanqvam consecutum reqviem, & præstantiorem statum sortitum divina & sacra doctrina præcipit.* Enimvero si sacra Sacerdotum Ægyptio-

tiorum doctrina mortuo statum præstantiorem, & reqviem assignat, argumento est illos non credidisse omnium animas evolantes è corporibus volutari circa infinita animalium, & sæpe vilissimorum corpora, adeoqve deceptum *Herodotum*, nisi malis eos alia in vulgus, propter politicas rationes disseminâsse, credidisse alia. *Ger. J. Vossius* l. de Idololatr. 1. c. x. opinatur μεταψυχώσεως figmentum ortum fuisse ex traditione de futurâ resurrectione, cui ut non repugno, ita video placuisse *Servio*, Ægyptios propter eam potissimùm causam mumias suas olim confecisse, ut anima in defuncto corpore hæreret, & commoraretur, nè per corruptionem ejus migraret in bestias. Voxillius ad illud *Æneid.* III.

— — — animamqꝫ sepulcro Condimus.

Unde Ægyptii, inqvit, *periti sapientiæ condita diutiùs reservant cadavera: scilicet ut anima multo tempore perduret, & corpori sit obnoxia: nè citò ad aliud transeat.* Expressè etiam *Herodotus* animam tradit ex mente Ægyptiorum, non migrare in corpus aliud, nisi τὸ σῶμα τὸ καταφθινον, id ut averterent, videri possunt condituram illam durabilem moliti. Illud ego tantùm adjicio, credibile reddi non modò ex illo *Heliodori*, Calasiridem non lugendum esse à morte, ὡς τῆς βελτίονος μετειληχότα λήξεως, καὶ πρὸς τῶν κρειττόνων κεκληρωμένον, adhuc altiùs surrexisse spe suâ Ægyptiorum sapientes; sed & fieri idem manifestum ex illo *Diodori: Vulgus defunctum magnificis laudibus prædicat, ut qvi sempiternum cum ptis ævum in Ditis regno sit peractturus.* Legatur & in hanc rem Gorgias Platonis circa finem. Sed nec illud *Conringii* placet: *Non est qvod Ægyptios laudemus ideo, qvòd humanæ animæ immortalitatem, ejusqꝫ pro vitæ merito, sive præmia, sive pœnas sint professi. Etenim hæc qvoqꝫ non videntur aliæ gentes olim ignorâsse paucissimis exceptis.* Est enimvero cur ipsos laudemus, ut qvi primi hanc glaciem frègerint; πρῶτοι ἦ, ait *Herodotus*, καὶ τόνδε τὸν λόγον Αἰγύπτιοι εἰσὶ εἰπόντες, ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατός ἐστι. Ex illorum fontibus biberunt cæteræ nationes barbaræ, in hanc sententiam deductæ. Hanc doctrinam ex Ægypto retulit *Pythagoras*, propagavitqve; hanc retulit *Democri-*

tus, Plato, alii, qvod demonstrare ex *Clem. Alex.* l. VI. *Strom.* aliisqve proclive esset, si res opem postularet. Cui cùm ingenii viribus nimiùm fretus non crederet *Aristoteles*, miserabili lapsu in monimentis suis jam impingit, jam pugnantia loqvitur, ceu à multis hactenus ostensum. Sed vehementior deinde *Conringius*: *Dementiæ porrò*, inqvit, *Ægyptiacæ haud leve est argumentum, qvòd primi omnium homines demortuos divinis honoribus sint prosecuti, si credimus Philoni Byblio.* Ab Assyriis primùm venerationis illud genus profluxisse ad Ægyptios multa ostendunt. Et vidit idem *Vossius* l. IX. de Theol. Gentil. Ut taceam in Græciâ Phegoum temporibus Isaaci Patriarchæ, à morte cultum fuisse ut Deum, eiqve boves immolatos, secundum *Augustinum* l. XVIII. de civit. Dei c. III. qvo ævo gyptios ita ineptiisse difficile probatu. Sed ad *Philonem*; apertè ille distinguit, docetqve Phœnices, & Ægyptios habuisse qvidem alios Deorum mortalium, alios immortalium loco. Qvi mortales fuerant, eos utiqve ob beneficia in genus humanum collata venerati sunt, adorâsse tamen planè, ut immortales, nondum deprehendi. Clarè rem pandit oculatus cultûs illis testis Diodorus l. I. Δοκεῖσι οἱ Αἰγύπτιοι, inqvit, τὰς ἑαυτῶν βασιλεῖς προσκυνεῖν τι, καὶ ἡμᾶς, ὡς περὶ ἀληθείας ὄντας θεοὺς. Τοὺς βελομένους τι καὶ δυναμένους τὰ μεγάλα εὑρεγετεῖν, ἡγέμενοι θείας μετέχειν φύσεως. Non tradit *Diodorus*, προσκυνέεσι, sed δοκέουσι προσκυνεῖν. Sed esto! cur non mereantur mortui, & benefici Reges tantum à subjectis suis venerationis, qvantum ficta & commentitia Græcorum Numina? Sed peccaverint nimiâ reverentiâ Ægyptii, parum abest qvin *Conringius* adversus ipsos peccet nimiâ inhumanitate. *Nihil certè*, inqvit, *stultius fuit cultu animalium infra humanam conditionem positorum: & tamen eâ in re Ægyptii insaniverunt præ omnibus aliis populis.* Mitiùs sanè, humaniusqve de iis sapientissimus *Tullius* l. I. de Nat. Deor. *Ipsi*, inqvit, *qvi* [à Græcis, Romanisqve] *irridentur Ægyptii, nullam belluam, nisi ob aliqvam utilitatem, qvam ex ea caperent, consecraverunt: velut ibes maximam vim serpentium conficiunt, cùm sint aves excelsæ, cruribus rigidis, corneo, procerogue rostro: avertunt pestem ab*

Ægyp-

Ægypto, cùm volucreis angueis ex vastitate Libyæ vento Africo invectas interficiunt, atqve consumunt. Ex qvo fit, ut illæ nec morsu vivæ noceant, nec odore mortuæ. Possum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felium dicere: sed nolo esse longus. Ita concludam tamen, belluas à Barbaris propter beneficium consecratas: vestrorum [ô Græci!] *Deorum non modò beneficium nullum exstare, sed nè factum qvidem omnino.* Audiat hoc Hellas, & ligneorum, saxeorumqve Numinum suorum intuitu erubescat. Sed non alienum hic fuerit *Eusebii* qvoqve *Pamphili* judicium experiri, qvi Præp. Evang. l. II. c. II. *Felem*, inqvit, *adorant Ægyptii propter aspidas & serpentes venenatos utilem, ichneumonem propter crocodilos*, &c. *Apin, & Mnevin, qvòd arandæ terræ inserviant, & qvòd iis frugum inventio tribuatur; crocodilos, qvòd eorum metu Arabiæ latrones, Libyæq; Nilum transmittere non audeant.* Accedat & luculentus horum arbiter *Clemens Alexandrinus*, cujus illa sunt Admonit. ad Gent. *Et qvanto melius Ægyptii, qvi vicatim, & per oppida bruta coluerunt animantia, qvàm Græci, qvi tales Deos* [scelestos, impuros, obscœnos,] *adorant? illa enim etsi sint fera, non sunt tamen adultera, nec stupris & libidinibus dedita. Vos autem, qvi non cessatis Ægyptios ridere, qvales estis in bruta animantia? Ex vobis enim ciconias coluere Thessali propter consvetudinem: Thebani mustelas propter ortum Herculis. Qvid vero? anne qvoqve Thessali adorare traduntur formicas, & incolæ Troadis mures? Samii etiam ovem colunt.* *Juvenalis* autem cùm ob cultum bestiarum invehitur in Ægyptios Sat. XV. non advertit se lutum luto purgare. Qvàm enim frivola illius querela?

Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam!

Enimvero si canem venerari turpe est, animal beneficio notum, turpius fortasse erit venerari commentitium qviddam inane, &, si verum qværis, sine mente sonum. Et cui fiat verisimile adeo mente captos fuisse Ægyptiorum sapientes [qvos πάντων λογιωτάτους vocat *Porphyrius*, nam plebem qvis excuset] ut vero adorationis cultu dignas censerent bestias? præclariùs de iis sentiendum, si Scriptoribus antiqvis fides debetur. Agnovere enim unum solum

Deum δημιουργὸν, ac Κνήφ secundum *Eusebium* l. III. de Præp. Evang. c. XII. Et *Plutarchus* l. de Isid. & Osir. *Thebani*, inqvit, *non adorant nisi unum Deum immortalem.* De eo qvàm sanctè & magnificè sentiat ab Ægyptiis edoctus *Orpheus*, prolixè docet *Clem: Alexandrinus.* Agnovere immortalitatem animæ, ut ante monitum, & revivi-scendi spem conceperunt, qvod de *Democrito* ab Ægyptiis instituto docet *Plinius* l. VII. c. LV. Scierunt *vitam* aliam *venturam*, eamqve signo crucis expresserunt in hieraticis suis literis, ut ex *Ruffino* & *Socrate* in histor. Eccles. liqvidum est. Scierunt diluvii historiam, & futuram olim mundi exustionem, ut ex *Origene* contra Celsum apparet: tardè etiam admisere Serapidis sacra, nec nisi coacti. Disertè *Macrobius* Saturnal. l. I. c. VII. *Ægyptii*, inqvit, *neqve Saturnum, neqve ipsum Serapim receperant in arcana templorum, usqve ad Alexandri Macedonis occasum. Post qvem tyrannide Ptolemæorum pressi hos qvoqve Deos in cultum recipere Alexandrinorum more, apud qvos præcipuè colebantur, coacti sunt: ita tamen imperio paruerunt, ut non omnino religionis suæ observata confunderent, nam qvia nunqvam fas fuit Ægyptiis pecudibus aut sanguine, sed precibus & thure solo placare Deos; his autem duobus advenis hostiæ erant ex more mactandæ: fana eorum extra pomœrium locaverunt, ut & illi sacrificii sibi solennis cruore colerentur, nec tamen urbana templa morte pecudum polluerentur.* Qvin & Serapidis oraculum de vero DEO magnificè sensit, ut ex *Macrob.* Sat. l. I. c. XX. discimus. Immò verò Ægyptii Hebræorum morem imitati simulacra, & imagines olim nè qvidem in templa admiserunt. In qvam rem *Plutarchus* in Numâ: *Numæ*, inqvit, *de statuis scita undeqvaqve germana erant placitorum Pythagoræ.* [At Pythagoræ sacra pleraqve ex Ægypto manaverant.] *Neqve enim ille sensui, aut ulli dolori expositum rerum principium esse, sed invisibile, incorruptum, solâ mente existimavit apprehensibile. Hic vetuit Romanos hominis, vel bestiæ formam tribuere DEO: neqve fuit ulla apud eos ante vel picta, vel ficta imago DEI, sed primis centum & septuaginta annis templa exstruxerunt, & cellas Diis; simulacrum per id tempus nullum habuerunt, nefas putantes augustiora expri-*

primere humilioribus, neqve adspirari aliter ad Deum, qvàm mente posse.

Et *Lucianus* l. de Dea Syriâ: *Antiqvitus*, inqvit, *apud Ægyptios absqve simulacris, & statuis templa erant.* Et jactant apud *Diodorum* l. III. Æthiopes à se statuas profectas esse primùm. Non qvidem hæc eò disputantur, ut extra culpam omnem collocentur Ægyptii, qvos vanâ superstitione pollutos fuisse nemo ambigit, nisi in sacris literis hospes, sed ut, si Græcas, Romanasqve in colendis Diis inspiciamus nænias, appareat easdem fuisse Ægyptiis vaniores. Sed qvid si & arcanior securè regnandi ratio latuit sub imperato illo bestiarum cultu, utcunqve id stolido vulgo ignotum? Certè istuc eunt illa *Isocratis* in laud. Busirid. *Busiris*, inqvit, *multas Ægyptiis & varias divinitatis exercitationes constituit, ut qvi & nonnulla animalium apud nos contemptorum coli & honorari lege latâ voluerit: non qvòd eorum vim ignoraret, sed partim vulgus assvefaciendum esse ad observanda omnia Principum edicta existimavit, partim in rebus manifestis experiri voluit, qvid de occultis sentirent, nam qvi hæc negligerent, eos fortassis etiam majora contempturos, qvi autem aqvè in omnibus ordinem conservarent, eos jam edidisse specimen suæ in colendâ religione constantiæ arbitrabatur.* Atqve nè qvisqvam demiretur, cur Ægyptiorum alii bestias qvasdam adorarent, alii mactarent easdem crudeliter, intuendum erit, inter arcana dominationis illam dissensionum materiam qvondam fuisse. In qvam rem *Plutarchus* l. de Isid. & Osir. *Sunt*, inqvit, *qvi Regem qvendam callidum & versutum narrent, qvòd deprehendisset Ægyptios naturâ leves, & ad novas res apprimè proclives esse, eosdemq; ob multitudinem virtibus insuperabilibus, atq; effrænibus præditos, ubi sanâ mente & communi consilio rem vellent gerere: æternæ eis discordiæ occasionem, dispersâ in singulas gentes superstitione, obtulisse. Cùm enim aliis aliorum animalium cultum injunxisset, qvæ inter se inimicitias exercerent, & unum ab alio cibi gratiâ expetitur; dum sua singulæ defendunt animalia, & eorum injurias ægrè ferunt, factum esse, ut ob animalium inimicitias ipsæ gentes, re non observatâ, infestæ sibi, invicemq; hostes redderentur.*

Sed

Sed ut definamus tandem religionem illorum trutinari, cernimus non pauca inter gentilitias illas nebulas veritatis & sapientiæ in Theologiâ Ægyptiorum vestigia, in aliarum gentium [si sacram excipias] prope nullum, nisi ex Ægypto propagatum.

IV. Qvod verò attexit *Conringius*: *Medicinam Ægyptiam vanitate & superstitione Magicâ multum laborâsse*, de eô jam ante ad satiem. Sed fertur & hic obliqvo lumine in *Horapollinem* atqve *Kyrannidas*. Kyrannidum tamen libros hodiernos non esse Ægyptiacæ, sed Arabicæ originis jam ante docuit Cl. *Reinesius*. Sacerdotes Ægyptii, qvorum hieroglyphica qvædam explicare conatus est *Horapollo*, de industriâ sub fabulis philosophabantur, [qvemadmodum jam ante docuimus] ut arcerent profanos, eoqve nihil mirum, si fabulosa qvædam propinet interpres. De cætero, parum sibi cavet *Conringius*, dum ita scribit: *Taceo phœnices, sphinges, aliaq; id genus per sola Ægyptiorum figmenta omnino nata animalia*. Signentur nomine *alia id genus animalia*, ut respondeatur; phœnicis, sphingumqve fabulas solùm Ægyptiis deberi, qvomodo ostendet? Phœnicem Arabiæ tribuit *Plinius*, Assyriæ *Ovidius*; sphingem non viderunt Thebæ ægyptiæ, sed Oedipodioniæ. Sed permittamus illas *Conringio* delitias, spectaturi porrò, qvàm scævâ fortunâ in Ægyptiorum de Nilo doctrinam invehatur.

V. Ita ergo ille animosè: *Qvàm infelices porrò fuerint*, inqvit, *in causis rerum explicandis, argumento maximo est illorum doctrina de incremento Nili. Etenim huic fluvio Ægyptus magnam felicitatis suæ partem debet, & qvotannis incremento ille suo percellit animos incolarum: & tamen à Græcis longè certiora sunt allata, qvàm à sacerdotali ordine per longa seculorum intervalla fieri potuit. Herodoti ætate nihil potuisse de causis hujus rei Ægyptios Sacerdotes differere narrat ille in Euterpe. Strabo etiam memorat ante Ptolomæum Philadelphum, neqve Regum, neqve Sacerdotum Ægyptiorum qvenqvam veram causam incrementi cognovisse: idqve miratur, cum Sacerdotes curiosiùs referrent in sacros libros, & confirmarent, qvæ subtilioris aliqvid haberent cognitionis. Diodorus videtur incidisse in nonnullos, qvi aliqvid hac*

in

in re conati sunt, ineptè tamen. Sacerdotes, inqvit, *Ægyptii ex oceano terram circumfluente Nilum nasci affirmant. At nihil sani memorant, dubiaqve solvunt per dubia*, &c. *Dubito tamen num isthac sententia à Sacerdotibus sit profecta, cùm illi Oceanum Typhoni, Nilum Osiridi adscripserint... Qvod verò per tot secula tantus numerus Sacerdotum sapientiæ opinione turgidorum non potuit, id facile inventu jam Aristoteli fuit. Namqve & ille incrementum annuum Nili, teste Posidonio, pluviis in Æthiopiæ extremis æstate cadentibus adscripsit: sive edoctus à nescio qvo Thrasyalce, sive propriis ingenii viribus fretus. Et pluviarum istarum mentio fit in nostro qvoq; superstite opere meteorologico* l. 1. c. 12. *ut Nili ortus ex τῶ Ἀργύρε καλυμένε ὄρες capite proximè sequente. Ut proinde Aristotelem principem secuti sint Eratosthenes apud Strabonem, & Agatarchides Cnidius apud Diodorum, ut & Posidonius Stoicus, & alii, qvi in eandem sententiam concessere, post rei veritatem à Ptolomæo Philadelpho Rege accuratiùs exploratam. Qvod enim Ægyptii Sacerdotes id ex parte etiam probaverint, ut auctor est Horapollo* l. 1. hierogl. c. 12. *id ex Græcorum disciplinâ ad illos tandem pervenit indubiè. Videntur etenim omne potius Sirii viribus tribuisse, sicut ipsa Sirii vox videtur orta à Σείριος: qvomodo ab Æthiopibus dictam esse Nilum auctor est Dionysius* Περιηγητής. Qvibus satis ostendit *Conringius* nimio Græcorum studio à veritate in diversa se se esse abreptum. Transibo in tantillâ dissertatione novem errores Grammaticos, *Ptolomæum, Ptolomæo, seorsim, Ἀργύρε ὄρες, Agatarchides, dictam esse Nilum, Περιηγητής, indubiè*; cùm exploratum sit, scribendum, *Ptolemæum, Ptolemæo, seorsum, Ἀργυρᾶ ὄρες, Agatharchides, dictum esse Nilum, Περιηγητής, haud dubiè.* Qvæ crimina in oscitantes Sosios impingi fortasse possent, nisi & in editione primâ spectarentur universa. Sed ut rem ipsam intueamur, de incremento Nili ingeniosè judicârunt Ægyptii jam ante Græcos. Qvod miror non advertisse *Conringium*, ut rem notam, & jam olim *Galeno* [in cujus scriptis Medico peregrinari indecorum est] perspectam; qvippe ille l. de Histor. Philos. ex interpretatione *Julii Martiani Rotæ* ita diserte: *Eudoxus*, inqvit, *ab Ægyptiis Sacerdotibus se accepisse memorat*,

rat, permutationem æstatis in hyemem causam esse, cur Nilus quotannis exundet. nam quando nobis, qui sub cancro degimus, æstas ingruit, habitantibus sub capricorno hyems adest. quo fit, ut inde advectus Nilus continuis pluviis auctus increscat, & ruptis alveis latissimè spatietur. Sed & ante *Galenum Plutarchus* de Placit. Philos. l. IV. c. I. de incremento Nili: Εὔδοξος, inqvit, τὰς ἱερεῖς φησι λέγειν, τὴ ὄμβελα τῶν ὑδάτων, κατὰ τὴν ἀνταναπλήρωσιν τῶν ὡρῶν, ὅταν παρ' ἡμῖν εἴη θέρος, τοῖς ὑπὸ τὸν θερινὸν τροπικὸν οἰκοῦσιν, τότε τοῖς ὑπὸ τὸν χειμερινὸν τροπικὸν ἀντοίκοις χειμὼν ἐστιν, ἐξ ὧν τὸ πλημμυρὲν ὕδωρ καταῤῥήγνυται. i. e. *Eudoxus ait Sacerdotes* [Ægyptios] *imbribus & oppositis temporum anni rationibus rem imputare, qvando enim apud nos, qvi sub æstivo habitamus tropico, æstas est, tum iis, qvi è regione sub brumæ circulo degunt, hyemem esse, à qvibus tum exundans aqva prorumpat.* At *Eudoxus* hausit ista ab Ægyptiis, vel ante natum *Aristotelem*, vel certè anteqvam desereret pharmacopolium, ut *Platoni* audiendo vacaret. *Strabo* enim l. XVII. docet *Eudoxum* cum *Platone* ad Sacerdotes Ægyptios profectum esse, ibiqve annos tredecim cum iisdem exegisse. *Diodorus Siculus* in eandem sententiam: *Philosophi*, inqvit, *in Memphi causam incrementi Niliaci adstruunt, confutatu magis difficilem, qvàm probabilem, cui tamen assensum multi præbent. Terram namqve faciunt tripartitam, ut una pars sit in orbe nostro; altera qvæ contraria habeat anni tempora hisce locis; tertia inter duas istas propter æstum inhabitabilis. Si itaqve Nilus se extolleret hyemis tempore, ex nostra Zonâ incrementa fluxus capere ipsum constaret, qvia tunc maximè apud nos pluit. Sed cùm è contrario per æstatem intumescat, credibile est oppositâ orbis regione tempestates hyemales exoriri, undarumq; illic redundantiam ad orbem nostrum deferre. Agatharchides Cnidius proximè ad veritatem accessit: is enim memorat qvotannis in Æthiopiæ montibus pluvias existere continentes à retrogressione solis æstivâ usqve ad diei & noctis æqvationem autumnalem.* Hæc certè non improvidè Ægyptii; agnovere scilicet causam, imbres Æthiopiæ. *Aristoteles* diu post in imbres Æthiopiæ æstivos causam retulit, non suo tamen Marte, sed à *Thrasyalce* edoctus, ut *Straboni* placuit; *Thrasyalces* ab alio, atqve

ille

ille alius ab *Homero*, qvi Nilum è cœlo [i. e. aëre] delapsum scribit. Qvodnam est ergo hîc inventum magnificum *Aristotelis*, cùm gloria omnis redeat tandem ad Homerum? & ipsum Ægyptium, si credimus *Heliodoro* in Æthiop. & *Dioni Prusæo*, *Clementiq; Alexandrino*, & *Olympiodoro* apud Photium. A qvibus autem *Homerus* illa hauriret nisi à Sacerdotibus? sed qvid frigidius, qvàm illud *Conringii? alios secutos esse Aristotelem, post rem accuratiùs à Ptolomæo Philadelpho exploratam.* Cur enim illi *Aristotelem* principem seqverentur, qvi vel à Thrasyalce, vel Platone rem audierat, & non potiùs Philadelphum, qvi per suos viderat, & veritatem qvasi manibus contrectaverat? Tantum potest nimius amor *Stagiritæ.* Sed nè id qvidem alicujus momenti: *videri Ægyptios id omne tribuisse viribus Sirii;* unde enim id fiet verisimile? nihil ad hanc rem, qvòd Nilus Æthiopibus Σῖρις appelletur. Qvid qvod & peream advocet *Herodotum* Conringius, neqve enim is tradit in Euterpe *Sacerdotes Ægyptios suâ ætate nihil potuisse disserere de causis hujus rei*, sed se nihil de hac re ab iis potuisse percipere. Scierant incrementi causam ab imbribus Æthiopicis accersendam, ut ex superioribus constat, sed *Herodoto*, ut homini Græco, & non satis familiari, eoqve fastidito detrectaverant aperire. Sed qvid *Herodotus* de hac re à Græcis illorum temporum hausit? vanissima, ut ibidem agnoscit, & à vero alienissima. Nihil ergo hîc *Aristoteli*, aut Græcis debemus, sed *Thrasyalci*, ejusqve Magistris Ægyptiis. Et ne dubitemus curam huc vertisse Sacerdotes Ægyptios, non ab re fuerit qvædam ex *Heliodori* Æthiop. l. II. delibare: *Ad extremum tandem*, inqvit, *& de Nilo, qvi essent ejus fontes, & qvæ præter alios fluvios peculiaris natura, & unde æstivo tempore solus inter omnes crescat aqvis, qvæstionem mihi qvidam ex urbanioribus proponebant. Me dicente ea, qvæ sciebam, & qvæ de hoc fluvio sacris libris perscripta solis Sacerdotibus cognoscere & legere licet: & narrante qvòd in supremis Æthiopiæ, ultimis autem Libyæ partibus oriatur, qvâ parte orientale clima definens initium meridiei præbet: crescit vero æstivo tempore, non [ut qvidam putarunt] etesiarum adverso flatu rejectus, sed iis ipsis*

ventis circa solstitium æstivum â septentrionalibus partibus versus meridiem, omnes nubes pellentibus ac trudentibus, donec in Zonâ, qvæ torretur ardore solis, colligantur, in qvâ illorum motus retunditur propter incredibilem circumstantis æstus vehementiam, toto, qvi antea fuerat paululum congregatus & condensatus, humore liqvescente, & indè copiosis imbribus cadentibus. Ecqvid solertiùs de incremento illo commenti sunt Scriptores Græci? si nihil horum in Ægypto expiscari qvondam potuit *Herodotus*, neqvaqvam id mirum, qvòd solis Sacerdotibus permissum esset hæc scire, ut perhibet *Heliodorus*. Eudoxus tamen longâ XIII annorum patientiâ, & ingenii sagacis similitudine exsculpserat aliqvid *Herodoto*, ut celeri & temporario peregrinatori inconcessum, mystis tamen illis multo maxima sibi retinentibus, qvem ipsorum morem depingit *Strabo* l. XVII. *Diodoro* idem fere contigit, qvod *Eudoxo*. Sed qvemadmodum diem dies docet, ita accuratiùs omnino de hoc Nili incremento, ejusq; fontibus differentem legat, cui vacat, Ampliss. *Isaacum Voßium* l. de Nili origine.

VI. Succedunt aliæ *Conringii* cum Ægyptiis expostulationes, sed illæ, si probè inspiciantur, pulveris exigui jactu comprimendæ. Docet ignem ab Ægyptiis animatam belluam credi, aqvas superstitiosè coli, Nilum vocari Osiridem, Oceanum Typhonem, terram, qvam Isidem appellant, religiosè celebrari. Qvod de igne, Osiride, Isidе, Typhone hîc Ægyptii, id ex symbolicâ Sacerdotum Ægyptiorum doctrinâ explicandum, qvam luculentè describit *Clem. Alexandrinus* Strom: l. v. *Qvi ab Ægyptiis*, inqvit, *instituuntur, primùm qvidem omnium discunt methodum ac rationem literarum Ægyptiarum, qvæ ἐπιστολογραφικὴ vocatur: deinde verò methodum Sacerdotalem* [ἱερογλυφικὴν] *qvâ utuntur* ἱερογραμματεῖς. *ultimò autem* ἱερογλυφικήν, *cujus una qvidem est per prima elementa κυκλολογικὴ, altera verò συμβολικὴ. Symbolicæ autem una qvidem propriè loqvitur per imitationem, alia verò sumitur allegoricè per qvædam ænigmata.* Rectè de Ægyptiorum vatum sapientiâ *Curtius* l. IV. *Rationem ipsis perceptam non edocent vulgus.* Aqvas Niliacas, ut, ex *Strabone*, omnium præ-

um præstantissimas, & ex *Plinio*, potu etiam fœtiferas, si tanqvam singulare magni Δημιεργοῦ beneficium excepere, nullum qvidem in eo crimen; si ultra progressi veneratione nimiâ, crimen qvidem illud censendum, sed commune Græcis, Romanisqve, ut qvibus omnium fluviorum capita jam olim sacra fuere. Supervenit alius à *Conringio* ictus: *Ejusmodi* [errorum plena] *profectò est*, inqvit *illa de sale doctrina: qvem mensis inferre Ægyptiis Sacerdotibus fuit nefas, qvod Typhonis spumam esse dicerent, ut auctor est Plutarchus. Qvasi scilicet in sale lateat malignum qvid* ὑπερφυικὸν. *Ex eodem fonte est eorundem abstinentia ab esu piscium. Namqve ita Herodotus in Euterpe:* ἰχθύων οὐκ ἔξεστι πάσασθαι, *de piscibus nefas est gustare. Caussa verò indubie haud alia subfuit, qvàm qvòd saltim marini pisces Typhoni, Nilaci Osiridi sacri fortasse sunt crediti.* Fingit nodos *Conringius*, ubi nulli sunt. Cur sale abstinuerint Sacerdotes, caussam reddit *Plutarchus* l. de Isid. & Osir. *Salem*, inqvit, *cibis detrahunt, qvo tempore purè vivunt, qvia sal bibulos magis & voraciores facit. Idem* Sympos. l. VI. *Ægyptiorum Sacerdotes cùm castissimi sint, sale in universum abstinent.* Cur piscibus, rationem validissimam addit *Clemens Alexandrinus* Strom. l. VII. *Maximè abstinent à piscibus*, inqvit, *qvia carnem reddunt humidam.* μάλιστα δ' ὡς παραδοξῶν τὴν σάρκα τῆς ποιᾶσδε κατασκευαστικὰς βοώσεως. Interea indigna *Conringio* est illa sententia: *Caussa indubiè haud alia subfuit, qvàm qvod saltim marini pisces Typhoni, Nilaci Osiridi sacri fortasse sunt crediti.* Ut enim alia, qvæ de Typhonis voce ex *Plutarcho* facile esset adducere, nunc præteream, illud *fortasse*, evertit illud *indubiè* planissimè. Nonnullos Ægyptiorum adorâsse piscem fluminis sive crocodilum, sive alium tradit *Juvenalis*, sed caussam ex dominationis Regiæ arcano profectam, paulò ante ex *Plutarcho* deduximus. Neqve vero ideo abstinuere Sacerdotes Ægyptii à porro, & cæpe, ac si aliqvid divini in illis agnoscerent, qvod irrisori *Juvenali* fortasse visum, sed qvemadmodum bene *Plutarchus* monet l. de Iside, & Osir. *Sacerdotes*, inqvit, *aversantur cæpam, & cavent, qvia usus ejus neqve castimoniam exercentibus commodus est, neqve dies festos celebrantibus, al-*

teris, qvia sitim creat, alteris qvia lacrymas elicit. Qvò usqve se extenderit vis illa divina, qvam animalibus qvibusdam tribuerunt Ægyptii, jam ante ex *Cicerone*, aliisqve ostensum.

Qvibus accedat nunc illud *Luciani* in Deor. convivio, ubi cùm Momus ita in Ægyptios invehitur: *Pudet recensere ciconias, simias, hircos, & alia his absurdiora, qvæ nescio qvomodo ex Ægypto in cœlum migrarunt*: respondet Jupiter: *Pleraqve, ô Meme, ænigmata sunt, non omnino à profanis irridenda.* Qvid de vi verborum, characterum, figurarumqve senserint veteres Ægyptii, oppidò ambiguum est. Nihil de illis *Herodotus*, *Diodorus*, *Strabo*, qvi jam olim terras illas obierunt diligentissimi rerum, morumqve Ægyptiacorum inqvisitores. Magos similibus deliramentis oblectatos fuisse discimus ex *Plinio*, qvo nomine cùm Chaldæorum, Babyloniorum, Persarum, Parthorum, Ægyptiorum antistites hinc inde appellet, forsan nec immunes fuere ab hac labe Niliacorum vaniores. Utcunqve tamen hæc res ceciderit, peccatum illud totius Orientis in unius Ægypti contumeliam trahendum non est: qvin immò excusatiùs ab Oriente peccatum in illâ religionis veræ caligine, qvàm ab hodierno Occidente, ex cujus, licet sacris mysteriis initiatis manibus nullæ hactenus qvanqvam justæ Medentium qverelæ aniles, illas qvibus in febribus potissimùm expugnandis utuntur, qvisqvilias potuerunt satis excutere. Εἰδωλοποιΐαν non esse Ægyptiorum inventum docuimus cap. de *Hermete*. Et prudenter *G. J. Vossius* Assyriis illud adscribit. l. de Physiol. Christ. IX. c. III. Qvin & disertè *Lucianus* l. de Deâ Syriâ: Antiqvitus, inqvit, apud Ægyptios templa statuis caruerunt.

VII. Nondum conqviescit *Conringiana* illa Ægyptios insectandi voluptas, sed: *Adeo certè turpiter*, inqvit, *se se in explicandis syderum facultatibus dederunt, ut astrologicæ divinationis princeps Claudius Ptolomæus Ægyptiacas sententias rarò, vel nunqvam seqvatur.* Duo respondeo. *Primo*, Ptolemæum modestiùs de veteribus Ægyptiis scripsisse. Vox ejus de Judic. l. II, *Qvæ omnia, ita ut exposuimus se se habere cùm & Ægyptii intellexissent, à qvibus maximè*

auctam

auctam hujus artis vim scimus, adjunxere ubiqve astronomicis prævisionibus medicinæ præcepta. Hîc astronomiam pro astrologiâ nominat *Ptolemæus*, more veterum, ut ex *Vossio* constat l. de scient. Mathematicis. *Secundò*, justè dubitari, an Ptolemæus, Antonini primùm ævi Scriptor, omnia veterum Sacerdotum placita Astrologica cognoverit, cùm ipso antiqviores, & ii viri sapientes, longè certiores agnoverint eventus ex prædictionibus Sacerdotum, qvàm nos hodie, ex prædictionibus Ptolemæi. Præclarè *Diodorus Siculus*, & ipse oculatus qvondam testis: *Ægyptii*, inqvit, *accuratissimè syderum constitutionem & motum observant, planetarumq; etiam motus & circuitus, & stationes, & uniuscujusq; vires circa ortus animalium, qvæ bona, aut mala efficiant, cupidè & impensè annotârunt, & sæpe eventuros vitæ casus prædicentes hominibus, vel pecoribus ingruituros præsignificant. Terræ qvoqve tremores, & diluvia, ortusq; cometarum, & qvorumcunqve cognitio humanam excedere facultatem vulgò putatur, ex longi temporis observatione prænoscunt.* Qvis universa ista hodie ex *Ptolemæi* præceptis citra trepidationem, immò hæsitationem definierit? Sed iterum *Diodorus: Thebæi*, inqvit, [Ægyptii] *vetustissimos se mortalium omnium prædicant, apud qvos omnium primos philosophia, & accurata astrologia inventa sit, adjuvante ipsos terræ situ ad ortus & occasus syderum illustriùs cognoscendum, modoq; peculiari menses & annos apud se ordinatos esse.* Et mox: *Hi solis & lunæ defectus accuratè videntur observâsse, & divinationes ex his ita instituunt, ut singulatim omnes eventus certissimè prædicant.* [ἀδιαπλώτως, inqvit, προλέγοντες] Qvod nemo de *Ptolemæi* prædictionibus affirmaverit. Qvanto autem apparatu observationibus illis suis incubuerint, facilè inter alia ostendit pretiosissimus ille aureus circulus in fastigio sepulcri Osymandyæ jam olim ab astrologis dispositus, & à Cambyse abreptus, de qvo antea ex *Diodoro* qvædam attulimus. Qvod si *Eudoxus*, & *Plato* familiari XIII. annorum consvetudine non nisi pauca huc spectantia exsculpere ab iis potuere, multo plurima occultantibus Sacerdotibus, qvod *Strabo* docet l. XVII. qvid post aliqvot secula, dirutis per tot bellorum rem-

tempestates Sacerdotum ædibus, & instrumentis, ipsisqve Sacerdotibus emortuis, addiscceret inde *Ptolemæus*, nisi communiora illa, qvæ in publicum olim exire passi erant, retentis arcanioribus? In qvo judicio tantò securiùs acqviesco, qvò certior sum honoratissimum Dn. Collegam, *Erasmium Bartholinum*, in cæterâ ingenii magnitudine illustrem Mathematicum, ejusdem mecum esse sententiæ. Qvæ ab Ægyptiis Astronomis prognostica morborum, & sanitatis didicit *Galenus*, ea ingenuè fatetur perpetuæ & constantissimæ esse veritatis *de dieb. decretor.* l. III. c. VI. Qvàm certò ab Ægyptiis Sacerdotibus eruditus *Milesius* ille *Thales* præsagierit futuram olei anno seqvente ubertatem, notum est ex *Hieronymo Rhodio* apud Laertium, & *Aristotele* l. I. de Republ. c. XI. His, si operæ pretium est, accedat *Lucianus* l. de Astrol. *Ægyptii*, inqvit, *divinandi rationem, qvam ab Æthiopibus dimidiatam acceperant, in majus provexere, qvippe qvi mensuram etiam, ad qvam qvævis stella movetur, indicârunt.* &c. Et Aristoteles l. II. de cœlo c. XII. agnoscit se ab Ægyptiis, & Babyloniis multa fide digna de singulis stellis accepisse. Qvod autem obducit *Conringius*, Ægyptios hac parte non tam ad longi temporis observationes provocâsse, qvàm ad divinas revelationes, qvia *Firmicus* tradit Mercurii Numen Æsculapio, & Anubidi secreta ejus scientiæ commisisse, id nihil efficit; neqve enim *Firmico* aliud est Mercurii Numen, qvam Mercurius, sicut eidem Constantini Imperatoris Numen non est nisi Constantinus. Id vult *Firmicus*, primum Astronomiæ auctorem, à qvo Æsculapius, & Anubis didicerint, fuisse divinum illum virum Mercurium, qvod & jam ante prolixiùs cap. de Hermete, ex *Manilio*, aliisqve demonstratum est. Accedunt clarissima *Diodori* verba: *Ægyptios ex longi temporis observatione talia præsoscere*, non ex Dæmonum ministeriis. Et ex qvàm sanctis initiis ad Ægyptios descenderit Astrologia, testis est *Josephus* Ant. Judaic. l. I. c. XVI. *Arithmeticam Ægyptiis*, inqvit, *contulit Abraham, & qvæ de astrologiâ sunt, ipse tradidit, nam ante adventum Abrahami hæc Ægyptii penitus ignorabant.* Sed suspicionibus iudulgeat, qvi volet. De

Manilio

Manilio, & *Firmico* idem ferè esto judicium, qvod de *Ptolemæo*. Qvod ad reliqvas artes Mathematicas, laudantur & Ægyptii passim, qvòd in illis excelluerint. Arithmeticen [qvâ ad stuporem valuisse dicitur] ab Ægyptiis didicit Pythagoras, judicio *Diodori*, & *Flavii Josephi*, qvibus plus qvàm *Malcho*, aut *Jamblicho* hîc tribuendum. *Euclides* numerorum inter alia magister in Ægypto vixit, ex *Proclo Diadocho*. Περιττῶν, & κυβίων, id est artem calculis, & cubis numerandi invenere Ægyptii tradente *Platone* in Phædro. Qvid præstiterit hac parte *Diophantus Alexandrinus*, in confesso est. Fuerit autem is fortassis Græcæ originis, dum in Ægypto maturitatem studiorum adeptus sit. Geometriam Ægyptiis familiarissimam fuisse, ex *Diodoro*, *Strabone*, *Servio*, *Proclo*, constat. Et *Herodotus* in Evterpe: *Videtur mihi*, inqvit, *Geometria in Ægypto inventa posî in Græciam devenisse.* Hîc *Conringius*: *Omnis*, inqvit, *Geometricæ peritiæ laus penes solos fuit Græcos à Pythagoræ, vel certè ab Evdoxi usqve & Platonis ævo.* Qvod si id agnosceremus, non ideo fraudandi laudibus Ægyptii, cùm facilè sit inventis addere. Verisimile tamen est Ægyptios, ut mortalium tectissimos, neq; hîc omnia patefeciisse vel *Pythagoræ*, vel *Eudoxo*, vel *Platoni*. Qvid Evdoxo, & Platoni in Astronomicis apud eos contigerit, post XIII annorum familiaritatem, narratum est antea. Cur non & celarint qvædam Pythagoram? & inter alia propositionem illam, qvâ ipse demum suo Marte inventâ præ gaudio exsultans immolavit hecatomben? Qvocunq; res ceciderit, nè id qvidem inglorium est, post locupletem messem aliis permittere spicilegium. Ægyptiorum in Astronomicis singularem peritiam laudat *Herodotus*, *Aristoteles*, *Diodorus*, *Strabo*, *Macrobius*, alii. Sed nè sic tamen satis probantur *Conringio*, cujus ista sunt: *Nunqvam Ægyptios in ratione anni, adeoqve motûs Solaris ad veritatem perveniisse.* Qvid si nunqvam etiam Græci? Si qvid tamen singulare prodiderint Græci, totum illud ex Ægypto advectum est, unde & Evdoxus primus ab Ægypto motus planetarum in Græciam transtulit, monente *Senecâ* l. VII. Nat. Qvæst. Hinc ex Græciâ opem non sollicitavit in redigendo ad cursum solis

anno sapientissimus Princeps *Julius Cæsar*, sed ex Ægypto. Qvin & qvatuor post *Julium* seculis de Alexandriâ Ægypti urbe ita *Marcellinus* ex fide oculatâ: *Nudatur*, inqvit, *ibi geometrico radio qvicqvid reconditum latet, nondumq; apud eos penitus exaruit Musica, nec harmonia conticuit, & recalet apud qvosdam adhuc licet atros* [Valesius *raros*] *consideratio mundani motus, & syderum, doctiq; sunt numeros haud pauci: super his scientiam callent, qvæ fatorum vias ostendit.* Et mox: *Sed si intelligendi divini additionem multiplicem, & præsensionum originem mente vegetâ qvisqvam volverit replicare, per mundum omnem inveniet mathemata hujusmodi ab Ægypto circumlata.* Sed qvos demum secutus est *Julius Cæsar* magistros? Respondet *Macrobius* Saturn. l. 1. c. XIV. *Post hoc imitatus C. Julius Cæsar Ægyptios, solos divinarum omnium rerum conscios.* Ex qvibus deniqve Sosigenem Ægyptium nominat *Plinius* l. XVIII. c. XXV. Sed iterum *Macrobius* l. 1. Saturn. c. XVI. *Nec mirum*, inqvit, *si hæc digeries* [anni] *morsum reprehensionis evasit; cui accersita est ab Ægypto postrema correctionis auctoritas. Nam Julius Cæsar, ut syderum motus, de qvibus non indoctos libros reliqvit, ab Ægyptiis disciplinis hausit, ita qvoq; hoc ex eadem institutione mutuatus est, ut ad solis cursum finiendi anni tempus extenderet. Latii verò veteres incolæ, qvia nihil jam tum discere ab Ægypto licebat, ad qvam nullus illis commeatus patebat, morem Græciæ in numerandis mensium diebus secuti sunt.* Utcunqve autem longa ætas rem jam tandem paulò accuratiùs determinaverit, constat utiqve nihil uno impetu perfici. Id saltem hinc evidentissimè conficitur, *Macrobium* etiam *Jul. Cæsaris* ævo sapientiam illam Ægyptiam Græcæ præferre; & simul manifestum evadit, qvanqvam ab Alexandrinis didicerit *Cæsar*, disciplinam tamen illam, non Græcam censendam, sed Ægyptiam, utcunqve constet Alexandriam Græcanicæ gentis, id temporis, & postea, non vacuam fuisse doctoribus, sed qvi ex Græciâ studiorum causâ illuc commigraverant, ultimam ibi limam recipientes, & propter πλὼ ὅικοι πλεῖν [ita *Dion Prusæus* loqvitur] ut alias mittam causas, plerumq; commorantes, qvæ ipsi Alexandriæ didicerant, alios postea docturi.

VIII.

VIII. Ut proinde mirari subeat, cur l. 1. c. IX. ita insurgat *Conringius: Ex qvo*, inqvit, *in Græcorum potestatem Ægyptus pervenit, ut Philosophia, aliæq; artes, ita etiam Medicina aliqva Græcanica in mediâ Ægypto, cumprimis Alexandriæ viguit, immò usqve adeo veteri Ægyptiacæ disciplinæ est prælata, ut illa tandem ab omnibus contempta defecerit.* Et postea: *Non potuit omitti, saltim ut appareat, Græcos in ipsam Ægyptum suam Medicinam introduxisse, non autem usos esse veteri illâ Ægyptiacâ.* Si hoc est in potestatem Græcorum pervenire, regnari Duce aliqvo, qvi sub Alexandro M. qvondam militaverat, eo etiam pacto non modò Asia, qvæ post Antigono paruit, & Syria, atqve Babylon, qvæ Seleuco, & Thracia, qvæ Lysimacho, Græcorum fuerint à morte Alexandri, qvi terris non nisi ostentatus est. Qvin si Alexander Magnus patre Nectanebo Ægyptio natus sit, qvò non nemo apud *Evsebium Pamphilum* inclinat, Monarchia illa Alexandri non inconvenienter etiam Ægyptia dicetur. Sed fac, Græcam postea fuisse Monarchiam, in qvâ tamen Græcia miserabiliter serviit, certè non ideo Medicina Græcanica viguit in mediâ ægypto, sed potiùs Græci in Ægyptum ventitantes, Ægyptiorumqve doctrinis eruditi, ut erant ad scribendum excitatiores, præ istis sedatioribus, & jam Ptolemæorum imperio obnoxiis, magis inclaruere in vulgus. Qvòd si Græca fuerit illa Alexandrinorum eruditio, & non Ægyptia, cur illustria Græcorum id temporis Lycæa, qvæ doctissimos illos homines in Ægyptum miserint, monstrari neqveunt? ubi demum in totâ Hellade nobilis illa Astronomorum palæstra, qvæ syderalis scientiæ Magistros in Ægyptum ablegaret, ut instruerent Alexandrinos? Nebulæ sunt in pariete. Græci ex patriis scholarum umbris modicam secum eruditionem etiam sub regnatoribus Ptolemæis Alexandriam transtulerunt, qvam ibi ex doctissimorum hominum conversatione, factisqve experimentis, in fastigium evexere altius. Qvid multis? Alexandrini docuere Græcos, non Græci Alexandrinos. In hanc rem *Athenæus* Deipnos. l. IV. c. XXV. *Menecles Barcæus scribit*, inqvit, *& Andron in Chronicis Alexandrinorum, qvòd*

*Alexandrini tum Græcos omnes, tum Barbaros docuerint, cùm omnis ferè circularis disciplina defecisset ob mutationes crebras, qvæ temporibus eorum, qvi Alexandro successerunt, contigere. Fuit autem & rursus totius disciplinæ innovatio temporibus Ptolemæi, qvi septimus regnavit in Ægypto; ejus nimirum, qvi ab Alexandrinis legitimè Cacergetes fuit nominatus. Hic enim cùm multos Alexandrinorum jugulâsset, complures*q; *in exilium, ex iis, qvi fratris sui tempore pubescerent, fugâsset, insulas & urbes omnes viris Grammaticis adimplevit, Philosophis, Geometris, Musicis, Pictoribus, Pædagogis, Medicis, aliis*q; *compluribus, qvi ob paupertatem docentes ea, qvæ sciebant, multos viros eximios effecerunt.* Qvin autem Græci illi ab Alexandrinis informati aliqvid paulatim inventis adjecerint, qvæ gentis erat sagacitas, nemo ambigit. Sed ea laus communis est omni politiori nationi. Et qvam deniqve novi generis Medicinam introducerent Græci in Ægyptum, nisi qvam ipsorum Majores ab Ægyptiis didicissent? certè rationalis medendi methodus una duntaxat est, qvam, ut ex superioribus constat, tenuere Ægyptii; si qvid invexere Græci huic contrarium, suo, suorumqve id fecerint periculo; si exempla, experimenta, inventa nova, veritatem antiqvam firmantia, non est hoc, Græcanicam Medicinam illic introducere, sed veterem Ægyptiam ibidem illustrare. Sed est, qvod adhuc moveat *Conringius: Et verò*, inqvit, *jam olim cœperat à Persis qvoqve Ægyptiacæ Græcanica* [Medicina] *præferri. Darium Hystaspis luxatione femoris laborantem, cùm malè curâssent Medici, qvos ex Ægypto adduxerat clarissimos, à Democede Crotoniensi sanatus est. Ctesiâ Cnidio primùm Cyrus junior, inde ejus frater Artaxerxes Medico usus est. Hippocratem etiam accersi curavit Artaxerxes, si credimus epistolis, qvæ feruntur, & vitæ per Soranum conscriptæ. Apud Macedones Ægypti Reges ullo in pretio sive Philosophos, sive Medicos Ægyptios fuisse nusqvam est legere.* Hæc compendio. Sed 1. Darius non laborabat luxatione femoris, sed ejus ἐξαρθρήσει ἀστράγαλ@· ἐκ τῶν ἄρθρων, docente *Herodoto*. 2. Democedes non nisi Chirurgus erat, sed multi egregii Medici hanc Medicinæ partem aliis delegant, ut nimis

nimis servilem, & sordidam. 3. Didicerat jam ex eventu Ægyptiorum Democedes contrariâ medicinâ utendum; si prior advocatus, eâdem fortassis oberraturus chordâ. Sed & qvis omnes Ægypti Medicos dexteritate pares arbitrabitur? immò qvàm extra patriam hospitari præstantiores Ægyptiorum Medici detrectaverint, facilè suo exemplo docuerit ocularius ille Medicus Ægyptius, qvi, qvòd in Persidem à Cambyse missus esset ad curandum Cyrum, atqve hoc ipso ab uxore tamdiu abstractus, summa imis verterenon dubitavit, de qvo *Herodotus* in Thaliâ. Usus autem sit Ctesiâ Cyrus, certè Artaxerxem advocâsse Hippocratem, scio nè ipsum qvidem *Conringium* adduci ut credat, qvòd ex solidâ antiqvitate desint testimonia. Si Ptolemæi Ægyptios Medicos non accersierint, fortassis non satis fidebant recens subactæ genti, & ad libertatem anhelanti pristinam, qvemadmodum vix hodie Galliarum Rex curam corporis permitteret Batavo Machaoni, utcunq; artis scientissimo. Sed nos iterum ad institutum.

IX. Qvid in lunæ, aut cæterorum planetarum motibus definiendis præstiterint veteres Ægyptii, non ita fortassis liqvidum est, nisi qvòd ex effectu constet, eos etiam hâc parte superâsse qvicqvid Græcanicorum hominum vel in Ægypto, vel alibi postea consedit. Certè enim *Eudoxus*, *Hipparchus*, *Aratus*, immò *Ptolemæus*, & nationes aliæ cultiores horum inventis suffultæ, adhibitâ licet in observationibus Astronomicis sedulitate non perfunctoriâ nihil hactenus potuere, qvod cum Thebæorum Ægyptiorum ἀκριβείᾳ comparari mereatur, si verus est Scriptorum antiqvorum veraciissimus *Diodorus Siculus*, cujus illa sunt de Thebæis: *Hi solis & lunæ defectus accuratè videntur observâsse, & divinationes ex his ita instituunt, ut singulatim omnes eventus ἀδιαπτώτως prædicant.* Id qvàm nondum licuerit aliis nationibus etiam post Alexandrinorum industriam præstare, clarissimè [ut aliàs sæpe] observatum nobis fuit in universali illâ solis Eclipsi, qvæ in Augustum mensem anni M. DC. LIV. incidit, ubi nec tempus accuratè, nec modùs respondit fastorum prædictionibus, involvente se densissimis tenebris,

clarâ meridiei luce, sole toto, cujus partes non nisi undecim obscurandas vaticinati erant Mathematici, etiam seduli. De cæteris planetis vel ex his licebit judicare. Qvid multis? Si veteres Ægyptii scientiam illam astrorum Abrahamo debent, qvò inclinat etiam *Conringius*, non mirum, si à tam integræ fidei viro, non nisi certa & indubitata didicerint, qvibus & ipsi diuturnis observationibus edocti plura egregia adjecere. Illud interea falsum deprehenditur, qvod auctore *Achille Tatio* videtur sibi observâsse *Conringius: Medio loco*, inqvit, *inter planetas solem ab Ægyptiis esse collocatum, qvasi ille semper emineat super Mercurium & Venerem auctor est post Dionem Cassium Achilles Tatius. Et tamen etiam hoc erroneum esse hodie constat.* Enimvero Ægyptios non ita in medio collocâsse solem, ut semper supra Mercurium, & Venerem emineret, locuples Auctor est *Macrobius* in Somn. Scipionis l. 1. c. xix. ubi inter alia: *Trium sibi proximorum*, inqvit, *Veneris, Mercurii & Solis ordinem vicinia confudit; sed apud alios, nam Ægyptiorum solertiam ratio non fugit; qvæ talis est. Circulus per qvem sol discurrit, à Mercurii circulo ut inferior ambitur. Illum qvoqve superior circulus Veneris includit: atqve ita fit, ut hæ duæ stellæ, cùm per superiores circulorum suorum vertices currunt, intelligantur supra solem locatæ: cùm verò per inferiora commeant circulorum, sol eis superior æstimetur*, &c. A qvâ sententiâ Ægyptiorum, qvàm non alieni sint optimi Mathematici in confesso est, & in iis N. *Copernicus*, & illustris *Tycho* noster, qvorum gloria cùm ex solido sit, & industria in his sacris infatigabilis, nusqvam tamen visi sunt de veterum Ægyptiorum sapientiâ Astronomicâ tam humiliter, qvàm *Conringius* Medicus sentire.

X. De practicâ Ægyptiorum sapientiâ mitiùs qvàm pro more suo *Conringius*, ita tamen, ut hic qvoqve dentem imprimat. *Fatendum omnino ducimus*, inqvit, *inter illa, qvæ vel Herodotus, vel Strabo, cum primis autem Diodorus recensuit, multa esse prudentissimè instituta. Judiciorum sanè rationem longè fuisse meliorem, qvàm in Græcis, optimè est observatum Diodoro. Ita & Regis Bocchoridis de commer-*

ciis,

cris, & consvetudo de conjugandis hominibus insignem merentur laudem. Saltem ergo hic *Conringio* expressa est confessio victæ ab Ægyptiis Hellados, & qvidem in re omnium maximâ, qvæqve totius Reipublicæ felicitatem complectitur. Qvis credat Reges & sapientes Ægyptiorum in administrandâ justitiâ adeo incorruptos, tantopere insano Dæmonum cultui fuisse immersos, qvàm docto, sed invido calamo figurat Conringius? Sed nondum absolvit sententiam, verùm post pauca: *Et verò*, inqvit, *rerum civilium peritior nemo non videt noxiam fuisse Ægyptiis illam divisionem hominum in milites, sacerdotes, & plebem, cuiq; parti injuncto munere non abeundi ab avito genere vivendi, ut ut illud imitatus olim in Cretâ sit Minos, & Aristoteles noster videatur laudâsse. Ab agriculturâ enim, & omni opificio, immò à civilibus negotiis remotus miles, longâ pace necessum est emollescat, & luxurietur, illis interim, qvi operi (rustico cumprimis) sunt intenti, ad arma, adeoq; ad motus invalescentibus. Non enim aliâ de causâ motus maximos sensit prisca Ægyptus à pastoritii generis hominum rebellione, & cùm sæpe paruisset Æthiopibus, deniqve à Persis pene nullo fuit negotio superata: ex eo usqve tempore perpetuò serva. Videtur sanè ipse Sesostris Rex illud vitium militiæ Ægyptiacæ vidisse, adeoq; res magnas gesturus longè alio milite est usus, ceu ipse narrat Diodorus. Est verò & contra naturam ingenii humani qvemlibet ad paternæ vitæ genus adigere: cùm liberi sæpissimè à parentibus suis ingenio sint diversissimo.* Viderit *Conringius*, qvomodo hæc conveniant etiam divinis monumentis, qvibus juberur una tribus Levi omnium curare sacra, nec egredi magisterio parentum, utcunqve & istic similitudo ingeniorum neqvierit esse perpetua. Miles non frangitur otio, si perpetuò roborat manus exercitiis militaribus, non emollitur luxuriâ, si justi belli fervori, velitationibus, & imaginariâ freqventer proludit incursione. Qvin &, si *Horatio* credimus, fortes creantur fortibus; his adde, si degeneret unus & alter, multitudine cæterorum id pensari. Hodie Tartari, Cosaciqve pœne omnes militiam seqvuntur, comitante natos natorum eadem ferociâ; tantum potest consvetudo. Sed &

Ægyp-

Ægyptiorum res militaris [qvanqvam ex *Strabone* constet Ægyptios non fuisse naturâ admodum bellicosos] ita prudenter constituta fuit, ut Romani à Græcis, Græci ab Ægyptiis artem bellandi didicerint, & signa ante legiones ponenda, sicut & optima qvoqve militaria præcepta per Lycurgum ab Ægypto ad Lacedæmonios translata sunt, qvemadmodum atteſtatur *Plutarchus* in vita Lycurgi. De qvo prolixiùs apud *Vegetium Stewechius*; ubi simul discimus Hannibalem à Lacedæmonio Doctore illa didicisse, qvibus usus *tot Consules Romanorum, tantasq. legiones, inferior numero & viribus interemit.* At Lacones ista ex Ægypto. Si qvandoqve succubuit Æthiopibus Ægyptus, qvandoqve etiam Æthiopia succubuit Ægypto, ita vices rerum sunt. Disertè *Plinius* l. VI. c. XXIX. *Ægyptiorum bellis attrita est Æthiopia viciſsim imperitando, serviendoq.* Cambysi cessit, & hodie serva est, cæterùm id magis fatorum arbitrio, qvàm legum errori attribuendum. Cessit & aliis Hellas, & Macedonia ipsa, aliæqve bellicosæ nationes, licet diversis gubernatæ legibus militaribus, jamqve tot seculis Thracio supplicant raptori. Si pastoritii generis bella concussere nonnunqvam Ægyptum, leges in culpâ non fuere. Nonne bella servilia qvondam, & illa gladiatoria Spartaci Romam in discrimen egere? neqve tamen Roma legibus regebatur Ægyptiis? Sesostris Ægyptiis suis ad res magnas gerendas usus est, sed ex præcepto parentis, ad labores priùs longo usu induratis, ut auctor est *Diodorus.* Qvod si postea in otio disciplinam illam laxaverint Calasiries, & Hermotybies, non tam legibus illud imputandum, qvàm nimiæ præfectorum indulgentiæ, qvæ etiam fortissimos exercitus non rarò enervavit. Fuisse autem leges Ægyptiorum non infeliciter excogitatas, vel illud unum *Diodori* testabitur: *Qvocirca*, inqvit, *longissimo tempore sub Regibus memoratis integrum Reipublicæ statum conservârunt, in summâ felicitate vitam exigentes, qvàm diu hæc legum constitutio vigebat.*

XI. Sed audiamus cætera *Conringii: Nec sanè*, inqvit, *si qvæ fuit in Ægypto artificum præstantia, huic legi illa est adscribenda cum*

Diodo

Diodoro. Namq; ubi contrarius mos obtinuit, ut in Græciâ & passim alibi, par fuit, si non major artificum excellentia: operibus Ægyptiis illis antiqvissimis admirationem immensitate sumptuum & laborum potiùs merentibus præ Græcis, aliisq;, qvàm artificio, si rem rectè æstimamus. Unius Petronii Romani industriâ plus collatum esse fertilitati Ægypti, qvàm per multa secula ab artificibus Ægyptiis ipsismet locuples testis est Strabo. Artifices Ægyptiorum fuisse omnium solertissimos opera eorundem hodieqve loqvuntur vel Romæ spectata. Qvicqvid ex Græciâ prodiit ingeniosum, ex Ægyptiorum primùm manavit fontibus. Jam olim qvoq; *Diodorus*: Ἀλλὰ μὴν καὶ τὰς τέχνας ἰδεῖν ἐστι παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις μάλιστα διαπεπονημένας, καὶ πρός τι καλὸν τέλος ἠκριβωμένας. Et postea? *Ex cujuscunqve artis professione demonstrationes afferunt, qvibus probant ex Ægypto cuncta, qvibus illi* [artifices] *sibi apud Græcos admirationem peperere, esse translata.* De statuariis Ægyptiis varia egregiè *Diodorus*, inter alia narrat omnes qvantivis pretii ἀγαλματοποιοὺς Ægyptum freqventâsse, inqveiis Teleclem, & Theodorum in Græciâ celeberrimos. Qvàm ingeniosè fabricaverint, & pinxerint simulacra mortuorum, & qvàm sapienter iis usi sint, mortis suæ memoriam refricantes, præter alios testis est *Herodotus* in Euterpe. Laudatur & *Plutarcho* in sept. sapient. convivio ὁ Αἰγύπτιος σκελετός. Qvalem *Hippocrates* olim misit Apollini Delphico, sed ex ære fabrefactum, si verus est *Celsus*. In architectonice qvis ausit se ad Ægyptios comparare? Admirabilis ille labyrinthus Ægyptius, & ante Cretensem omnium in se oculos convertit, & post illius casum incolumis diu perennavit, nè de aliis nunc loqvar. Sed nè similia magis cum *Conringio* sumptuum immensitati tribuamus, qvàm solertiæ artificum, intercedit *Diodorus*: Καὶ φασὶ, inqvit, δεῖν θαυμάζειν μᾶλλον τὰς δεξιοτέχνους τῶν ἔργων, ἢ τὰς βασιλέας, τὰς παρασχομένας τὰς εἰς ταῦτα χορηγίας. Sic & Osymandyæ sepulcrum, non tantùm à sumptuum magnitudine laudat *Diodorus*, sed & ab artificum solertiâ. Mumiæ Ægyptiorum hodieqve integræ durant; utqve dixeris, & nostros homines eadem posse, respondebit pro me *Columbus* post inventam

Occidentalem Indiam, similia ab invidiæ stimulo agitatis percipiens Hispanis: *Postqvam vidistis, ô boni! imitari non difficile est, sed invenisse primùm, hoc opus, hic labor.* Ut taceam *Bilfii* hac parte tentamenta, utcunqve egregia, jam diu computruisse. Qvâ solertiâ fabricaverint olim navigia, nuper erudito scripto testatus est *Nicolaus VVitsenius*, Senator Amstelredamensis. Qvid qvòd testaceas etiam scaphas commenti sint, qvarum beneficio facillimè Nili fossas tranabant, teste *Strabone* l. XVII. Jactent suum Iasonem Græci, ut primum navitam, dum constet, multis ante Iasonem seculis, Isidi Ægyptiæ idem usu venisse. Etenim *Hyginus* fab. CCLXXVII. *Velificia*, inqvit, *primùm invenit Isis, nam dum qværit Harpocratem filium suum, rate velificavit.* Hinc & Ægyptios Isidi qvotannis naviculam obtulisse discimus ex *Herodoto*; sed & teste eodem *Herodoto*, nondum nato Iasone, Sesostris Ægyptiorum Rex navibus longis maris Erythræi accolas subegit, &, ex *Diodoro*, navigium struxit cedrinum exteriùs auro, interiùs argento obductum, qvod DEO Thebæorum religiosè dedicavit. Taceo Danaum navi pervectum fuisse in Græciam; taceo naves Ægyptiorum antiqvas ex spinâ confectas, de qvibus *Herodotus*; taceo Phœnices, & Sidonios, qvi primi navium architecti creduntur, Mercurio Ægyptio adscribere inventum illud, teste *Manlio*: illud tantùm *Luciani* adjungam: unam qvandam navem *Ægyptiam unâ vice tantum frumenti gestare potuisse, qvantũ integro anno terræ Atticæ nutriendæ sufficeret.* Cochlearum Ægyptiarũ, qvibus utebantur olim ad exantlandas ingeniosè aqvas, meminit *Strabo*, qvas ut invenerit Syracusius ille *Archimedes*, in Ægypto tamen, ut matre artium, invenit, teste apud Diodorum *Posidonio.* Sed nec defecit polydædala Ægyptiorum natio in excogitandis machinis, qvibus incumbentem Alexandriæ cum exercitu Julium Cæsarem propemodum ad extrema desperationis redigeret, de qvibus *Aulus Hirtius*, Alexandrini belli Scriptor: *Ganymedes*, inqvit, *magnam aqvæ vim ex mari rotis & machinationibus exprimere contendit: hanc locis superioribus fundere in partem Cæsaris non intermittebat.* Subjungit postea, *redditam* hac arte *aqvam*

Cæsa-

Cæsarianâ urbis Alexandriæ parte, adeò salsam, ut bibi non posset, & fugam milites Cæsaris meditarentur. Et nostri improvisâ hîc obsidione ante hos XIV. annos tentati istius solertiæ memores subitum diluvium inimicis ad fossas urbanas cuniculis destinabant, superfusuri haud dubiè, ni hostis relictâ opportunè statione in tutiora se recepisset. Qvid qvod in plebe etiam Ægyptiâ ingenium eluxerit seculorum memoriâ dignum? Enimvero admirabile illud hydraulicum instrumentum Alexandrinæ regionis inventum est, prodiitqve ex officinâ Ctesibii tonsoris, qvod apud *Athenæum* docet *Aristocles*. *Vitruvius* tamen l. IX. c. IX. Ctesibium illum patre tonsore Alexandriæ natum asseverat. Qvicqvid horum sit, nihil illâ Musicâ delicatius, qvod in horto Pontificis Romani Qvirinali experimentis declaratum notavi. Etiam rusticam Ægyptiorum nationem inventionum utilium felicitate reliqvum orbem superasse vel sola pullities Ægyptia, ut alia nunc mittam, ostenderit. Supervacuum forsan erit qvicqvam hîc addere sive de thorace Ægyptio, qvem Persæ bellaturi in munimentum corporis elegerunt, suis inventis diffisi, qvod *Herodoti* Clio adstruit; sive de scuto, & galeâ Ægyptiorum, de qvibus *Herodotus* in Thalia: *Affirmârim*, inqvit, *ab Ægyptiis & scutum, & galeam Græcis esse tradita*; sive de tympano bellico, qvod inventum cùm Ægyptiis debeatur, secundum *Clem. Alex.* Pædag. l. II. ab iis in Europam latissimè transiit, hodieqve militaribus ingeniis laudatum. Nihil addo de monaulo, & photinge Osiridis, secundum *Athenæum*, invento; nihil de pandurâ Ægyptiorum, de qvâ *Mart. Capella*; nihil de chartâ hieraticâ, aut de textilibus, de qvibus *Plinius*; nihil etiam de picturâ lineari à *Philocle* Ægyptio repertâ, si verus est idem *Plinius*. Non ab re tamen fortasse fuerit de alio pingendi genere audire *Plinium* l. XXXV. c. XI. *Pingunt*, inqvit, *& vestes in Ægypto, inter pauca mirabili genere, candida vela postqvam attrivere, illinentes non coloribus, sed colorem sorbentibus medicamentis: hoc cùm fecere, non apparet in velis: sed in cortinam pigmenti ferventis mersa post momentum extrahuntur picta. Mirumq;, cum sit unus in cortina color, ex illo alius atqve alius*

sit in veste, accipientis medicamenti qualitate mutatus: nec postea ablui potest: ita cortina non dubiè confusura colores, si pictos acciperet, digerit eos ex uno, pingitq; dum coquit: & adustæ vestes firmiores fiunt, quàm si non urerentur. Vel ex hoc uno subtilitatem ingenii Ægyptiaci internoscere licet. Sed & picturæ genus encausticum Ægyptiis familiare fuisse docent illa *Plinii* l. xxxiii. c. ix. *Tingit & Ægyptus argentum, ut in vasis Anubem suum spectet, pingitq;, non cœlat argentum.* De quo genere picturæ encausticæ Ægyptiorum agit & *Heliodorus* in Æthiop. Esto tamen, aliquid subinde adjecerint Græci ad decus artium augendum, nè hoc quidem nomine Ægyptiis præferendi sunt, cùm addere inventis aliquid faciliùs sit, quàm subtiliter invenire. Atque ut ingenium gentis Ægyptiacæ inspiciatur, nullis fortunæ adversitatibus ab industriâ solenni avocandum, è re fuerit *Adriani Cæsaris* sententiam de Alexandrinis notâsse, quam *Fl. Vopiscus* memoriæ reliquit hunc in modum: *Civitas*, inquit, [Alexandria] *opulenta, dives, fœcunda, in quâ nemo vivat otiosus. Alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur, alii linyphiones sunt: omnes certè, cujuscunq; artis & videntur, & habentur. Podagrosi quod agant, habent: habent cæci, quod faciant: nè chiragrici quidem apud eos otiosi vivunt.* Sed in his popularibus artibus docendis, evulgandisque nulla apud Ægyptios invidia, quin potiùs humanitas summa & facilitas vix ulli alii hactenus usurpata nationi, quod vel illa *Galeni* docuerint l. contra Julianum. *In Ægypto*, inquit, *olim artium inventum unumquodque à communi eruditorum confessu probatum columnis inscribebatur quibusdam in sacris locis positis, haud appositio auctoris nomine.* Quod si hodie in Regnis & Rebuspublicis illa consuetudo invalesceret, minus foret ubique veteramentarii generis Ambubajarum.

Ex his omnibus non difficulter intelligitur, leges Ægyptiorum adeo non obstitisse promovendis bonis artibus, ut fenestram iis inveniendis, excolendisque aperuerint patentissimam. Pendebat autem illa felicitas artium in Ægypto ex tribus potissimum, *Diodoro* teste, institutis:

1. Quod

1. *Qvòd honorarentur ὁι τὰς τέχνας ἀνευρίσκοντες, ἢ μεθοδεύοντες τὰ τῶν χρησίμων.*

2. *Qvòd pœnas incurrreret gravissimas, si qvis plura simul opificia moliretur.*

3. *Qvòd tenerentur Ægyptii qvotannis apud Magistratum profiteri, qvo vitæ genere victum sibi compararent, adjecto mortis supplicio, si qvis vel mentiretur, vel injustum agitaret qvæstum.*

Græci qvidem in picturâ præsertim, & statuariâ arte multa Ægyptiorum adjuti præsidio conati sunt; an tamen ultra perfectionem Ægyptiorum assurrexerint unqvam, non ita liqvidum est. Id constat, in architecturâ Græcos semper mansisse inferiores. Præclarum qviddam supra Græcos cæteros molitus est *Chares Lyndius*, Colossi Rhodii fabricâ celebris, sed & is, cùm ob ignorantiam malè pepigisset cum iis, à qvibus receperat faciendum Colossum, sibi ipsi mortem conscivit, teste *Sexto Empirico*; vel hoc saltem nomine cum Ægyptiorum artificibus non comparandus. Sed ut ad illud *Conringii* veniatur, qvod de Petronio Romano affert, non tradit *Strabo* Petronii industriam qvicqvam contulisse fertilitati Ægypti, sed tempore Petronii eam, fossarum & aggerum beneficio, adhibitam fuisse diligentiam, ut surgente non nisi ad octo cubitos Nilo famem nemo sentiret. Factum id ingeniô, & solertiâ Ægyptiorum, consentiente Petronio. Qvî enim Romanus homo, armis natus, plus hîc videret sagaciissimâ gente Nili sui moribus assvetâ? Sed de Myrios, sive Mœridos, & Sesostridis meritis, ut alios prætream, clariùs longè *Diodorus: Myris Rex*, inqvit, *lacum fecit ad Memphim, cujus mira utilitas & magnitudo operis incredibilis, & fossam duxit stadiorum LXXX, trecentosq; pedes latam, qvæ ad lacum duceret, ut cùm Nilus plus justo exundaret, lacu illo aqva exciperetur. Hoc opus pro veritatis merito nemo satis laudaverit. Permansitq; lacus ille usui Ægyptiorum ita inserviens ad nostram usqve ætatem, lacus Myris dictus.* Et paulò post: *Sesostris ingentes aggerum moles eduxit multas, ut insurgente fluvio tutos ibi receptus homines & animalia haberent. Per omnem verò terram à Mem-*

phi ad mare crebras ex amne fossas duxit, ut fruges per compendia & facilè conveherent, mutuisq; commerciis, & ubiq; locorum qviete, ac prolixâ commodorum omnium abundantiâ fruerentur. Male ergo *Aristoteles* l. 1. Meteor. c. XIV. tradit Sesostrem & Darium à cœpto hoc opere abstinuisse, qvòd excelsius comperissent mare rubrum terrâ Ægypti: id enim falsum esse & hodie res ipsa loqvitur, & jam olim docuit oculatus testis *Strabo* l. XVII. Sed iterum ad *Diodorum*: *Sesostris muro etiam*, inqvit, *Orientale Ægypti latus contra Syrorum, & Arabum irruptiones à Peluſio per desertum Heliopolim usqve ad MD. stadiorum longitudinem vallavit.* Ut taceam, beneficium Petronio ad clavum sedente natum, non nisi temporarium fuisse, cùm & Trajano Principe ita exaruerit Nilus, ut à Cæsare Romano frumenta supplex deposceret, qvemadmodum ex *Plinii* Panegyrico clarissimè liqvet.

Tandem reprehendit *Conringius* hieroglyphicam Ægyptiorum doctrinam, tanqvam vel ineptam, vel levem; sed de non intellectis format judicium. Qvantillum id est, qvod nobis sive *Clemens Alexandrinus*, sive *Ammianus*, sive etiam *Horapollo* de hoc argumento reliqvere? Ut taceam videri sæpe deceptum *Horapollinem*, hominem, secundum *Svidam*, non nisi Grammaticum, & Theodosiani ævi, atq; adeo multis seculis, obeliscis vetustis, hieroglyphicorum nobiliorum [si mensam Isiacam excipias] custodibus juniorem. Et qvid nî deciperetur, cùm jam pridem docuerit *Kirckerus Hermapionem*, diu ante Theodosiana tempora, interpretem Obelisci illius in Circo Romano, de qvo *Marcellinus* l. XVII. itidem in explicandis istis hieroglyphicis fœdissimè lapsum. *Pignorii*, *Pierii*, *Kirckeriq;* labores veneramur, laudamus commentorum subtilitatem, contenti illud tantùm Italorum adjunxisse: *Ben trovato, se non é vero.* Alia tamen momenti longè majoris à Sacerdotibus Obeliscis inscripta fuisse jam olim fidem fecit *Plinius* l. XXXVI. c. IX. *Is autem Obeliscus*, inqvit, *qvem Divus Augustus in circo magno statuit, excisus est à Rege Senneserteo, qvo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti qvinqve pedum & dodrantis, præter*

basin

basin ejusdem lapidis: is verò, qui est in campo Martio, novem pedibus minor à Sesostride. Inscripti ambo rerum naturæ interpretationem, Ægyptiorum opera Philosophiæ continent. Sed qvid vetat & illa *Taciti* l. II. Annal. adjungere? *Mox visit* [Cæsar Germanicus] *veterum Thebarum magna vestigia; & manebant structis molibus literæ Ægyptiæ priorem opulentiam complexæ: jussúq; è senioribus Sacerdotum, patrium sermonem interpretari, referebat habitâsse qvondam septingenta millia ætate militari: atqve eò cum exercitu Regem Ramsen Libyâ, Æthiopiâ, Medúq; & Persis, & Bactriano, ac Scythâ potitum: qvasq; terras Suri, Armeniiq;, & contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare imperio tenuisse. Legebantur & indicta gentibus tributa, pondus argenti, & auri, numerus armorum, eqvorumq;, & dona templis ebur, atqve odores, qvasq; copias frumenti, & omnium utensilium, qvaqve natio penderet, haud minùs magnifica, qvàm nunc vi Parthorum, aut potentiâ Romanâ jubentur.* Qvæ licet prolixiora adducere libuit, ut colligeretur inde, neminem etiam post *Horapollinem* centies excussum, illa Thebaica hieroglyphica intellecturum fuisse, qvæ tam promptè enodavit notarum intelligens Thebæus Sacerdos.

XII. De cætero, cùm toto passim volumine *Conringius* persequatur Ægyptios, ut scelestæ Magiæ labe infectos, non expendit satis infelicitatem illorum temporum, qvibus per tenebras toti propemodum Orbi incumbentes nulla fortassis regio omni crimine vacua fuit, cùm & inter Judæos ipsos non sola Endoris saga venena sua latè sparserit, sed & alii *Flavio Josepho* attacti Ægyptiis nihilo fuerint sapientiores. Utqve nunc mittam Babylonios, Phœnices, Persas æqvè infectos, certè Dardanus, ille *Virgilio* primus Iliacæ urbis pater, *Apulejo* inter infames Magos recensetur; & antiqvam Græciam iisdem sordibus inqvinatissimam fuisse nemo, qvi vel historiam Græcam, vel sanctos Patres evolvit, ausit dubitare. Qvid si & plures illorum, qvos Ægyptiis impingit *Conringius*, sint alienigenæ? *Zachlas* ille Apulejanus, est fortassis haud alius, qvàm *Zacharias* Babylonius, qvem ineptientem inducit *Pli-*

nius

nius l. xxxvii. c. x. *Pancrates* Memphitanus, & *Olympius* Alexandrinus, qvid nisi Græci homines fuere, utcunqve in Ægypto habitantes? certè vel nomina ipsa Græcos fuisse docuerint. Qvid qvòd omnes illi *Conringio* memorati vixerint destructâ veteris Ægypti gloriâ, & qvidem sub Dominis vel Græcanici generis, vel Romani, si unum *Jannem*, *Jambremq́*, excipias. Et hos qvidem maleficæ artis compertos fuisse liqvet, atqve in Ægypto insaniisse, utrum tamen Ægyptii & hi fuerint, fortassis non ita apertum est. *Artapanus* qvidem apud *Eusebium* facit eos Sacerdotes Memphiticos, non Heliopolitanos. Sed præterqvam qvòd ipsa nomina *Jannes* & *Jambres* non admodum videantur convenire cum antiqvis Sacerdotum Ægyptiorum nominibus [qvi *Arnuphis*, *Conuphis*, *Iconuphis*, *Pammenuphis*, *Sechnuphis* appellabantur, ut ex *Laertio*, *Clem. Alexand.* & *Svidâ* constat] sed magis cum voce sive Bactrianâ, sive Babylonicâ *Zoroastres*, qvid respondebit Artapanus, si Memphis nondum condita fuit vivo Mose? certè, si *Diodoro* credimus, non nisi octavus demum Ægypti post Osymandyam Rex ædificavit Memphin; & *Leo* apud *Clement. Alexandrinum* l. i. Stromat. docet Isidem, [qvam diu ante Osymandyam floruisse patet] vixisse undecimâ tandem post Mosen generatione. Accedit & memorabile illud *Aristotelis* Meteorol. l. i. c. xiv. *Qvin etiam antiqvitus*, inqvit, *tota Ægyptus urbe, qvam Thebas vocant, constabat. Id qvod & Homerus declarat, qvi non multò, ut ita dixerim, post ejusmodi mutationes floruit; nam loci illius mentionem facit, tanqvam necdum aut omnino, aut certè tantâ existente Memphi.* Non est utiqve de nihilo, qvòd *Homerus*, & is Ægypti incola, cùm freqventer Thebas, Memphin nè nominet qvidem. At *Homerus* nondum natus erat ardente bello Trojano. Qvid qvod *Jamnes*, si *Plinium* audimus l. xxx. c. i. non Ægyptius fuit, sed Judæus. Fuerit tamen uterqve Ægyptius, qvando id tantopere arridet *Conringio*, nihilominus haud inde conficitur, Sacerdotes Ægyptios omnes malignâ illâ lue correptos fuisse, præsertim cùm [ut alia nunc testimonia mittam] *Fl. Josephi* Antiqv. Jud. l. ii. c. v. testimonio constet,

uxorem

uxorem Patriarchæ Josephi, filiam fuisse Putipharis, sacerdotis Heliopolitani. Neqve enim verisimile apparet, sanctissimum virum, qvi tantopere abhorrebat corporis adulterium, in cubile & gremium suum admissurum illam, qvæ parente animæ adulterio polluto esset prognata.

Cap. IX.

I. Patricium de Ægyptiis sine studio partium scripsisse; Mirandulanum in arcaniora, hoc est certiora astrologorum Ægyptiorum non potuisse animadvertere, ut nusqvam libris consignata. II. Patres Ecclesiæ de sapientiâ Græcanicâ contemptiùs loqvi, qvàm de Ægyptiacâ; sed & ipsos Græcos Romanosq; subinde vanitatem Scriptorum Græcanicorum graviter perstringere. III. Græcorum sapientiam ita admirandam, ut non in illâ admiratione conseneſcentes nihil ipsi ultra conemur. IV. Sapientiam Mosis ab Ægyptiis haustam non fuisse improbam, sed & ad Chemica se extendisse. V. Post Platonem multos Græcorum in Ægyptum profectos esse ad cultum ingenii capiendum; nec adeo sub Ptolemæis collapsam Ægyptiorum disciplinam, sed ab alienigenâ Principe aliò translatam Alexandriæ postea aliqvâ sui parte consedisse. VI. Perveniſse ab Ægyptiis ad Græcos botanica, anatomica, medica, alia, qvæ

ut hi expolierint nonnihil, certè adeo non perfeciſſe, ut ſola hodie Anatome doceat, qvàm parum fidendum ſit Helladi, etiam ſeriò philoſophanti. Græcorum religionem ante Orphea, non fuiſſe Ægyptiacâ meliorem. Græcos multa ab Ægyptiis ad regendam ſapienter Rempubl. mutuatos eſſe. VII. Si Græci inventa qvædam Ægyptiorum perfecerint, etiam Romanos qvædam Græcorum. Hæreſeos Priſcillianiſtarum propagatorem non videri Ægyptium VIII. Rationes Conringii, qvibus oſtendere laborat Ægyptios in ſapientiæ ſtudiis parum profeciſſe, non eſſe ſolidas.

PRoſpexit facilè *Conringius*, qvâ eſt ſagacitate, non defuturos, qvi lectis veterum, tum gentilium, tum Patrum ſcriptis benigniorem de ſtudiis Ægyptiorum ferrent ſententiam, qvos propterea occupare deſtinat ante cenſuram decretoriam, & ſubmotis ſcrupulis in caſtra ſua pertrahere. Qvàm tamen ſupervacuo hîc etiam, & nihil profuturo ſe fatiget labore, paucis intuebimur.

I. Initiò, amoliri ſatagit *Franciſcum Patricium*, ut Ægyptiis, & præſertim Hermeti addictiorem. Hunc laudat qvidem, ut virum multæ lectionis, & doctrinæ variæ, ſed judicii acrimoniam in eo deſiderat, ut affectibus hîc indulgente, & flagrante odio doctrinæ Ariſtotelicæ. Parciùs iſta bonis! Qvo argumento oſtenderit *Patricium* ſervum affectuum ſuorum fuiſſe, aut odio flagrâſſe Peripati? Vidit is jejunitatem Philoſophiæ *Ariſtotelis*, præſertim naturalis, & ad certiora anhelavit. Viderunt & alii, inqve iis illuſtris *Verulamius*, cui illa Græcanica naturæ hiſtoria,

magni-

magnificum ædificium est sine fundamento; sed de *Aristotele* postea, & ejus philosophiâ disertiùs. *Mirandulanus* potissimùm Astrologicis se opposuit Scriptoribus; & hos inter cùm nobiliores fuerint Alexandrini, [qvos Græcæ sapientiæ Magistros agnoscit *Conringius*, laudem omnem Alexandrinæ eruditionis Ægyptiis magno conatu eripiens] viderit ipse, qvâ ratione hic Græcos suos tueatur. Utqve subjicias, armare se *Mirandulanum* etiam contra veteres Ægyptios, certè in germana eorundem scripta Astrologica, cùm non supersint, nisi qvid *Manilio*, & *Firmico* tribuas, animadvertere tutò non licet; utqve supereſſent, non omnia chartis commendavere veteres illi, præstantissima qvæqve sibi more suo [de qvo ante] reservantes, in qvæ utiqve invehi Mirandulano non licuit.

II. Sed deseramus hoc argumentum, ut, qvid porrò *Conringius* ex Patribus afferat, intueamur attentiùs. *Ecclesiæ Patrum nemo*, inqvit, *Ægyptiacam sapientiam probavit; multi vanitatem ejus passim perstrinxerunt: & qvidem fecerunt illud qvàm maximè Clemens, & Eusebius.* Verùm lustrantibus scripta *Eusebii*, & *Clementis* liqvidò patet Græcanicam illis sapientiam minùs placuisse. Ex multis pauca contemplabimur. *Eusebius Pamphilus* Præparat. Evangel. l. x. c. i. *Neqve verò mirum*, inqvit, *videri debet, qvòd Hebræorum sententias investigari à Græcis, & curiosiùs explorari potuisse dicamus: cùm reliqvas ipsi doctrinas ex Ægyptiorum, Chaldæorum, aliarumq; gentium barbararum spoliis non modò conflaverint, sed etiamnum ambitiosæ omnes æmulationis rei teneantur, dum alterius alter plagiarius esse non veretur. Immò qvemlibet passim videas vicinorum suorum verba simul atqve sententias, operaq; nonnunqvam integra suffuratum, non secus iis ac propriis operibus gloriari.* Erubesco, præ reverentiâ, qvam Græcis literis defero, qvoties in tertio capite ejusdem libri *Eusebiani* intueor vel titulum ipsum: *Græcos fures esse.* Sed iterum *Eusebius* Præp. Evang. l. x. c. iv. postqvam *Thaletem*, *Solonem*, *Pythagoram* per Ægyptias docuisse profeciſſe disciplinas, subjungit: *Ex qvibus manifestè qvivis intelligat Græ-*

eorum Rempubl. summâ penuriâ diutissimè laborâsse, atqve omnibus disciplinis vacuam, nudamq; persitisse? sacris videlicet Numinum simulacris passim erigendis, vaticinationibus, & oraculis, atqve ambitiosâ illâ fallacium ac fraudulentorum Dæmonum specie gloriabatur; veræ sapientiæ, omnisq; omnino doctrinæ, unde fructus in vitam aliqvis redundet, præsidiis carebat. Pausanias in Achaicis: *Græcis olim hominibus*, inqvit, *patrium fuit, rudes lapides pro Diis, perinde ac simulacra ipsa colere.* Videant hæc cordati, & an Græca sapientia veteris Ægypti sapientiæ ab *Eusebio*, præferatur, discernant. Expendendum probè illud *Eusebii etiamnum & diutissimè*, ut declaretur non vetustissimos duntaxat Græcos, sed & subsecutis *Aristotelem* seculis florentes, ab ejusmodi criminibus non fuisse alienos. Sed & ostendat *Conringius Eusebium* usqvam vel magni æstimâsse *Aristotelicam* Philosophiam, utcunqve tum passim celebrem, vel vanitatem majorem in Ægyptiorum sapientiâ notâsse, qvàm in Græcorum! *Clemens Alexandrinus* plura de Ægyptiis, sed de naturali ipsorum philosophiâ nusqvam, qvòd sciam, contemptim. Sacra ipsorum laudare non potuit, ut nec Græcorum; immò hîc Ægyptia Græcanicis prætulit, qvemadmodum superiùs ex ipsius *Admonit. ad Gentes* luculentè demonstravimus. Vox etiam ejus l. II. Stromat. *Græcos omnes in Magicis artibus, & γοητείᾳ sibi oppidò placuisse.* Laudat *Stromat.* l. I. *Hermetem* Ægyptium ut sapientem; docet *Pythagoram, Thaletem, Platonem, Solonem*, multa præstantissimorum dogmatum suorum ab Ægyptiis hausisse. Sed de Græcis ibidem: *Pulcherrimè*, inqvit, *Sacerdos Ægyptius apud Platonem: O Solon, Solon, vos Græci semper estis pueri*, &c. Immò de eorum sapientiâ humanâ ita Stromat. l. V. *Græca qvidem Philosophia*, inqvit, *est similis illuminationi, qvæ fit ex scirpo, qvem homines accendunt, lucem artificiosè à sole suffurati.* Et postea: *Cùm ergo apertè, ut arbitror*, inqvit, *ostensum sit, qvomodo fures à Domino dicti fuerint Græci, lubens prætermitto dogmata Philosophorum. Nam si eorum qvoqve verba persequeremur, nox commentariorum innumerabilem colligeremus multitudinem; ostendentes omnem*,

qvæ est apud Græcos sapientiam, esse à barbarâ sumptam Philosophiâ. Tandem Stromat. VI. postqvam scripsisset: *A Pythagorâ immortalem esse animam traxit Plato, is verò ab Ægyptiis. Epicurus à Democrito præcipua surripuit decreta*, tandem subjicit: *Vita me deficiet, si velim sigillatim persequi Græcorum furta*, &c. Et demum: *Qvòd omnis generis scriptorum Græci fuerint fures, satis, ut opinor, pluribus ostensum est indiciis.* Neqve mitiùs Stromat. l. I. *Græca Philosophia*, inqvit, *ut aliqvi qvidem, casu utcunq; & exiliter veritatem, sed non omnem assequitur; ut alii autem volunt, mota est à Diabolo.* Item *Latrones & fures fuerunt, qvi sunt apud Græcos Philosophi.* Scripta autem isthæc sunt aliqvot post Aristotelem seculis. Invitus hæc ulcera Græcorum refrico, nè attacturus qvidem, nisi extorsisset vehementia *Conringii*, in laudandis Græcis justo profusior, animosior justo in reprehendendis Ægyptiis. Sed cùm semel ingressi simus hunc campum, qvid prohibet *Dionem* in Troicis audire differentem: *Audivi*, inqvit, *qvendam ex Sacerdotibus in præfecturâ Onuphiti admodum benè de his* [bello Trojano] *dicentem, & alia Græcorum multa deridentem, qvasi nihil scientium veri de plurimis. Idq; hoc maximè argumento colligebat, qvòd persvasi essent Trojam esse captam ab Agamemnone, qvodq; Helena jam conjux Menelai amaverit Alexandrum. Et de his adeo valde persvasi essent, decepti ab uno homine, ut unusqvisqve jurejurando confirmare ausit. Dicebat autem omnem priorum temporum historiam apud ipsos* [Ægyptios] *scriptam esse partim qvidem in templis, partim in columnis qvibusdam, & ex iis qvædam jam solâ memoriâ contineri paucorum hominum, qvòd columnæ corruptæ sint, videri autem multa columniis inscripta incredibilia esse, propter ruditatem, incuriamq; posterorum. Esse autem hæc inter recentissima, qvæ circa Trojam accidissent. Qvippe Menelaum ad ipsos perveniisse, & omnia, qvemadmodum gesta essent, enarrâsse. Cùm autem obsecrarem, ut mihi narraret, primùm qvidem nolebat, dicens Græcos esse arrogantes, & qvanqvam essent indoctissimi, semet tamen existimarent omnium doctissimos. Non esse autem hoc morbo difficiliorem alium*, &c. Mirum autem, cur inconstantiam

opinionum Ægyptiis qvandoqve exprobret *Conringius*, cùm ex *Sexti Empirici* hypot. l. III. c. IV. & ex *Diogenis Laërtii* ſcripto paſſim conſtet, nihil Græcis [ſibi relictis, & ab Ægyptiorum decretis recedentibus] fuiſſe etiam in principiis rerum materialium inconſtantius. Qvid ſi & Medici Græci, retinentibus Ægyptiis meliora ſibi, à Salomonis Judæorum Regis libro opem ſollicitavere? iſtuc ſanè tendunt illa *Cedreni*: *Ex ſcriptis Salomonis*, inqvit, *Græci, qvi Iatroſophiſtæ vocantur, rei Medicæ Scriptores, materiam, & argumenta ſuffurati artes ſuas conſcripſerunt.* Qvod utcunqve parum mihi fiat veriſimile, id tamen videre mihi videor, ſi qvis per omnia Græcorum ſe ſe diffundere inſtitueret, non defuturum ſolerti ingenio ampliſſimum campum, in qvo non minori ſpecie veri Græcorum lapſus oſtentaret, qvàm *Conringius* Ægyptiorum. Qvot mendacia vel unus *Joſephus* l. I. contra Apion: Græcis exprobrat? Et nè in morum diſciplinâ ſine labe fuiſſe exiſtimentur, audiatur *Lucianus* in Toxare: *Græci*, inqvit, *præclarè de amicitiâ verba faciunt, ſed eandem neſciunt exercere.* Sed obſtat reverentia elegantiſſimæ nationis, qvò minus iſtuc plenè eatur. Id unum audiat hic Græcorum Patronus *Conringius*, etiam Romanos homines, utcunqve armis potiùs natos, qvàm literis, multa in Græcis deſiderâſſe. Hinc tot in naturali hiſtoriâ exclamationes, apud *Plinium*, l. XXXVII. c. XII. item libri ſecundi capite ultimo, & alibi, exſtant adverſus *vanitatem Græcorum.* Hinc *Juvenalis* jam olim,

— — — *& qvicqvid Græcia mendax*
Audet in hiſtoriâ.

Sed nec alia ferè eſt graviſſimi *M. Catonis* ſententia, qvam ex Origin. libr. hìc ſiſto: *Græci*, inqvit, *tum impudenti jactantiâ jam effunduntur, ut qvoniam dudum his nemo reſponderit, adeo liberè à ſe ortam Italiam, & eandem ſpuriam ſimul & ſpurcam, atqve novitiam, nullo certo auctore, aut ratione per ſolam inſaniam fabulentur.* Sed audiant & Græci ſuum *Pauſaniam* in Meſſeniacis. *Omnis fere*, inqvit, *de rebus Græciæ hiſtoria controverſa eſt.* Et in Bœoticis: Πολλὰ μὲν δὴ καὶ ἄλλα πιστεύουσιν οὐκ ὀρθῶς Ἕλληνες. Mira nationum diverſitas!

Græci

Græci veram historiam scripturi sæpe fabulabantur: Ægyptii fabulas scripturi vera sub iisdem sæpe occultabant. Græci plura evulgabant, qvàm scirent, Ægyptii sciebant plura, qvàm evulgarent. Ad rem *Plutarchus* in Amatorio: *Sunt*, inqvit, *in Ægyptiorum fabulis tenuia qvædam veritatis vestigia, sed indagatorem desiderant acutum, qvi magna è parvis venari qveat.* Hæc eo tantùm nomine delibata sunt, ut appareat non minùs Græcos olim dormitâsse, qvàm Ægyptios; neqve propterea vel eruditionem Græcanicam fastidimus, vel Ægyptiam. Si qvid addiderint præclarum Græci, addidere & Romani qvìddam, & Galli, & Angli, & Germani, & cultiorum gentium aliæ, ut ideoqve nos non magis teneamur admirari doctrinam Græcorum, præsertim in historiâ naturali, qvàm illi Ægyptiorum, ut à qvibus nobilissima ejus profecta est portio.

III. *Conringius* qvidem in Apolog. *Ego vero*, inqvit, *non nisi probè perspectâ omnigenâ Græcorum doctrinâ, in admirationem eorum deveni, & factâ cum aliarum gentium sapientiâ comparatione. Idem tu judicares, si operam saltim aliqvam veræ ac solidæ Græcorum tum Philosophiæ, tum Medicinæ dedisses. Qvid simile Aristotelicæ de animalibus, Theophrasticæ de plantis, Euclideæ aut Archimedeæ de Mathematicis, Ptolomaicæ de syderibus doctrinæ (Hippocratica & Galenica alia infinita nunc taceo) tui Ægyptii dederunt? qvâ fronte dixeris hos, aliosq; viros summos ab aliorum nutu pependisse, & carpsisse ab aliorum ingeniis mutila?* Qvantum olei, & operæ in Philosophiâ, atq; Medicinâ Græcanicâ consumpserim ego, eorum, qvi me nôrunt familiariùs, esto judicium; qvantum autem ex utraqve profecerit *Conringius*, vel ex eo liqvidum fuerit, qvòd nihil ejus videamus in utroqve genere, qvod non alius industriâ & ingenio valens, soli *Cartesio*, *Sylvioq;*, & experimentis naturalibus assvetus, nè inspectis qvidem literis Græcis, præstiterit; nè qvid addam liberaliùs. Et tamen qvantulum fuit illud tempus, qvod aut *Cartesius*, aut *Sylvius* Græcorum monimentis impenderunt? Græcorum autem studiis utcunqve ego nihil per me detractum velim, id facilè video, & vident mecum omnes, qvi cœci amore Græcorum

rum non sunt, qvamdiu in illis defigitur meta naturalis scientiæ, parum admodum in studiis veræ sapientiæ profici. *Aristotelem* veneror, sed qvàm inanibus commentis fidem suam apud me enervaverit in *Libris suis de Animalibus*, postea dicetur. Multa tamen ille eorum, qvæ vera sunt, debet piscatoribus, aucupibus, venatoribus, *secundum Plinium*; multa *Platoni* suo ab Ægyptiis informato; multa fortassis Ægyptiis ipse. De *Platone* ita *Macrobius* in somm. Scipion. l. 1. c. XIX. *Plato Ægyptios omnium philosophiæ disciplinarum parentes secutus est.* *Theophrastus* de plantis multa egregiè, sed nullam satis excussit, infinitas prætermisit. Varia tamen & ille Ægyptiis debet; at qvis ipsius opera contendere ausit cum Ægyptii illius *Alpino* tantopere laudati scripto l. de Medicin. Ægypt. IV. c. VIII.? vel unus hodie *Stapelius* ostenderit luce & manu Medicâ opus esse *Theophrasto*. *Euclidem* Mathematicum perhibet *Proclus Diadochus* in Ægypto vixisse; ubi facile ipsi discere fuit, & postea docere, in regione Arithmeticis & Geometricis studiis jam olim impensè deditâ secundum *Diodorum*. *Archimedes* ut rudimenta studiorum alibi posuerit, certè in Ægypto exercitatione assiduâ firmatus cochleam illam celebrem ad aqvas exhauriendas invenit, docente l. V. *Diodoro Siculo*. His Ægyptiorum doctrinis qvantum adjecerint Græci ex proprii genii viribus nemo securè definierit, in illa Ægyptiorum monimentorum jacturâ. Adjecerint autem plurimum, ut ingenioſi, & laborum non fugientes, ampliores tamen gratias illustribus inventoribus deberi, qvàm propagatoribus in confesso est. Et nostrum seculum plurima disciplinis naturalibus addidit; cur & illud non admiratur *Conringius*? Attollendi enimvero ultra solennia illa inventa oculi, nè in admiratione Græcorum conseneſcentes frustra vixisse posteris videamur. Qvin *Hippocrates* plurima debuerit Ægyptiis, dubitare nefas; neqve enim Cos, patria ipsius, nisi paucorum dierum itinere ab Ægypto distat: & plura fortassis suggessit *Democritus*, secundum *Celsum*, præceptor ejus, atqve is longâ familiaritate Ægyptiis conjunctus. *Galenus* & Alexandriæ vixit ipse,

ipse, & candidatis Medicinæ eò profectionem svasit, ut superiùs notavimus. Ptolemæum mirorà *Conringio* inter Græcos referri, cùm fuerit patriâ vel Alexandrinus, ut alii volunt, vel certè Pelusiota, qvò *G. J. Vossius inclinat*, l. de Scient. Mathematic: adeoqve Ægyptius omnino. Addo, me ægrè assequi, cur *Conringius*, alioqvin literator insignis, cùm sæpissime illustrem hunc Astronomum nominet, ne semel qvidem potuerit verum ejus nomen expromere, sed semper *Ptolomæum*, cùm vel tyronibus notum sit *Ptolemæum* vocari. *Græcos autem veteres mutila etiam carpsisse, cùm integra, vera, & solida rarò possent*, liberali fronte dixi, & ex *Diodoro*, *Strabone*, *Eusebio*, *Origene* confirmavi; qvibus auctoribus qvâ fronte obluctetur *Conringius*, solâ auctoritate suâ involutus, ipse viderit, dum ego ad alia digredior.

IV. *Conringius* eludere conatur luculentum illud sacræ Scripturæ Act. VII. pro Ægyptiorum sapientiâ argumentum: Καὶ ἐπαιδεύθη Μωσῆς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, ἦν ἦ δυνατὸς ἐν λόγοις, καὶ ἐν ἔργοις. *Aliqva*, inqvit, [Ægyptiorum] *fuerunt omnino peregregia, licet fuerint infra Græcanicam perfectionem: reliqva superstitionis qvoqve ac vanitatis plenissima. Nec est cur negemus etiam ista minùs probat illum* [Mosen] *didicisse.* Ergo, judice *Conringio*, didicit etiam sanctissimus Moses horrendam & flagitiosam Magiam; ergo Dæmonum præstigiis irretitus fuit; ergo id hausit, qvod ferè tantùm ope Dæmonum valuit; ergo cum immundis Dæmonibus ipsi familiaritas intercessit; hi enim sunt tituli, qvos *Conringius* passim toto opere sapientiæ Ægyptiæ innutritis adscribit. Neqve juverit excepisse, *Mosi notitiam horum fuisse, non usum.* Enimvero cui fiat verisimile passuros Ægyptios Sacerdotes alumnum suum nudis contemplationibus indulgere, si ipsi qvotidiani fuissent cultores Dæmonum? qvin rotundè spiritus DEI tradit hîc Mosen fuisse δυνατὸν ἐν λόγοις, καὶ ἐν ἔργοις, qvod non est scire tantùm, sed agere. Neqve vero illas actiones fuisse maleferiatas, vel ex eo constiterit, qvòd paullò antè apud sacrum Scriptorem vocetur ἀστεῖος τῷ Θεῷ. Ut taceam, loqvi hæc Spiritum DEI de sapientiâ

Ægyptiorum, diu post cognitam Orbi Græcanicam Philosophiam, sed qvam ibidem qvoqve severè increpat versu nono, ut sapientiæ Divinæ adversàm. Et qvid venditat *Conringius* Græcanicam tantopere perfectionem, qvæ fortassis in nullâ disciplinâ ultimam limam recepit? Contra Ægyptiorum perfectio in re Medicâ, Mathematicâ, Politicâ, Architectonicâ, aliis, apud luculentos Scriptores, & ipsos Græcos, *Herodotum*, *Diodorum*, *Strabonem*, pluresqve veteres illo signatur charactere, ut magnum qviddam de eâ animo concipere oporteat.

Sed ad Mosen. Qvomodo ille rudem fusi vituli aurei massam in pulverem molendo subtilissimum redigere potuit, nisi Chemiæ sciens? Qvem ostendet Græcorum suorum *Conringius*, qvi id præstiterit? Neqve artificem olet illud *Conringii: Nec verum est*, inqvit in Apol. *omnem auri pulverem in aqvis subsidere: si nempe in tenues & latiores nonnihil bracteolas fiat comminutio.* Enimvero pulverem constare ex latioribus bracteolis, qvis audivit unqvam? At Moses aurum illud non attenuavit modò, sed & εἰς κονιορτὸν redegit, tradente Spiritu DEI Deut. IX. κονιορτὸν autem esse latiores bracteolas, cui persvadebit Conringius? ut reliqvas ejus delicias nunc transmittam. Interea dum *tridui experimento posse aurum corrumpi* nunqvam auditum putat, cogitet multa sibi inaudita esse, qvæ etiam conspecta aliis, & verissima tamen. Sed hæc rerum peritis censenda delego, libro secundo nonnulla de Chemicâ qvadam auri destruendi viâ adjecturus, ut discat *Conringius*, licet jam senior, extra Græcorum volumina constare sibi veritatem.

V. Sed nec illa *Conringii* sine crimine: *Ultimi*, inqvit, *qvi istuc* [in Ægyptum] *iviſſe memorantur, sunt Plato, Eudoxus Cnidius, Euripides. Ex eo autem usqve adeo in contemptum apud Græca gentis homines venisse Ægyptiacam disciplinam videtur, ut sub ipsis Ptolomæis Regibus potiore parte sit collapsa.* Post *Platonem*, *Evdoxum*, *Euripidem*, certum ex superioribus est, in Ægyptum studiorum gratiâ venisse *Euclidem*, *Archimedem*, *Diodorum*, *Strabonem*, *Apollonium Pergæum*, *Eratosthenem*, *Galenum*, alios. Si dixeris, illos vel sub Ptole-

Ptolemæis, vel postea accessisse, qvi potuit aliter fieri? Non diu enim ab obitu *Platonis* invasit Ægyptum Alexander Magnus, suo Aristotele forsan comitatus, & post eum retinuere Ptolemæi. Qvando ergo post Platonem descenderent in Ægyptum Græci, nisi tempore Ptolemæorum regnantium? Qvod si ex eo in contemptum venerit apud Græcos disciplina Ægyptiorum, magnum illud ingratæ nationis Græcanicæ argumentum est, contemnere illos, per qvos profeceris. Sed fortassis hæc Græcis affingit *Conringius*, neqve enim usqvam observamus eos ita fœdè memoriam magnorum meritorum perdidisse. Certè *Claudius Ptolemæus* Astronomus, Ægyptiorum meminit honorificè: neqve collapsam fuisse Ægyptiorum veterum disciplinam sub Ptolemæis, disertè testatur *Diodorus*, & *Strabo*, qvi de Ægyptiorum Sacerdotum sibi cognitorum scientiâ magnificè sentiunt. Perierint Heliopolitani, qvid hoc ad reliqvos? Periit & Saguntus olim, nec ideo periit Hispania. Obduces, *At Ægyptii Astronomi ejus temporis nullo præconio efficiuntur, multò minus eorum aliqvod præclarum inventum commendatur.* Videbant Ægyptii sapientes actum esse de imperio suo, occupantibus post Alexandrum omnia Ptolemæis, igitur credibile est eos, more ingenii humani, partim in illâ patriæ vertigine circumspectâsse obscuram qvietem, & inventa sua nobiliora plerumqve occuluisse, multa etiam sepeliisse secum, partim Alexandriam, ut Metropolim tum Ægypti constitutam transtulisse fortunas suas, ibiqve studia liberalia promovisse, adscitis in societatem operis Græcorum ingeniosioribus, qvòd viderent regnatores habere Græcos oppidò indulgenter. Unde non mirum, si Græcorum qvandoqve nomine prodiit, qvod erat Ægyptiorum. Sed fac, Græcos sub Ptolemæis varia præclara reperisse, non æqvârunt tamen veteres Ægyptios, ut qvi inter alia ἀδιαπτώτως eventus astrorum præsagierint, secundum *Diodorum*, qvò Græcis assurgere hactenus inconcessum.

VI. Cæteris, qvæ glomerat adversus Ægyptios, cùm recoctam pleraqve sapiant cramben, ex superioribus non difficulter

occurritur, simulqve accuratè perpendentibus intelligitur error scribentis *Conringii*: *Tantùm ea, qvæ ad religionem, Magiam, leges civiles, & Mathematicas pertinent disciplinas, ab Ægyptiis ad Græcos pervenisse.* Constat enim ex jam ante disputatis, perveniſſe & Botanica, Anatomica, Medica, Chemica, Architectonica, Mechanica, alia, qvorum si nonnulla ulteriùs expolierint Græci, etiam Græcorum polituræ multum lucis & nitoris adjecere alii, qvod vel sola hodie Anatome docuerit, qvæ qvàm rudis & incompta prodierit ex Hellade, qvamq; nunc missis Grajorum declamationibus, ex libro Naturæ habitior, torosiorq; exsurgat,

Ante oculos, interq; manus sunt omnia nostras.

Sed ut nihil præclarum videantur Ægyptiis debuisse Græci, pertendit adhuc *Conringius*: *Sacra Ægyptiaca, ut impiæ superstitionis plenissima non mereri in sapientiæ partibus numerari; Græcos ante Orphei tempora religione usos Ægyptiacà longè meliore, & Ægyptiis hactenus sapientiâ præstitisse; sapientiores Græcorum Ægyptiaca sacra rejecisse; Solonem, Lycurgum, alios, paucas ab Ægyptiis leges mutuatos esse.* Nimis abjectè, serviliterqve tractat Ægyptios *Conringius*, nimis injustè. Notavimus superiùs Ægyptios antiqvos in sacris suis unum rerum δημιεργὸν agnovisse, credidisse immortalem esse humanam animam, eiqve ex merito tandem vel præmia, vel pœnas instare. Qvid interea antiqvi Græci? δρυὸς λίθους adoravere, docente in Achaicis *Pausaniâ*. Utrorum ergo sacra sapientiùs instituta fuerint, incorrupti lectoris esto judicium. Sed fac, ultra prospexisse Græcorum sapientiores, qvid tamen aliud de iis censebimus, qvàm qvod censuit magnus *Plato* in Cratylo: *Mihi qvidem*, inqvit, *videntur illi homines, qvi Græciam primi tenuerunt, eos solos putâsse Deos, qvos nunc barbarorum plerique putant, solem, lunam, terram, astra, cœlum: qvæ cùm ipsi viderent omnia continenti cursu ferri, eadem ab illâ τὸ θεῖν, hoc est, cursus ejusmodi naturâ* θεοὺς, *Deos nominârunt.* Sed qvàm præterea Deos scelestos, impuros, flagitiososq; coluerint Græci, qvamqve iis hoc nomine præferendi fuerint

Ægyp-

Ægyptii, ex *Clem. Alexandr.* immò ex *Cicerone*, licet pagano l. 1. de Nat. Deor. non potest non esse doctis cognitissimum. Si rejecerint ergo illi Ægyptiaca sacra, manifestum est ex navigabili qvodammodo charybdi incidisse eos in scyllam inextricabilem. Illud autem prope ridiculum est: *Græcos ante Orphei tempora, sapientiâ præstitisse Ægyptiis*, Græcos inqvam, apud qvos ipse paullo ante *Conringius*, duobus etiam post Orphea seculis, ex computatione *Petavii*, hoc est Salomonis ævo, nil nisi *meram barbariem fuisse* constanter tuetur. Nisi sapientiam vocare libeat, *ob soli penuriam populari, & aliena appetere*, qvas virtutes in vetustissimis illis Græcis agnoscit *Strabo* l. XVII. Sed missis istis, mirum cur non erubescat *Conringius* scribere: *Ut leges nonnullas Solon, Lycurgus, alii, ab Ægyptiis fuerint mutuati, paucæ tamen illæ fuerunt. Certè posteqvam hanc civilem Philosophiam Plato, & Aristoteles, aliiq; ex τῆς Περιπάτου exornârunt, itidem nemo amplius Ægyptios eâ in re consuluit. Perexiguum profectò hic debetur Ægyptiis.* Qvid ad hæc veracissimus *Diodorus Siculus?* cujus ista sunt l. 1. Part. II Καὶ Λυκοῦργον δὲ, καὶ Πλάτωνα, καὶ Σόλωνα πολλὰ τῶν ἐξ Αἰγύπτου Νομίμων εἰς τὰς ἑαυτῶν κατασκευὰς νομοθεσίας. Hoccine est paucum, & perexiguum? Sed & *Plutarchus* de Lycurgo, & *Marcellinus* de Solone, & *Isocrates* in Busiride eadem perhibent, ut superiùs monuimus. Immò & paullo ante Diodorus: *Multi prisci Ægyptiorum mores non tantùm ab indigenis probati fuere, sed in magnam qvoqve apud Græcos venere admirationem, ob qvæ maximi qviqve & celebratissimi doctorum peregrinationibus in Ægyptum operam dedere, ut legum illic & studiorum, tanqvam rerum magni momenti cognitionem assequerentur.* Qvòd si mores, legesqve Ægyptiorum, vel à *Diodoro* hinc inde enarratas probè expendamus, haud satis scio, an feliciùs constitui Respublica ulla potuerit, si solam Hebræam excipiamus. Si post *Aristotelem* nemo Ægyptiorum leges consuluit, non ea legum culpa fuit, sed translationis imperii in Alexandrum & Ptolemæos, qvos non mirum est aliam qvodammodo Reipublicæ formam ut suæ dominationi opportuniorem introduxisse. Similia Romani, Ægypti

postea, & Hellados domini machinati sunt. De Astronomicis dictum ante; in qvibus ut laudandi eqvidem meritò Germani, qvòd provexerint hoc studium ultra fines à Græcis constitutos, ita neqve suo defraudandi encomio alii, inqve iis illustris *Tycho Brahe* nostras, cujus vigilatæ noctes clarissimam his sacris lucem contulere.

VII. Duo adhuc urget *Conringius*, *alterum*, Græcos lateritiam Ægyptiorum doctrinam effecisse auream; *alterum*, ex doctrinâ Ægyptiacâ hæreses proserpsisse in Ecclesiam. Sed de primo, non admodum profuerit illud *Platonis: Qvæcunqve Græci à Barbaris acceperunt, ea tandem ipsos facere meliora.* Namqve rariora in re Medicâ, Astrologicis, Chemicis retinuisse sibi Ægyptios ex superioribus conficitur; vulgatiora nisi expoliissent nonnihil Græci, qvomodo tuerentur nomen ingeniosæ nationis. Sed si qvas gratias meruit Græcia, meruit easdem postea luculentiùs urbs Qviritium. In hanc rem *Cicero* Tusculan. l. 1. *Meum semper judicium fuit*, inqvit, *omnia nostros aut invenisse per se sapientiùs, qvàm Græcos, aut accepta ab illis feciſſe meliora, qvæ qvidem digna statuissent, in qvibus elaborarent. Nam mores & instituta vitæ, resq; domesticas ac familiares nos profectò & meliùs tuemur, & lautiùs. Rem verò publicam nostri Majores certè melioribus temperaverunt & institutis, & legibus*, &c. Qvod ad secundum, ut ex laudatissimo tritico curculiones, ita ex sententiis etiam saniſſimis, sed malè intellectis hæreses nasci compertum est; qvid ni ergo & ex iis, qvas ad Phidiæ statuas comparare non liceat. Peccaverint igitur Priscillianistæ, nemo inficiabitur, sed *Conringii* hîc erit, ut Græcorum Patroni, colorem pro suis conqvirere Græcis, cùm vel ipsum nomen eorum Hellada oleat, & *Marcus Monachus*, ut ut Memphiticus incola, certè tamen vel Græcus natione, vel Romanus eam hæresin propagaverit.

VIII. Novissimè, ut nihil intentatum relinqvat *Conringius*; rationes etiam comminiscitur, qvare in studiis sapientiæ parum adeo profeciſſe Ægyptios fiat verisimile. Supervacua sollicitudo, inspi-

inſpicienda tamen. 1. Ergo ſuperſtitionem gentis obducit, qvæ mentem redigit in ſervitutem, impeditqve ſcientias. 2. Hieroglyphicam ſcribendi rationem, qvæ plurimi temporis indiga, & diſcentibus gravis admodum. 3. Demonſtrandi rationem neglectam. 4. Solos Sacerdotum filios accuratiùs inſtitutos, nec enim eos præ aliis valuiſſe ingenio. Sed ad *primum*; ſuperſtitionem in religione, non impedire præclara inventa in vitâ communi, vel ſoli Ægyptii ſuo exemplo docuerint, qvos cùm ſuperſtitioni deditos fuiſſe conveniat inter omnes, inter omnes etiam convenit antiqvos Scriptores, à nullâ in Orbe terrarum natione plus inventorum humano generi utilium profectum, aut publicatum eſſe. Nolo ire per ſingula. Ex ſuperioribus res liqvidò patet. Idem Indi hodie, Chinenſes, Japanenſes, aliiqve ſuo teſtantur exemplo, qvi in mediis ſuperſtitionum denſiſſimarum tenebris non deſinunt & Remp. ſuam ingenioſis tueri inſtitutis, & ſolerti multarum artium invento Europæos, ſi non ſuperare, provocare certè; de qvo ſi qvis dubitet, inſpiciat, qvæ vel unâ æſtate Belgio infert ex Indis revertens Batavorum cataplus. Ante triennium, Bantami Regulus commerciorum conſvetudine genti noſtræ illigatus, poſt lautiſſimum convivium, in gratiam Divi Friderici Regis, tam artificioſo ignium nitratorum jactu mercatores noſtros exhilaravit, ut nihil ſimile, qvod ſciam, hactenus viderit Evropa, repræſentatis in excelſo aëre claſſibus integris inter ſe confligentibus, qvæ juſto ordine curſus ſuos, recurſusqve tuerentur, donec conflagrarent. Ad *ſecundum*, hieroglyphicam & ſymbolicam ſcribendi rationem plurimi temporis indigam fuiſſe utcunqve largiaris, Sacerdotum tamen filiis, qvi à primis, qvod dicitur, ungviculis in illo liberrimo ab aliis negotiis otio his ſacris innutriebantur, non difficile fuit à majoribus inventa ediſcere, & ad uſus, qvi ſatis fortaſſe rari erant, opportunè applicare. Qvid qvòd nè indigam qvidem fuiſſe hanc ſcribendi rationem plurimi temporis ex *Diodoro* cognoſcimus, qvi Biblioth. l. III. doceteam plebi etiam Æthiopicæ (non utiqve tantopere ſolerti) fuiſſe

fuisse familiarem. *Cùm enim suæ*, inqvit, *Ægyptiis sint literæ, qvæ ab omnibus promiscuè discuntur, qvas vulgares appellant, sacras autem, qvas nominant, à Sacerdotibus tantùm secretâ parentum disciplinâ traditas cognosci tradunt, qvibus tamen omnes Æthiopes sine discrimine utuntur.* Ad *tertium*, si citra demonstrationem docuerint Ægyptii, pluris est viro prudenti unicum experimentum verum, & solidum, qvod oculis coràm ostenditur, qvàm infinitæ malè natæ demonstrationes. Sed & germanissima illa demonstrandi ratio Peripatetica (διότι appellant) qvàm rara observatur in Physicis *Aristotelis?* qvàm parum hactenus emolumenti præstitit inqvisitioni naturæ rerum inferioris mundi? Ad *qvartum* deniqve, qvicqvid illo urget *Conringius*, Levitas qvoqve, immò & primogenitos in sacris literis premit, qvorum tamen instituta DEO opt. max. auctore stabilita sunt. Ita autem differit *Conringius*: *Neqve parum*, inqvit, *profectui, & artium incremento videtur obstitisse mos ille solos Sacerdotum filios accuratiore doctrinâ instituendi. Nec enim hi præ aliis valuerunt ingenio, sed & isthac lege in alio hominum ordine lectissima qvæqve ingenia, & Philosophiæ aliàs aptissima fructum aliqvem ferre prohibita sunt.* At soli Levitæ curabant sacra Hebræorum, soli primogeniti Deo speciatim consecrabantur, qvantumvis & in aliis tribubus religiosa qvandoqve eminerent ingenia, & in minoribus natu fratribus plus aliqvando veræ pietatis. Sed discutiant hæc alacriùs Theologi; id nobis constat, per Italiam, Galliasqve, immò & Britanniam hodie primogenitum caput familiæ & columen posteritatis constitui, utcunqve plus sæpe & vivacitatis & genii spondeant filii ætate inferiores. Neqve tamen malè, opinor, sanxere ista prudentissimæ Nationes, à sacris fortasse literis eò primùm aliqvatenus invitatæ. Sed nec Ægyptii Sacerdotes solertiam invidebant cæteris Ordinibus, aut promiscuæ plebi, immò accendebant qvemcunqve ad utilia invenienda, & honore inventorem cumulabant, qvemadmodum ex *Diodoro* jam ante didicimus, solam illam sacratiorem philosophandi rationem sibi reservantes. Sed qvia subjicit *Conringius*, Sacerdotum Ægyptiorum

orum liberos, ut qvibus de victu & honoribus abunde cautum fuit, oscitanter fortasse rem illam literariam tractâsse, igitur, qvàm illi egregiè ad optima qvæqve fuerint instructi, & qvàm integrè vixerint, ex *Diodoro* non gravabor adjungere: *Qvippe ad ministeria Regum Ægyptiorum*, inqvit, *nullus adhibebatur vel servus, vel emptitius, vel verna, sed illustrissimorum tantummodo Sacerdotum filii, egressi annos viginti, & præ ejusdem gentis hominibus optimè instituti, ut cùm hos curatores corporis, & familiares optimos nocte, dieq; haberet Rex, nihil pravum, aut vituperatione dignum committeret.* Et paullo post: *Qvocirca etiam longissimo tempore sub memoratis Regibus integrum Reip. statum conservârunt in summâ felicitate vitam exigentes, qvamdiu hæc legum constitutio vigebat.* Neqve prudenter superaddit *Conringius: Victûs ille modus indubiè fuit superstitiosus, ut omnis Ægyptus hac in re fuit superstitiosissima: qvippe cui etiam fuerit*

Porrum & cepe nefas violare, & frangere morsu.

Etenim ut Rechabitæ olim *Jerem.* XXXV. à vino, ita Sacerdotes Ægyptiorum à certis qvibusdam cibis ob certas causas abstinebant. Qvam abstinentiam utcunqve alii in superstitionem rejiciant, *Plutarchus* tamen rem fortassis altiùs expendit, cujus inter alia hæc sunt l. de Isid. & Osir. *Sacerdotes*, inqvit, *ita abhorrent ab excrementorum naturâ, ut non legumina modò pleraq; aversentur, & carnes ovillas ac suillas, qvæ multum supervacanei gignunt; sed salem qvoque cibis detrahant, qvo tempore sanctè, ac purè vivunt, cùm aliis de causis, tum, qvòd sal appetitum exacuendo, magis bibulos & voraciores reddat.* A piscibus temperabant, ut nutrimento carnem nimiùm humectante, secundum *Clem. Alexandrinum* Strom. VII. A cæpe, ut castimoniam exercentibus inutili, secundum *Plutarchum* itidem, l. de Isid. & Osir. Enimvero illum distenti corporis aqvaliculum, illa Veneris profanæ irritamina aversabantur, ut sanctioribus dediti cogitationibus, in pingvi omaso, ipsorum judicio, ægrè habitantibus. Sed ecce *Plutarchum* l. eodem! *Animis*, inqvit,

qvit, *volunt* [Ægyptii] *gracilia esse corpora, nè pars divina à mortali opprimatur.* Verùm utcunqve ego Sacerdotes illos ab omni superstitione etiam in ratione victûs non existimem prorsus vacuos fuisse, mirabor tamen, si Græcos pagani generis Sacerdotes sanctiùs vixisse qveat ostendi. Ut taceam, me non assequi, cur *Conringius* omni Ægypto cæparum deneget usum, cùm nec id intenderit *Juvenalis*, & cæpas in eduliis plebejorum Ægyptiorum jam olim numeraverit *Herodotus* in Euterpe, qvo narrante constat, in raphanos, cæpas, & allia, dum construeretur pyramis Cheopes, mille & sexcenta talenta argenti ab operariis absumpta fuisse. Alia nimirum plebi licita erant, alia Sacerdotibus. Sed ut de Ægyptiorum, Græcorumqve sapientiâ, omnia in compendium referantur, facilè constare potest incorruptè judicantibus, innocentiorem multò, sanctioremqve Ægyptiam illam esse, ut qvæ natales suos magnam partem referat ad sanctissimos homines, & falli nescio DEO intimos, Abrahamum & Josephum, qvàm Græcanicam illam *Aristotelis*, qvæ cœpit auspiciis impuri illius & maligni spiritûs Pythii, tradente *Ammonio*. Ægyptios autem ab Abrahamo multa & egregia didicisse ex superioribus liqvidum est; à Josepho qvin didicerint plurima, & præstantissima nefas ambigere, ob luculentam scripturæ sacræ fidem *Psalm.* CIV. verba ita reddunt LXX. *Interpr:* Κατέστησεν αὐτὸν [Josephum Pharao] κύριον τῆς οἰκίας αὐτοῦ, καὶ ἄρχοντα πάσης τῆς κτήσεως αὐτοῦ. Τοῦ παιδεῦσαι τοὺς ἄρχοντας ὡς ἑαυτὸν, καὶ τοὺς πρεσβυτέρους αὐτοῦ σοφίσαι.

In qvo Oraculi divini testimonio & nos meritò acqviescimus.

CAP.

CAP. X.

DE ARISTOTELE.

I. Conringium efficere mordaci suo in Hermetem, & Paracelsum stylo, ut in mores & doctrinam Aristotelis, qvem propè in cœlum extollit, hîc qvoqve paullo attentiùs inqviratur. II. Fuisse autem vitam, & mores Aristotelis, si Antiqvis credendum, inqvinatissimos. III. Jam olim Athenæum judicâsse scripta Aristotelis infinitis scatere mendaciis. IV. Hodierna scripta Aristotelica, utrum, verè sint Aristotelica, non sine ratione dubitari. De iisdem judicium Gassendi post maturam deliberationem. V. Qvin & rem ipsam loqvi jejunitatem scriptorum, qvæ Aristoteli hodie tribuuntur. Et qvidem qvàm partim falsi, partim imperfecti sint ejus de naturâ rerum commentarii, argumentis doceri posse infinitis; sed pro instituti ratione sufficere hîc exempla tria, qvæ id in Animalium historiâ luculentè ostendant. VI. Leonem, in regno qvadrupedum. VII. Aqvilam in volucrum familiâ. VIII. In aqvaticis crocodilum. IX. Ex iis facilè constare, qvàm indigeant temperamento immensa illa, qvæ Conringius in Aristotelem congerit, præconia.

I. QVantum debeat *Aristoteli* eruditus orbis, in confesso est: cœpit ille pulcherrimè, fregit ignorantiæ glaciem, multa, & præclara conatus in emolumentum posteritatis; cujus industriam si passibus æqvis secuta fuissent bellatoria illa superiorum temporum secula, jam naturam rerum apertiorem experiremur. Propterea nec decretum mihi hic est vel *Aristotelem* deditâ operâ reprehendere, vel infinitas Aristotelicorum dissensiones, & multorum sterilem hactenus in naturâ rerum laborem operosè persequi. Id unum agam, ut si *Conringius* Hermetis, & Paracelsi manes acerbè inqvietavit, ego ingenuè, & ut veri candidatum decet, sine studio partium, *Aristotelis* qvædam ulcera attingam. Tangenda enimvero illa sunt, nè posteritati imponatur; ostendendum, nec eum vel vitâ inculpatum fuisse, vel doctrinâ extra omnem ingenii aleam collocatum. Supersedissem tamen hoc labore, contentus *Bassonis*, *Gassendi*, *Gorlæi*, *Patricii*, *Verulamii* judiciis, nisi nimia *Conringii* in *Trismegistum* Ægyptium, & *Theophrastum* popularem suum ærugo, nisi immodicæ illæ in *Aristotelem* congestæ laudes, qvibus avocatur ab amore naturæ, veriq; credula juventus, diversa svasissent. Ita ergo *Conringius* l. de Herm. Med. 1. c. VIII. inter alias in *Hermetem* diras: *Nec fieri potest, ut à malis geniis usqve adeo occupatus animus, qvid in rerum naturalium effectis verum sit, nec ne, percipiat; eò qvòd misceat se se naturæ rebus vis Dæmonum, ut qvid naturæ, qvid Dæmonis sit, haud facilè etiam alteri sit discernere, qvi minus obnoxius est Diaboli fraudibus.* Item paullò antè: *A Mago autem, & qvidem usqve adeo nefario δαιμονολατρείας Magistro non profectò potuit ars Medica proficisci, nisi eodem succo perfusa.* De Paracelso idem l. II. c. XII. *Ab homine Mago præterea licèatne exspectare aliqvid solidæ, & veræ doctrinæ?* Cæterùm qvòd *Conringius* frustra Magiæ sceleratæ postulaverit & *Hermetem*, & *Paracelsum*, partim in superioribus ostensum, partim seqventi libro satis demonstratum iri sperabo; restat nunc videre qvibus *Aristoteles* fuerit moribus, annè, si Antiqvorum judicio standum, vanissimis? annè à malefico Dæmone ad philosophandum impulsus?

anne

anne in Deum immortalem, naturamqve rerum, qvam immani pecuniarum vi ab Alexandro Magno inescatus declarandam susceperat, extremè sæpe injurius? Nihil autem de nostro adjiciemus, contenti rem, ut ab Auctoribus traditur, sine coloribus nudè expressisse, etiam atqve etiam optantes falsa esse, qvæ ipsi à magnis viris crimina impinguntur.

II. Primò ergo *Aristoteles* ab Auctoribus æstimatur Ethnicus, hoc est à veri Numinis cognitione, à qvo prima, & certa rerum cognitio proficiscitur, alienissimus; 2. Traditur impius fuisse in Deum, ut qvem l. XI. Metaph. c. VII. animal fecit, qvem l. X. Metaph. c. VIII, moveri neqvaqvam posse docuit; vox ejus: τὸ πρῶτον τῶν ὄντων ἀκίνητον; qvem alibi fati legibus, & necessitati alligavit; alibi superficiei extimæ supremi cœli adstrinxit; alibi res parvas, despectasqve ignorare asseruit. Id qvod tanto ægriùs condonandum Stagiritæ, qvo certiùs constat ex *Clearcho Peripatetico* apud *Clem. Alex.* Strom. I. ipsum conversatum familiariùs cum Judæo qvodam fuisse, à qvo utiqve certiorade DEO, & immortalitate animæ potuisset addidicisse. Sed perstitit contemptor. Unde graviter *Lactantius* l. de Irâ DEI scribit, *Aristotelem Deum nec coluisse, nec curâsse.* Hinc & *Origenes* l. II. contra Celsum: *Peripateticorum*, inqvit, *placitum erat, neqve preces qvicqvam juvare, neq; sacrificia.* Hinc qvò tenderet Magicum ipsius scriptum [cujus bis meminit Laërtius in proœmio] dubitari vix potest. 3. Impius in animas humanas, ut qvi resurrecturos unqvam mortuos negavit, rem æstimans absurdam l. I. de Anim. c. III. ἀνίσταθαι τὰ τεθνεῶτα τῶν ζώων. 4. Impius in res creatas, ut qvi mundum fecit æternum l. I. de Cœlo, c. IX. τὸν κόσμον ἀίδιον, ἄφθαρτον, καὶ ἀγένητον; qvi motum æternum esse docuit operosè in Physicis; 5. Impius in religionem etiam paganam, ut qvi scorto sacra fecit, Diis propria, ita enim Aristippus apud *Laertium* l. V. de vita Philos. *Aristoteles Hermiæ concubinam adamavit, qvam sibi permissam duxit, & gaudio elatus immolavit mulieri, ut Athenienses*

Eleusinæ Cereri, Hermiæq; pæana scripsit. 6. Impius fortasse in patriam suam Stagiram, qvam Macedonibus prodidisse narratur apud *Eusebium* Præp. Evang. l. xv. nec sufficit, si metu infamiæ eandem per Alexandrum Magnum curaverit demum restitui in integrum. Apud *Eusebium* ita legas: *Democharis qvidam criminatus est Aristotelem, qvasi deprehensæ essent ejus epistolæ adversus Athenienses urbem, item eum Stagiram patriam suam Macedonibus prodidisse.* Esto tamen, fortasse liber fuerit ab hoc crimine *Aristoteles*, à suspicione tamen qvando liberabitur? utcunqve *Aristocles*, homo Peripateticus, eoqve *Aristoteli* addictior culpam hanc diluere ibidem conetur. 7. Impius in Alexandrum Magnum, tam beneficum sibi Dominum, qvem cum aliis conjuratis veneno tentavit. Manifestè *Plinius* l. xxx. c. xvi. *Ungulas tantùm mularum repertas, neqve aliam ullam materiam, qvæ non perroderetur à veneno stygis aqvæ, cùm id dandum Alexandro Magno Antipater mitteret, memoriâ dignum est, magnâ Aristotelis infamiâ excogitatum.* Similia fere *Plutarchus* in Alexando: similia *Dion Nicæus*, aliiqve. Causa iræ, mors Callisthenis ab Aristotele commendati. Notaverátqve haud dubiè Rex aversum Stagiritæ animum, cùm apud *Plutarchum* de Aristotele verba faciens: τὸν σοφιστὴν, exclamat, ἐγὼ κολάσω. 8. Impius in Philosophiam, qvam cùm à sanâ ratione, & experimentis auspicari debuisset, utinam non à sacrilego Dæmone auspicatus sit: Ecce diserta *Ammonii* verba! *Cùm annum ætatis ageret decimum septimum, jubente Pythiâ, ut philosopharetur, Athenas conceßit.* Qvidnam enim aliud Oraculum illud Pythium, qvàm impurissimi Dæmonis ergasterium? Neqve mitiùs censet de Græcanicâ philosophia in universum, adeoqve & de Aristotelicâ Clemens Alexandr. Strom. l. i. *Græca itaqve philosophia*, inqvit, *ut aliqvi qvidem, casu utcunq; & exiliter veritatem, sed non omnem assequitur: ut alii autem volunt, motum suum habet à Diabolo.* Et mox: *latrones, & fures fuere, qvi*

apud

apud Græcos sunt Philosophi. 9. Impius in Præceptorem Platonem, cui leviſſimis etiam de cauſis adverſatus eſt, ſubtilitates qvoqve Geometricas, tanqvam à ſolidâ philoſophandi ratione alienas in eo reprehendens, de qvo poſt Galilæum *Voſſius* l. de Scient. Mathemat. c. XII. In hanc rem Ælianus de Var. Hiſtor. l. IV. c. IX. *Plato*, inqvit, *nominare ſolebat Ariſtotelem pullum. Qvid autem hoc ſibi nomen voluerit, ex eo liqvet, qvòd pullus cùm ſaturatus eſt lacte materno, calcibus petat matrem. Significabat igitur Plato involuto qvodam ſermone ingratum Ariſtotelis animum.* Laertius l. V. *Ariſtoteles receſſit à Platone adhuc vivente, unde dixiſſe illum tradunt: Ariſtoteles in nos recalcitravit, non ſecus atqve in matrem pulli eqvorum geniti.* Iterum *Ælian.* de Var. Hiſt. l. III. c. XIX. poſtqvam docuiſſet, Ariſtotelem & intempeſtivè loqvacem fuiſſe, & vultu cavillas & irriſionem qvandam præ ſe tuliſſe, ſubjicit: *Plato, octogeſimum annum agebat, ita ut jam propter ætatem deſtitueretur memoriæ viribus. Intendens igitur in eum, & adoriens ex inſidiis Ariſtoteles, magnâq; cum ambitione qvæſtiones nectens, & qvodammodo ſophiſticè eum redarguens injurium ſimul & ingratum ſe præbebat.* 10. Impius in diſcipulos, qvos cùm docere honeſta debuiſſet, utinam non aliqvando amore maſculo corruperit. Taceo illum, ex *Athenæi* Deipnoſ. l. XIII. c. VI. cum Herpyllide ſcorto ad mortem uſqve conſueviſſe; taceo Nicomachum ipſi ex concubinâ illâ genitum, ſi Timotheo apud *Laërtium* fides; taceo ipſum *Ariſtotelem* delitias, & luſum fuiſſe Hermiæ Tyranni, ex eodem *Laërtio*; ſed ſtupore defixus hæreo, cùm apud *Athenæum* Deipn. l. XIII. c. II. lego iſta: *Socrates Philoſophus cùm omnia deſpicaretur, Alcibiadis pulchritudini fuit impar, ut & graviſſimus Ariſtoteles diſcipuli Phaſelitis.* 11. Impius in cives, qvibus ad vitæ neceſſaria oleum vendidiſſe traditur, poſtqvam in eo ſtrigmenta corporis ſui depoſuiſſet. Clariſſimè l. V. *Laertius: Ferunt Lyconem dixiſſe, Ariſtotelem in pelvi calentis olei lavari ſolitum, oleum q; poſtea venundare.* 12. Tandem etiam extremâ ſenectâ, Athenis

in

in Deos patrios impius esse non desiit. Vox *Laërtii* l. v. *Aristoteles cùm Athenis tredecim annis docuisset, ab Evrymedonte Hierophantâ impietatis accusatus clam in Chalcidem profugit, haustóq; aconito damnationem antevertit, vel,* qvod alii malunt, *morbo periit;* qvanqvam & morbo pereat, qvi perit aconito. Petr. Crinitus de Honest. discipl. l. x. c. III. *Origenes,* inqvit, *tradit Aristotelem à judicibus Athenien sium crimine impietatis fuisse accusatum ab Evrimedonte Hierophantâ, qvoniam dogmata qvædam ut ἄθεον καὶ ἀσεβῆ in philosophiâ protulisset, qvæ cultum Deorum minùs probarent. Ex qvo Athenis relictis Chalcidem se contulit.* Sed fortassis cæteri mores ejus intaminati, & eruditio pœne divina illam plusqvam decumanam impietatem tantillum mitigabunt. Cuperem & ego molliùs istæc omnia interpretari, nisi aurem identidem vellicarent Scriptores antiqvi indicantes, fuisse Aristotelem in juventute patrimonii decoctorem, & ex infelici milite pharmacopolam; statâ ætate assentatorem; imminente senio avarum Evclionem. Merentur audiri ipsi Auctores: *Ælianus* de Var. Histor. l. v. c. IX. *Aristoteles abliguritis omnibus pecuniis, qvæ ex hæreditate parentis ad ipsum devenerant, in militiam profectus est. Deinde cùm siniſtrè, maliśq; avibus hoc ei procederet, pharmacopolam egit.* Lucianus Dialog. mort. colloqvio inter Diogenem, & Alexandrum: Diogenes: *Annon,* inqvit, *hæc te docuit sapiens ille Aristoteles, nè res eas, qvæ à fortunâ proficiscuntur, firmas esse putares?* Alexand. *sapiénsne ille? cùm sit assentatorum omnium perditissimus. Sine me solùm Aristotelis facta scire, qvàm multa à me petierit, qvæ mihi scripserit, ut́q; meâ in disciplinis ambitione abusus sit, cùm mihi palparetur, ac prædicaret me, nunc ob formam, ac si hæc summi boni pars esset: nunc ob res gestas, atqve opes: nam has qvoqve in bonis esse censebat, nè sibi vitio verteretur, qvòd eas cuperet præstigiosus ille homo, γόης ἄνθρωπος.* Tandem ut historiam animalium perficeret experimentis, atqve utinam non magis, ut se se, & concubinam Herpyllidem locupletaret, immanem auri summam Alexandro Magno speciosо prætextu expressit. Nam qvid hìc magis videri potest propositum *Aristoteli* fuisse,

qvàm

qvàm fruî immensis illis pecuniis, & aucupum, piscatorumqve Philosophiam speciosо habitu indutam orbi relinqvere? Adeo enim sæpe jejunè argumentum illud totum prosecutus est, adeo inanibus freqventer commentis historiam suam refersit, ut veritatis avidus legendo pænè cohorrescat, mireturqve temeritatem scribentis *Conringii* de laud. Arist. *Omnia Aristoteles non libavit solùm, sed intellexit, & perfecit.* Si unum hominem, si unum aliud nobile animal pro rei majestate expressisset, plus mereretur solidæ laudis; nunc cùm ubiqve esse voluerit, factum, ut sit ferè nusqvam. Et verò si ostendat aliqvis, vel unicum animal rectè & pro dignitate rei, ab *Aristotele* descriptum fuisse, causâ cecidero. Non ita prodigè philosophatus est *Harvéus*, & opus condidit seculorum memoriâ digniſſimum. Sed, nè studio partium abripi existimemur, intueamur Scriptores, & rem ipsam. *Athenæus* Deipnos. l. IX. c. XIII. *Fertur Aristoteles Stagirites octingenta talenta ab Alexandro in historiam animalium accepisse*, hoc est, ex *Budæi* supputatione l. de Asse, qvadringenta octoginta aureorum millia, qvibus, qvid in hoc opere dignum præstiterit, judicent rerum periti; præsertim cùm rei feliciter gerendæ magnum præterea suppeditaverit præsidium Alexander ipse. Disertè *Plinius* Histor. Nat. l. VIII. c. XVI. *Alexandro Magno Rege inflammato cupidine animalium naturas noscendi, delegatagq; hac commentatione Aristoteli, summo in omni doctrinâ viro* [nec forsan malè id temporis] *aliqvot millia hominum in totius Asiæ, Græciæq; tractu parere jussa, omnium qvos venatus, aucupia, piscatusq; alebant: qvibusq; vivaria, armenta, piscinæ, aviaria in curâ erant: nè qvid usqvam gentium ignoraretur ab eo: qvos percontando qvingvaginta ferme volumina illa præclara de Animalibus reliqvit.* Præclara, non nego, & laude suâ vel ob nobilem conatum non frustranda, multùm tamen infra laudes à *Conringio* Orat. de laud. Aristot. assignatas jacentia.

III. Sed audiamus *Athenæi* de iis judicia! is ergo Deipn. l. VIII c. XI. *Talia namq; scripsit Aristoteles, ut, qvod est apud Comicum, fatuis miracula, & portenta credantur.* Post adjicit infinita

Aristotelis, ut vocat, mendacia in Hist. Animal: commissa. Tandem infit: *Multa alia persequi desino, in qvibus deliravit pharmacopola* [i. e. Aristoteles] *haud ignarus Epicurum veritatis amantissimum in epistolâ de vitæ rationibus, & institutis prodidisse, illum dissipato patrimonio, repentino qvodam animi impetu stipendia fecisse, & cùm parum felix ei esset militia, medicamenta vendidisse: patefactâ deinde Platonis scholâ ei se adjecisse.* Ut vel hinc constare possit de opinione *Conringii*, qvi Epicurum porcum Atticum nominare non erubescit, qvòd *Aristoteli* invisum pharmacopœi titulum [pharmacopolæ debuisset scribere] tribuisset, & ipse tamen vocari ita licere agnoscit, qvòd *Aristoteles* Medicus fuerit, & iidem olim Medici, qvi pharmacopolæ. In qvo *Conringii* discursu tria vitiosa: 1. Malè hic porcum appellat Epicurum, si rectè scripsit. Epicurum autem fuisse porcum falsissimum esse jam diu ostendit & *Laërtius*, & *Gassendus*; Epicuri gregem à Magistri præceptis devium in porcos migrâsse nemo forsan negaverit. 2. Tempore *Aristotelis* eosdem fuisse & Medicos, & pharmacopolas qvi demum demonstraverit *Conringius*? 3. *Aristotelem* tum Medicum fuisse, cùm esset pharmacopola, gratis dicitur. Pharmacopola enim fuit, ex testimonio *Epicuri*, anteqvam *Platonis* scholæ se addixisset, hoc est, ante annum ætatis decimum septimum, eo enim anno, ex *Apollodoro* apud *Laërtium*, Platonem audire cœpit; at qvis non videt ridiculum fore Medicum, qvi ante annum ætatis XVII. praxin exerceret. Contendat nunc aliqvis mores *Paracelsi* [qvales fuere, non qvales à *Conringio* in pejus exaggerantur] cum his *Aristotelis* moribus, videbitqve Stagiritam planissimè succumbere, nec habere clientes *Aristotelis*, cur hac parte magnopere triumphent.

IV. Sed scripta *Aristotelis* fortasse [omnium aliorum, præterqvam Athenæi judicio] adeo divina sunt, adeo naturam rerum profundè, scienterqve emedullant, ut nihil iis verius, eruditius, subtilius? Optarem hanc studiis sapientiæ felicitatem; sed Deum immortalem! qvàm procul jacet destinatione suâ, qvi eam in solo qværit *Aristotele*. Ut mirere, cur ausus fuerit in laudat. *Aristot.*

scribere

scribere *Conringius: Hæc illa sunt scripta* [de Histor. Animal.] *quibus par nullum hactenus seculum dedit, nulli in posterum anni dare poterunt.* Item: *Quum & civilium, & naturæ rerum historiæ ad miraculum, & portentum usque peritus fuerit Aristoteles.* Similia de reliquis Stagiritæ scriptis ibidem inculcat. Quòd si fato retrogrado in hoc ævum descenderet *Aristoteles*, erubesceret, opinor, ad clamosorum ejusmodi laudatorum præconia, &, quæ olim ipsius verecundia fuit, agnosceret oculos quoque suos quandoque fuisse ὄμματα νυκτερίδων. Debent equidem literæ *Aristotelis* plurimum, & gratæ id agnoscunt per universam Europam Academiæ; fortasse tamen nullius artis, scientiæve complementum ipsi debent, cùm quotannis novus studiorum omni generi cumulus à curiosioribus adjiciatur. Nec ea tamen *Aristotelis* culpa est, qui præclarè cœpit, sed patronorum ignaviæ, qui ut otio suo securiùs indormirent, desiere ubi desiit ille, & naturæ latifundium intra angustas illas Stagiritæ membranas somniculosè clauserunt. Ingrediemur tamen obiter *Aristotelis* palatia, & amore, odioque vacui scripta ejusdem contemplemur. Initio ergo incertum hodieque est, quinam libri *Aristotelem* Magistrum verè agnoscant, tum quia *Laërtius*, qui accuratiùs scripta *Aristotelis* recensuit, plurimos nominat, qui jam nusquam exstant, plurimos omittit, qui hodie nomine *Aristotelis* circumferuntur; tum quia instruente bibliothecam Demetrio Phalereo, adeoque inter cætera, *Aristotelis* libros sollicitè inquirente, multi libri spurii *Aristotelis* nomen mentientes bibliothecæ illi Augustæ illati sunt, ut ex *Ammonio*, aliisque constat, ex quibus germanos seligere difficillimum; denique *Aristotelis* libri à Nelei Scepsii hærede, ad homines rudes & ineruditos devenerunt, à morte Theophrasti Eresii, discipuli Aristotelis, reconditique ab iis sub terrâ in fossâ quadam, & ab humore, blattisque vitiati tandem Apellicouti Tejo divenditi sunt, abque eo lacunas vitiosè implente editi mendis scatentes. Tandem post Apellicontis obitum incidere in manus Sullæ, Romamque pervecti, & ibi à Tyrannione Grammatico reformati, novissimè ab Andro-

nico Rhodio publicati sunt, qvemadmodum *Strabo*, & *Plutarchus* testantur. His adjice, ex eo tempore durantem tot seculis imperitissimorum librariorum oscitantem diligentiam, & facile dijudicabitur, qvàm parùm genuina hodie scripta *Aristotelis* legamus. Idem ergo dubium qvod de scriptis *Paracelsi* movit *Conringius*, videt hîc cum fœnore relinqvi de scriptis *Aristotelis*. Facebo à *Laërtio* enumerari octo Aristoteles, omnes ferè Scriptores, qvorum libri tot seculis misceri facilè, permutariqve potuere. Esto tamen, sint germanissima, qvæ hodie legimus *Aristotelis* Stagiritæ volumina; prodierint omnia ab uno ejus cerebro, qvalia tamen sint, & qvàm hinc inde sterilia, nolim hic prolixiùs enarrare, cùm defuncti sint jam olim hoc munere alii, & in iis, sollicitissimè, vir consummatæ eruditionis *Petrus Gassendus* Exercit. Parad. adversus Aristotelicos, qvi multis, & evidentibus argumentis, magnoqve exemplorum apparatu efficaciter docet *innumera in Aristotele deficere*, *innumera superfluere*, *innumera fallere*, *innumera contradicere*, qvem oportuisset à Conringio solidè refutari, anteqvam in laudes Aristotelis tam prodigè se diffudisset. Scripsit autem ista *Gassendus* anno hujus seculi XXIVto, Conringius demum laudationem suam Aristotelicam edidit novem annis postea.

V. Sed qvid attinet verba in re confessâ perdere? loqvuntur pæne omnium doctorum voces, non sufficere naturæ, veriq; studiosis Aristotelis commenta; loqvuntur Collegia sapientissimorum Regum, & Principum Parisiis, Londini, Florentiæ, alibi instituta, eo nomine, ut jejuna hactenus, & manca philosophia naturalis Græcanica paulatim solidiora capiat incrementa; loqvuntur tot secula, qvibus intra *Aristotelem*, & ejus dissidentes interpretes dormitavit vera eruditio, nihil in cognitione rerum naturalium magnum, nihil seculis magnopere profuturum ex eâ officinâ prodiisse. Id cùm posset infinitis ostendi exemplis, hic duntaxat, ut ex ungve leonem æstimemus, docebit idem exemplo sub in terrestrium genere *leo*, bestiarum Dominus; in volu-

crum

trum ordine fulminis illa ministra, & Regina avium *aqvila*; in aqvaticorum classe, Nili terror, & lympharum Phariarum arbiter *crocodilus*.

VI. Et primò qvidem de *leone*, principe qvadrupedum, de qvo plura, & facundè *Jonstonus*. Qvæ autem de animali tam nobili reliqvit memoriæ Aristoteles, pauca sunt, & ea pleraqve falsa. Libro de Histor. Animal. III. c. VII. *Sunt nonnulla*, inqvit, *qvæ suis in ossibus nullam omnino habere medullam videntur; ut leo, qvòd admodum exiguam & tenuem habeat, eamq; in paucis ossibus: solis enim inferioribus, atqve brachiis.* Cæterùm secti hic duo leones, alter ante hos XVI annos, alter ante biennium copiosam in ossibus suis ostenderunt medullam, & qvidem in plerisq; ossibus. Proinde rectè Aur. Severin. Zootom. Democr. p. II. c. VII. *Tiberius Carrafa*, inqvit, *Bisidiani Princeps leonem aluerat, cujus ossa confracta & cava ut cæterorum, & medullosa vidimus.* Pergit ibidem, *Aristoteles: Constat profectò leo præcipuè omnium animalium ossibus solidis; sunt enim adeo dura, ut ex iis concussis ignis velut è silice eliciatur.* Neqve id in nostris leonibus observatum. Erant qvidem eorundem ossa satis solida, & dura, ut bestiarum justæ ætatis, & roboris, sed ignem ex mutuâ eorundem collisione non licuit excutere. Nec si ignis inde excuti posset, solidissimæ duritiei id esset argumentum, cùm ex arundinum Indicarum mutuo attritu ignem qvoqve eliciamus, licet multa illis ligna duriora sint. *Aristot.* l. IV. de part. Animal. c. X. *Collum cæteris animalibus flexibile, & vertebris compactum est, at lupo, & leoni osse perpetuo riget,* ὁι ἢ λύκοι, καὶ λέοντος μόνοιν τὸν αὐχένα ἔχειν. Et hoc vanum esse nostri leones demonstravere, qvorum colla vertebris suis & articulis pulcherrimè distincta erant; apophyses autem vertebrarum longiusculæ, & firmis invicem ligamentis connexæ, id qvod forsan Stagiritæ imposuit. *Idem* l. de physiognom. c. V. *Leo est animal dativum, liberale, magnanimum, amans victoriæ, mansvetum, justum, amans eorum, qvibuscum versatur.* Dederit aliqvid Androdo saucius ille antiqvorum leo, ut sanitatem reciperet, certè noster hic

ultimus misero fabro lignario, cùm fortè propiùs accederet, ex insidiis immineus nihil dedit nisi funestam mortem; ista verò bruta liberalitas fuit, & immansveta mansvetudo, ut dubitare liceat de illo Poëtæ:

Corpora magnanimo satis est prostrâsse leoni,
Pugna suum finem, cùm jacet hostis, habet.

Nihil adeo in leone hoc nostro magnanimum: prostravit ex improviso fabrum immerentem, incubuit prædæ fremebundus, sangvinem ejus ex dorso, & cervice bibit avidissimè, neqve à carnificinâ illâ averti potuit vel immissis contis, bipennibusque, vel crebris miseri palpationibus, qvibus belluam ad mansvetudinem jacens sollicitabat. Peregit ille mandata stomachi, justitiæqve immemor cruorem exsuxit, donec globo trajiciente plumbeo cadaver à cadavere ægrè divelleretur. Memorari & illud forsan non supervacuum, qvoties, qvi auxilio venerant, contos suos, hastasqve vehementiùs impellebant in leonis ferocientis caput, ille non hastas morsu petiit iratus, qvemadmodum saxa canes solent, sed sæviùs dentes, ungvesqve impressit succumbenti fabro, adeo ut ipse licet animam agens inter tormenta clamaret, parcendum bipennibus, parcendum leoni, nè violentiùs grassaretur. Judicare hic licebit de illo *Aristotelis* Hist. Animal. l. IX. c. XLIV. *Si infestantem se ceperit leo, non ungvibus lacerat, nec ullâ injuriâ afficit, sed qvatit solùm, atqve ubi perterruit, dimittit.* Faber noster nè infestavit qvidem, & periit. Ita, ex Joh. Leone l. IV. *Persensum cives sentiunt eam leonum misericordiam, & intremiscunt.* Neqve propterea leones aliqvando feritatem nativam longâ doctrinâ exuere qvisqvam inficiatur. Pergit *Aristoteles* Hist. Animal. l. VIII. c. V. *Leo emittit urinam graviter olentem, unde fit ut canes arbores odorentur. Mingit enim crure elato, ut canes ad stipites. Fœdum etiam odorem in cibis relinqvit, ex suo halitu: prosciso namq; leone interiora graviter olent.* Ergo *Aristoteles* leonem sanum nunqvam aperuit. Non olent graviter interiora, nisi à morte animalis putruerint.

Certè

Certè in nostro hoc ultimo, cùm in theatro Anatomico publicè subjiceretur cultris, nil tale deprehensum. Odor notatus non gravis, sed ferè qvalis dissecti canis robustioris esse solet. Unde veriſſimè illustris illa eruditorum Parisiensium *Societas Regia* in Anat. Leon. *Sectus fuit*, inqviunt, *leo hic tempore calido, & humido, nec plus corrupti odoris, aut putredinis in eo observatum etiam qvarto die, qvàm in cervo; minùs etiam, unde dubitari potest de illo* Auctorum *scito, qvòd anhelitus ejus sic fœteat, ut imbuta caro ejusdem spiritu propter fœtorem ab animalibus aliis non attingatur.* Sed ut progrediamur, si ideo canes odorantur arbores, ut sciant, urinámne graviter olentem reddiderint ibi leones, cur idem usu venit canibus in regionibus illis, ubi nulli unqvam conspecti leones? Deniqve qvem leones odorem relinqvant in alimentis à suo halitu, non perinde definiero, spiritum tamen admodum fœtere negant ubiqve mansvetarii. Sed in camelo fœtidissimum anhelitum notavi Parisiis, in leonibus neqvaqvam. Iterum *Aristoteles* de Hist. Animal. l. IX. c. XLIV. *Qvecunqve vel momorderit leo, vel unguibus lacerârit, sanies pallens admodum ex his vulneribus effluit, etiam per fascias, & spongias, nec reprimi ullo pacto potest.* Nè id qvidem fabro nostro contigit, cujus sangvis non magis pallebat effluens, qvàm si à tauro sauciatus esset. Sangvinem autem sauciati à leone nullo medicamine stare cur scribit *Stagirita?* credibile ejus, qvem ita vulneratum vidit, arteriam aliqvam ab irruente bestiâ impetuosâ læsam fuisse, qvæ ægriùs clauditur, alioqvin vix Philosophum hac etiam parte excusare licet. Rursus *Aristotetes* l. de physiogn. c. V. *Videtur leo omnium perfectissimum animal in assumendo maris formam.* Ita interpres; ipse autem: φαίνεται λέων τῶν ζώων ἁπάντων τελειότατος μεταλαμβάνειν τῆς τοῦ ἄρρενος ἰδέας. Qvibus nihil regeram, nisi illud illustris *Societatis Parisiensis* decretum, l. de Anat. leonis: L'duretre ne sortoit dehors, jointe à ces ligamens, qve de la longueur de trois pouces & demi: ce qve nous fit douter de la verité de ce qv' Aristote dit sur la physionomie du lion, à sçavoir, qv' il à par excellence, & plus qve tous les

autres

autres animaux, les marqves visibles & apparentes de la puissance, & de la perfection de son sexe. Adjicit *Aristoteles* l. de Histor. Animal. VI. c. XXXI. *Leonem aversum coire, urinamq. retro reddere, dictum jam est.* Dixerat jam ante l. Hist. Animal. V. c. II. *Qvæ retro urinam mittant, aversa coëunt; ut lepores, leones, lynces.* Verè forsan istæc Stagirites, neqve enim permittit leoni conformatio ossis pubis, ut in anteriora urinam projiciat. Sed qvomodo hæc conveniunt cum iis, qvæ l. de Hist. Animal. VIII. c. V. tradit: Οὐρεῖ ὁ λέων ἄιρων τὸ σκέλος, ὥσπερ οἱ κύνες. Interpres ita: *Mingit leo crure elato, ut canes, ad stipites.* Enimvero si leones urinam in postica reddunt, qvomodo mingunt elato crure, more canum, qvi eam profundunt in anteriora? Unde disertè *Philosophi Parisini* de osse pubis leonum: Certe conformation fait, qve le lion jette son urine en arriere, & non pas en levant la jambe, à la maniere des chiens. Hæc ferè sunt, qvæ *Aristoteles* de leone tradidit, qvibus l. de physiognom. c. V, adjunguntur qvædam de facie leonis externâ, sed ea oculis procul aspicientium etiam obvia, nihil qvod pressiùs rem expendenti satisfaciat. Idqve adeo verum est, ut neqve miram lingvæ leoninæ fabricam, neqve ungvium in suas latebras, nè atterantur, refugientium machinam vel verbo attigerit, licet & ista sine anatome evidenter paterent. Si libet autem ingredi viscera leonis, de iis mutum ubiqve in *Aristotele* silentium est. Qvanto rectiùs jam olim celeberr. Collega meus *D. Thomas Bartholinus* in Cent. Anat. & nuper illustre *Parisinorum Collegium* in penetralia hujus belluæ, ut & aliorum animalium inqvisivere, qvibus plurimum hoc nomine debet literatus Orbis, plura debiturus, si in laudabili illâ naturæ pervestigatione porrò continuare non detrectent. Qvæ ergo ab iis de hoc animali sapienter attacta sunt, cùm in luce publicâ versentur, repetere supervacuum est, pauca evidentioris lucis gratiâ adjicere visum, cùm Parisini illi leones ex morbo decesserint, adeoqve viscera omnia sana revisentibus neqvierint ostendere, noster hic ultimus ad usqve feralis plumbi admissionem vixerit sanissimus.

I. Ergo

I. Ergo cor ejus neqvaqvam flaccidâ carne molliusculum, sed durum, firmumqve, & circa conum pingviusculum. Externus dextri cordis ventriculi paries robustus, compactusq;, & pollicem circiter crassus; crassius adhuc, duriusq; septum cordis medium. Ad conum sinistri ventriculi paries externus adeo tenuis, ut chartam scriptoriam crassitudine vix superaret. Pendebat autem cor cum auriculis [qvæ satis amplæ] & insperso hinc inde adipe, remoto pericardio, uncias ferè viginti qvatuor. In utroqve cordis sinu glutinosum qvoddam corpus polypodes hærebat, utrum id naturale, alii dijudicent, mihi qvidem præter naturam coaluisse visum. In principio aortæ descendentis non nisi una valvula mihi observata.

II. Pulmo grandis in lobos octo divisus, cui thymus adhærebat, pingvis ille qvidem, sed pro animalis magnitudine minutus.

III. Renes elegantissimi, grandes, gibbâ parte rotunduli, sed qvorum superficiem nulla perreptabant vasa, saltem conspicua; ut suspicari liceat præter naturam intumuisse vasa exteriora renum in leonibus Parisinis. Pendebat autem ren unus leonis nostri, remotis integumentis, uncias circiter novem. Ureterum initium adeo angustum, ut vix calamum scriptorium admitteret. Pelvis in renibus nulla seorsum, sed sparsa hinc inde inter papillas vacua intervalla.

IV. Colon & vicina intestina ossibus ante deglutitis hinc inde referta, id qvod novæ speculationi fenestram aperit. An & intestina leonum ossa tandem digerunt? nam per alvum ita dura excerni vix aut observatum, aut credibile.

V. Vesicula fellis mediocris, plena bile viridiusculâ, sed non ita acris ut exsudaret qvicqvam vicina tingendo, qvod tamen in homine, & canibus freqvens.

VI. Lien ab omni pingvedine liberatus pendebat undecim circiter uncias: forma ejus oblonga & incurvata; diceres manicam thoracis repræsentari, ita alterâ extremitate amplior erat, medio curvus, altero extremo tenuior. Longitudo ejus ferè ad

pedem cum dimidio protendebatur. Color saturatè rubicundus; parenchyma molliusculum, &, ut solet, attactu frequentiori in cruorem facile resolvendum. Fibræ discurrentes infinitæ. Vas arteriosum Highmori tenuius, & obliquè hinc inde proserpens.

VII. Oesophagus internâ facie prope orificium stomachi oppidò rugosus, rugis in circulum euntibus, ut eò firmiùs orificium ejus constringeretur. Per illos autem circulos rectâ descendendo cruces formabant oblongæ velut columnulæ carneæ quatuor, ad robur parti conciliandum haud dubiè formatæ.

VIII. Arteria aspera vel bubulâ amplior, unde rugitus ille leonum formidabilis procedit; posticâ parte, quâ vicina erat œsophago, tantùm membranacea, ut cederet cibis durioribus stomacho ingerendis: anticâ autem parte, & ad latera cartilagines erant robustæ, semiannulares, & quod observari meretur, primi annuli, à capite numerando, usque ad octavum vel nonum, non distinguebantur propriè membranâ intermediâ, sed squammatim imbricatimve sibi incumbebant, ut solet tectum insterni lapide scissili; id quod ad robur vocis bestiæ hujus non parùm conferre creditum.

IX. Linguæ tunica superior raræ fabricæ: & primus quidem apicis ejus limbus mollis ad pollicis medii latitudinem; inde secutus spiculorum corneorum fauces spectantium exercitus. Spicula hæc dura quò magis appropinquabant faucibus, hoc erant minora & acutiora; in ipsis faucibus non nisi exigua. Separata hæc tunica à carne linguæ, [quemadmodum apud me vidit scientissimus illustris Collegii Parisini socius Dn. *Abbas Piccartus*] unum corpus continuum cum corneis his spiculis constituebat, cavitatem spiculorum subeunte carne linguæ eminentiori. Ita prope singuli tunicæ hujus pori in singula terminabantur spicula, eaque dura, & rigida, non ut in bubulo genere plicatilia. Sed quis persequetur universa, nisi cui pacatius otium est? De ossibus leonum videantur quædam apud *M. Aurel. Severin.* Zoot. Democr.

part.

part. IV. Allata hæc tantùm, ut videat *Conringius*, qvàm divina non sit *divina illa Stagiritæ de Animalib traditio*, qvemadmodum securè appellat, sed partim falsa, partim imperfecta. Qvod si in Rege animalium describendo ita dormitaverit *Aristoteles*, qvid de minorum gentium bestiolis censendum?

VII. Sed Reginam volucrum aqvilam forsan exactiùs figuravit? Ita qvidem primò intuentibus videri potest, sed pressiùs omnia ponderantibus neqvaqvam. Eqvidem de Hist. Animal. l. IX. c. XLII. ut compendio referam, sex aqvilarum species percenset, & suo more describit: *pygargum* esse albicante caudâ; πλάγγον καὶ μόρφνον anates occidere; *melanætum* corpore inter aqvilas minimo, colore nigro, leporibus insidiari, viribus esse omnium præstantissimis; unam hanc aqvilam fœtus suos alere, & educere, pernicem esse, politam, aptam, intrepidam, strenuam, liberalem, non invidam, modestam, non petulantem, non vel clangere, vel lippire, vel murmurare; *percnopterum* capite albo, semper famelicam, clangentem, qverulam, inertem, cadavera portare, fugari à corvis, & id genus animalibus; *haliætum* cervice magnâ & crassâ, alis curvis, caudâ amplâ, littora freqventare, demergi sæpe cum raptis, qvoties ferre ea neqveat; sextum genus esse *genuinum*, hanc aqvilam esse maximam omnium, colore subrutilam, ita ξανθὸν reddit *Plinius*, conspectu raram solamqve germani, incorruptiqve ortus ex omni avium genere, cæteras & aqvilas & accipitres, & minutas aves invicem adulterio misceri. Tandem inter alia pauca, adjicit, in universum aqvilam à prandio ad meridiem volare, & operari; mane qviescere, usqve dum impleantur conventu hominum fora, alere pullos suos donec evadant volucres, tum nido expellere, pòst regione totâ, qvam incolunt parentes exterminare, tenere enim singula aqvilarum paria longum tractum, nec pati ullo modo advenas; non capere lepores, nisi prodierint in plana; in saxis non consistere propter curvaturam ungvium, διὰ τὸ γαμψότητι ἐμπόδιον εἶναι τῶν σκληρότητα; vivere diu, qvia nidus aqvilarum semper perduret. Demum cap. XXXIV. tradit

tradit ossifragam [qvam *Plinius*, & plerique Scriptores in aqvilis numerant] probè & pullos suos alere, & pullos aqvilæ nido ejectos, donec adolescant, benignè & excipere, & nutrire. Ipsam *Ossifragam* parùm oculis valere, nubeculâ visum impediente; *haliætum* autem clarissimâ esse oculorum acie, & pullos cogere adhuc inplumes, ut adversum solem intueantur, degeneremqve, & oculis lippientem occidere, reliqvum educare. Iterum *Aristoteles* l. VI. Hist. Animal. c. VI. *Aqvila*, inqvit, *ova pariunt terna, sed pullos binos excludunt.. Ungves ejus invertuntur paucis diebus, & pennæ albescunt, ut meritò suos oderit partus. Pullum ejus ejectum ossifraga excipit, atq; educat.* Idem Hist. Animal. l. VIII. c. III. *Aqvila, si fruges in os ejus indideris, neqvit eas devorare, qvia tantùm carnivora est.* Hæc ferè sunt, qvæ de aqvilis tradidit *Aristoteles*, de qvibus si qvis judicium nostrum desideret, optassemus Philosopho veraciores aucupes, nè ab iis deceptus tot alios deciperet, erroremqve in posteros securè propagaret. Interea paucis inspiciemus rem ipsam:

I. Plures aqvilarum species omisit *Aristoteles*, *Aldrovando*, *Jonstono*, aliisqve attactas; ubi enim aqvila cygnea Rheni accola? ubi heteropus *Gesneri?* ubi aqvila marina Anglica, pede altero anserino, altero aqvilino? ubi percnopteros peregrina? ubi chrysaetos *Bellonii?* &c. Neqve id in Aristotele reprehendimus, qvòd multas hîc species ignoraverit, sed miramur tantùm dari homines, qvi sustineant scribere, *Aristotelis scripta de Histor. Animal. talia esse, qvibus par nullum hactenus seculum dedit, nulli in posterum anni dare poterunt.*

II. Qvas autem attigit hîc *Aristoteles*, earum historiam ita confusè, imperfectèq; prosecutus est, ut semper in ambiguo detineatur lector: neqve enim solus in aliqvâ corporis parte color, & is sæpe cum ætate fugax novam statim speciem effecerit, neqve illa aqvila, qvæ lepori insidiatur, parcet temerè anati. Plura, oportet, adsint indicia, ut de re constet certiùs. Si sola illa germana est, cui color ξανθὸς, sive fulvus, sive subrutilus, cur ejus virtutes vix attingit, adul-

adulterinarum autem copioſè perſeqvitur? Hanc germanam tradit *Ariſtoteles* ſesqvialterâ portione cæteras omnes aqvilas excellere; *Plinius* autem mediâ tantùm eſſe magnitudine, neutri fortaſſe viſa eſt. Cui πλάγγος, ſeu μόρφνος titulus verè tribuatur, itidem dubium; certè diligentiſſimus *Aldrovandus* nullam ſibi conſpectam fatetur, cui omnia illa, qvæ ab antiqvis traduntur, convenirent.

III. Si percnopterus eſt, qvæ exanimatis inhiat corporibus, certè & haliætus, & chryſaetos Aldrovandi qvoqve percnopterus erit, qvod idem utriqve uſu veniat. An credibile de ſolis percnopteris, & non genuinis aqvilis intelligendum illud Salvatoris: *ubi cadaver, ibi congregantur & aqvilæ*? certè ſubfulva illa aqvila, qvam ego nuper ferro Anatomico ſubjeci, cùm cadaveri bubulo comeſſabunda inſiſteret, capta fuit.

IV. Fuit autem & mihi ante biennium aqvila qvædem domeſtica nigricans, qvam cùm ſæpe altero oculo contemplarer, altero *Ariſtotelem*, ingenuè fateor, diu non potuiſſe me diſcernere, cui aqvilarum claſſi merito deberet adjungi, ita vaga ſunt *Ariſtotelis* diſcrimina, & in ambiguo deſtituunt lectorem. Tum demum ſubiit illud *Heraclidis Tarentini: Præconem ſæpe ex ſchedâ deſignare notas fugitivi, qvem, ſi præſens eſſet, ex iis notis ipſe non agnoſceret.*

V. Mirum & illud *Ariſtotelis*; qvod in aqvilis præcipuè commendant Scriptores, tanqvam proprium & palmarium, acerrimâ eſſe oculorum acie, pullos ad ſolem conniventes exturbare nido, & enecare, hoc unum haliæto ipſe attribuit, ſive marinæ aqvilæ, qvam tamen idem inter adulterinas refert, γνησίῳ autem, ſive germanæ aqvilæ nihil tale aſſignat.

VI. Qvis fidem dabit aqvilam germanam non miſcere ſe qvandoqve cum ſpeciebus aliis? qvis totâ vitâ adſtitit ei tam vigil excubitor?

VII. Non evolare eam in paſtum anteqvam impleantur conventu hominum fora itidem creditu difficile; qvid aqvilæ in abruptis, aviisqve degenti cum fori, horarúmve intervallis? im-

minet illa prædæ suæ qvoties, & qvandocunqve venter imperat, vidiqve eam primo sæpe diluculo in Cimbrorum agris volucribus insidiantem, neqve dubium, aliis eadem visa.

VIII. Cur aqvila possit radios solis ferre inconniva, non, ut decet Philosophum, definit, de qvò plura jam jam dicentur.

IX. Qvis etiam credat singula aqvilarum paria ita tractui alicui imperare, ut congeneres aves nullas in territorium suum admittant? cùm plures qvandoqve simul ad strata cadavera conspiciantur, cùm tradantur toti greges pugnaturos qvaqvaversum seqvi exercitus.

X. Melanæto, seu aqvilæ nigræ tot admetitur virtutes, ut crederet aliqvis virum fortem, & compositæ mentis ab eo describi, qvasqve in hac adulterini generis volucre, ut ipse agnoscit, reperit dotes, modestiam, liberalitatem, amorem pullorum, eas in aqvilâ verâ, germanaqve non deprehendit. Docet non invidam esse, & tamen postea aqvilas in universum advenas non pati asseverantiùs confirmat. Docet leporibus inhiare, tanqvam si hoc peculiare sit melanæto, cùm & haliæto idem apud nos contingat.

XI. Neqve id perpetuum, leporem ab aqvilâ non prehendi, nisi in planis, certè enim, ut nostri aucupes fatentur, nusqvam tuta fides, in abruptis, in planis, in sylvosis, dummodo venter, & occasio persvadeant.

XII. In saxis non consistere aqvilam, vel experimento mearum aqvilarum confutatur, qvippe illæ totis mensibus aream lapidibus stratam percursârunt, immò & sæpe pavimentum meum saxis politis incrustatum, ungvibus neqvaqvam attritis, ut hodieq; mihi ostendere ex reservatis ungviculis facile fuerit. Cur autem aqvila non atterat ungves, Philosophi erat definire, non sine experimento pernegare, de qvo ego proximè disertiùs.

XIII. Vivere aqvilam diu non negaverim, sed ex eo diuturnam ejus vitam colligere, qvòd nidus semper maneat, ut scribit *Stagirites*, imbecillima conjectura est; duret aliqvandiu nidus,

non

non ideo perdurat incola; durant & graculorum, ciconiarum, picarumqve nidi, architectis ipsis jam olim in sua principia resolutis. Memorabile est illud Sevenhusæ, [de qvo *Hegenitius* in Itin. Holland.] in Batavis nemus, consitum totum graculorum, corvorum aqvaticorum, aliarumqve avium [Belgæ vocant qvacken-, scholfers, lepelaers, reygers] nidis, ex qvibus contis excutiuntur magno numero primo vere volucres, ut ipse conspexi, qvàm primum in plumas se, pennasqve induerint, jam ad evolandum accinctæ, divenduntur qve, qvibus excussis paullò post in iisdem cubilibus aliud volucrum genus nidulatur, fœtificat, excutitur, divenditur; succedit tertium genus, ibidemqve habitat, & patitur similia, nidis semper iisdem, licet avibus jam diu absumptis.

XIV. Aqvilam, ut tantùm carnivoram, fruges devorare non posse, etiam si qvis ori ejus infarciat, commentum est *Aristotelis* indignum. Rectè hîc *Jonstonus* Hist. Nat. de Avibus c. II. art. I. *Aqvila aliqvando fame premente, fructus & fruges comedit, ut hac in parte deceptus videatur Aristoteles, qvi fruges etiamsi in os ingeras, respuere asserit.* Qvid multa? mea illa aqvila tum subflava, tum *haliætos* hordeum vorabat, & avenam, chrysaetos Aldrovandi etiam panem.

XV. Ossifragam pullos aqvilæ nido ejectos statim excipere, & benignè nutrire, optarem experimentis demonstrari posse; interea mihi qvidem parum fit verisimile; nam qvomodo statim ad cunabula aqvilæ se officiosa sistet ossifraga, pullo exterminato? præsertim cum latè habitare par unum aqvilarum scribat *Aristoteles*, nec intra pomœria territorii sui alias temere admittere. Certè enim & ossifraga aqvila est, ut omnes, qvi eam inspiciunt, agnoscent. Deniqve si illud *Aristotelis* verum est l. IX. Histor. Animal. c. XXXII. de Aqvilis in universum: *Aqvilæ alunt pullos suos, donec potestas volandi fiat: tum nido eos expellunt: post regione, qvàm ipsi genitores incolunt, totâ exterminant*, qvomodo verum erit id qvod cap. XXXIV sequitur: *haliætus cogit implumes pullos intueri adversum solem, si qvis oculis lacrymantibus id recuset, eum occidit, reliqvum*

edu-

educat. Qvos hic aqvilæ marinæ pullos educabit ossifraga? [nam de aqvilis in genere ista superiora protulit *Aristoteles*] lacrymantésne? at illos occidit mater: an qvi ferre solem oculis inconnivis valent? sed eos educat ipsa genetrix. Rectiùs veritati, & posteris consuluisset *Stagirites*, si veras ossifragæ dotes attulisset in medium, de quibus Florentiæ florentiss. & sapientissimus *Princeps Leopoldus*, nunc Cardinalis Medicæus, humanissimè mecum non ita pridem collocutus est, qvi inter alia, cùm de longissimâ pici martii lingvâ, qvam ejaculatur non fallente ausu ad distantes vermiculos capiendos, & postea contractam in spiræ modum recondit in ore, disseruisset, item de loco qvo tangendum torpedinis corpus, ut assertus à Veteribus stupor in brachio seqvatur, tandem de ossifragâ, qvæ commodùm in palatio Pithi conspecta mihi fuerat; *Dominus*, inqvit, *& frater meus, magnus Dux sæpe illi cum carnibus ossa devoranda objici jussit, advertitq; post decursum 24 horarum, ossa ipsa in stomacho ejus consumpta, nec qvicqvam eorum postea in attactis, examinatisq; visceribus, excrementisve repertum.* Alia sunt in illo *Aristotelis* de Aqvilâ commentario majora credibili, sed vel ex hac fimbriâ non difficile fuerit judicare de reliqvo texto. Verùm, qvæ omisit ad pleniorem Reginæ volucrum cognitionem necessaria, plura sunt, de qvibus nunc non plenè qvidem, sed tamen paullò expressiùs. Igitur ante biennium capta à milite aqvila nostras, & in domum meam delata viva diu curiositatem meam oblectabat, pacatior qvidem, qvòd alam dextram globo plumbeo saucia, sed nè sic tamen à generositate svetâ degenerans. Color illi subfuscus, & hinc inde qvalis in cortice castaneæ spectari solet: corpus anserino majus, alæ prolixæ, qvarum inter extremitates septem pedes Romani cum semisse numerabantur; à capite ad ultimum caudæ implebat tres pedes cum digito uno. Vox illi rara, sed cùm irritaretur, clangens. Haliætum diu credebam, qvòd ad littora capta esset; verùm cùm viderem haliætum *Bellonii* & duplo minorem esse hac nostrâ, & neqve colore, nec pedibus, nec oculis illi respondere; deniqve haliætum

Aristo-

Aristotelis victitare marinis avibus, nostram autem maximè delectari gallinis, anseribus, [qvos curiosè priùs deplumabat pede dextro, siniſtro interea cadaveri impresso] pulmonibusqve bubulis, nec cum pygargo, melanæto, morphno, percnoptero convenire, cœpi jam tum pæne γνήσιον Aristotelis, sive veram, germanamqve aqvilam suspicari. Sed color disvadebat, qvi in γνησίῳ apud *Aristotelem* fulvus est, [qvem secutus *Virgilius* fulvam vocavit aqvilam] aut, ut *Plinius* τὸ ξανθὸν interpretatur, subrutilus, in meâ subfuscus, ideoqve inter haliætos, utcunqve non omnia *Aristotelis* consentiant, referendam existimavi. Demum in illâ, præter alia vulgaria, hæc potissimùm observata:

I. Rostrum nigricans, & in acumem desinens aduncum; cujus pars infima concava, & in morem hauſtri nautici propemodum formata, eoqve ad sorbendum opportuna. Foramina narium oblonga; ad qvorum marginem inferiorem exserti notabantur nigrantes pili. Interior rostri cavitas mille ossium spongiosorum distincta mæandris. Duo illa foramina, qvæ à palpebris in nares tendunt in homine, & qvadrupedum genere, evidenter hic etiam conspicua.

II. Lingva tres digitos transversos longa, vix unum lata, & ad concavum nonnihil inclinans. Paullò ultra medium ejus versus favces exsurgebant utrinqve in lingvæ lateribus duo asperrimi dentes, piscium dentibus duritie, & acumine pares, cum integrâ serie aliorum, sed longè minutiorum, transverso, & semilunari ductu lingvæ superiora munientium. Dentes hi favces spectabant, & qvicqvid ori ingestum erat, vetabant regredi; poterantqve, ut notavi, à vivâ adhuc volucre ita attolli, ut in altum exsurgerent, & regressum alimentorum impedirent. In favcibus post arteriam asperam seqvebantur duo ordines transversi similium dentium, sed minutiorum, dispositi qvoqve in morem cornuum lunæ, qvos mox excipiebat triplex dentium obliqvè stantium series œsophagum respiciens. Deniqve post œsophagum aderat adhuc ordo unus dentium similium, sed delicatulo-

rum, & cartilaginei generis: omnium idem institutum, ut cibos vel incidant, vel stomacho qvoqvo modo reddant aptiores. Ad latera lingvæ, secundum longitudinem membri, linearis visa est foraminum patentium series, humorem salivæ congenerem pressu modico effundens. In supremo palato itidem duo cartilagineorum dentium ordines se se aperiebant. In faucibus nullum uvulæ, aut epiglottidis vestigium, sed ipsa laryngis rima nihilominus jam patenti osculo hiabat, jam coibat accuratè, qvoties volucri libitum, qvod in faucibus vivæ spectare licuit. Os hyoides duplex, posterius in morem tridentis [medio tamen dente breviori] formatum: anterius bidentem referens qvemadmodum ex figurâ alibi clariùs intelligitur. Anterioris cornua incipiunt subtus, qvâ lingvæ dentes supra eminent. In regione colli illa ipsa membrana communis, qvæ asperam vestiebat arteriam, ingluviem itidem amplexabatur.

III. Ab oculi angulo, qvi rostro proximus, exserebat se se tunica qvædam pellucida & crassiuscula à musculis suis duobus, pyriformi altero, altero propemodum qvadrato gubernata, qvam aqvila pro arbitrio jam superinducit oculo tegminis instar, jam removet, ut videat clariùs. Hanc membranam aliis qvoqve volucribus communem observamus. Orbita oculi non tota ossea, qvippe externo latere suppleverat ossis vicem membrana qvædam crassa & robusta, & ipsa osseam orbitæ substantiam supra oculos incingens. Tandem in conspectum prodiit oculus, & is pupillâ saturo colore cæruleo tinctâ, iride circum ambiente fere cinereâ. Tunica oculi *cornea*, & crassa erat, & omnium durissima, crederes germanum esse cornu translucens. Aqveus humor parcus; vitrei eadem pæne consistentia, qvæ crystallini. Figura crystallini, anteriori parte planior. Membrana subnigricans, & in plicas corrugata, nervoqve optico in longum expanso continua, medium digitum lata erat, tota vasis distincta sangvineis secundum longitudinem rugarum. Margo singularis humoris crystallini à *Peiresc*io adesse creditus, observari hic neqviit. Ex productis jam in medi-

medium non difficile, opinor, fuerit, rationem reddere, cur oculi aqvilæ sine noxâ ferre qveant solare jubar. Enimvero sive tunicam illam extimam, ambulatoriamqve obtendat oculo à radiis solaribus non lædetur magis, qvàm oculi nostri solem per diluti coloris vitrum mero meridie intuentes; sive etiam remoto illo tegmine, verè corneam illam tunicam soli ostendat, efficiet & crassitudo ejus, & durities, ut nihil adeo damni contraciet & crassitudo ejus, & durities, ut nihil adeo damni contrahatur. Qvin immò verisimile fuerit, ab inspecto identidem solle visum avis hujus acui, calefactâ non tantùm rigidâ illâ tunicâ corneâ, sed & humore vitreo, qvi in hac volucre crassior & motu segnior, ad ingressum radiorum solis efficaciùs inclarescente. Crediderim alioqvi non solam aqvilam, sed & volucrum alias, qvoties tunicam illam extimam oculo superinducunt, jubar solare irretortis intueri posse luminibus, cùm & nos eadem avibus majoribus exemptâ, & admotâ oculis nostris idem non difficulter præstemus, qvòd in tunicâ nictante & aqvilæ, & anseris contingere experimento didici.

IV. Dissectâ cute locuples ubiqve pingvedo, musculi stricti, & fibris suis pulcherrimè distincti. Hepar rubicundum, in duos lobos æqvales divisum, qvorum dexter dextrum ferè replebat hypochondrium, sinister sinistrum, distingvente lobos membranâ tenui sterno annexâ: qvippe sub sterno qvatuor se membranaceæ aperiebant cavitates, duæ laterales pro pulmonibus, intermediæ duæ pro lobis hepatis; & illæ ipsæ membranæ vicem supplentes diaphragmatis, immò & mediastini, qvòd aliis qvoqve avibus familiare.

V. Cor magnitudine propemodum ovi gallinacei, in medio situm pectore, apice ejusdem nec ad dextram, nec sinistram inclinante, sed sub spinâ sterni, mediam hepatis respiciente figuram. Sed & id volucrum aliis contingere observatum.

VI. Ductus hepaticus in intestina se se exonerabat tribus circiter spithamis cùm semisse infra pylorum, si intestina extricata consideres; in speciem tamen ob gyros intestinorum variè

involutos proximè videbatur adhærere, eo pæne loco ubi itidem ductus pancreatici duo se se in intestina effundebant. Ductuum is ordo notatus: primò, si à pyloro incipiamus, offerebat se ductus hepaticus, inde duo pancreatici, tandem cysticus, omnes intervallo vix lati digiti à se distantes. Rami hepatici ductus totum jecur percursabant, iiqve satis ampli, passim meram bilem vehentes: adeo non deest animosæ volucri, qvo ad iram & motus veloces incitetur.

VII. Nullum valvulæ coli deprehensum vestigium. In colo excrementa nigriora, qvàm in reliqvo intestinorum. Superiora intestina tantillum ampliora inferioribus; omnia simul juncta implebant pedes Romanos XIV. cum digitis qvatuor. Cœcum duplex, ab utroqve latere intestini unum, sed minutum, & vix digitum transversum longitudine æqvans, à podice qvatuor digitis transversis remotum.

VIII. Stomachus pro corporis amplitudine satis angustus, nec similis qvadrupedum ventriculis, sed cono similior circa fundum obtusiori. Vix capiebat universus stomachus liqvoris uncias qvatuor; an contraxerit sensim captivitas, in medio relinqvo. Dividebatur autem qvasi in duas partes, *superiorem*, qvæ ab orificio stomachi incipiens, interiori facie primùm ostendebat tunicam albam, qvatuor sulcis parallelis descendentibus interstinctam, & mille foraminibus minutis pertusam, deinde sub eâ tunicâ parietem crassiusculum, compositum ex infinitis & rotundis glandulis, sed minimis, qvæ per dicta foramina in stomachum hiabant, atqve sub eâ demum tunicam communem; & *inferiorem*, qvæ in fundo rugosâ primùm membranâ inhorrescebat, qvam secuta carnosa [non, ut superiùs, glandulosa] tunica, & illa à tertiâ communi externâ tandem excepta. Qvâ parte superior ventriculi pars ab inferiori dividebatur, duo corniculorum cartilagineorum eminebant paria, exstantibus glandulis qvibusdam comitata, qvas inter varii iterum pori in ventriculum hiscebant. An ab infinito illo glandularum superiorum numero sensim

fensim in ventriculi partem inferiorem acidulus qvidam liqvor destillet, ad appetitum excitandum, & coqvenda eò faciliùs alimenta definire, longioris forsan erit subsellii. Similes in dissectione cygni fœminæ glandulas inter tunicas ventriculi superioris notavi, ex qvibus succus subalbus molli pressu eliciebatur, in ventriculi inferiora descendens.

IX. Pulmo coloris erat miniati, descendebatqve ultimis marginibus ad usqve renes. Immò cavitates pulmonum descendebant infra mediam cavitatem abdominis, ita ut aër per utrumqve eorundem foramen, qvod amplitudine vix pisum admittens in abdomen hiat, qvaqvaversum cava abdominis ingrediatur. Qvod & volucrum aliis usu venire compertum.

X. Larynx constabat cartilagineis circulis integris, nisi qvâ parte incumbebat œsophago, ibi enim annuli in membranam terminabantur. Os scutiforme durum, & satis solidum.

XI. Renes agninis similes, sed non ita incurvi, ut renes vulgò esse solent. Interior eorum facies testiculorum carni simillima. Ab his, vice ureterum, descendebat alveo sic satis amplo ductus excrementa albicantia in ultimum intestini recti cavum deportans, ut ibi cum decoloribus intestinorum excrementis juncta simul excludantur, qvod avium generi solenne. Cystis fellea rotunda, magnitudine referebat juglandem, bile viridi distenta. Rotundus etiam propemodum lien, & cysti felleâ tantillum minor, substantiæ molliculæ.

XII. Glandulæ in corpore plures: inter alias enumerari merentur duæ sub lingvâ [utrinqve una] eaqve longiusculæ & conglomeratæ: ad cystin felleam una, sed qvasi in duas fissa, colore albicante. Toto colli ductu ad latus venæ visa etiam substantia glandulosa hinc inde intersecta.

XIII. In aqvilâ, sicut & in pluribus volucribus dissectis nulla hactenus vel vasorum lacteorum, vel lymphaticorum mihi spectata vestigia; ut suspicari non alienum sit, chylum in hoc genere animalium statim rapi in vasa sangvinea. Qvod & in anserum

masculorum [ubi frumentaceis jam diu turundis pasti fuerint] mactatorum sangvine evidens est, qvippe is, ubi refrixit, albissimo lacte supernatante cooperitur.

XIV. Subdigitis, præcipuè autem sub digitorum extremis tori rotundiores eminent, qvibus insistit aqvila, qvoties per aspera, & saxosa meandum, elevatis interea ungvium apicibus; qvod ut succedat eò commodiùs sqvammæ corneæ [mirum cur Aristoteli non spectatæ] digitorum summa tegentes, dum hoc fit, in se se profundiùs recedunt, qvod gressum alitis, & fabricam pedum intuenti non potest non esse manifestum.

Post aliqvot mensium intervallum, per solertiam insidiantis agricolæ, chrysaëton sive *Aristotelis*, sive *Bellonii* [non autem *Aldrovandi*, nam indicia veterum de aqvilâ germanâ oppidò sunt ambigua] nactus, diu mores vivæ domi meæ expendi, tandem etiam corpus enectæ. Magnitudo illi paullo amplior qvàm haliæto; corpus viventis anserino majus, sed, qvod mirere, levius. Alarum extrema octo pedes Romanos à se invicem distabant. Color volucri varius, dorsi enim pennæ duplici colore, hinc subflavo, hinc cinereo undulatæ, more ferè accipitrum: venter ad flavum magis inclinabat. Crura flaviſſima, [per crura hic intelligo illam in volucribus pedum partem, qvæ tarso respondet] ac si croco tincta fuissent, plumis destituta; rostrum & ungves nigrantes. In areâ, aut pavimentis saxeis, ligneisve nunqvam visa est incedere more aliarum volucrum, sed subsultando currebat, vel residebat qvieta. Currebat autem elevatis molliter ungvium acuminibus, nè allisu illo attererentur. Pax illi cum gallinis Africanis, bellum cum reliqvis. Clausas enim eadem simul domunculâ notabam se mutuò intueri, & totâ nocte simul consistere sine offensâ. Anseribus autem, anatibus, gallinis minoribus, columbis, secedentibus ad negotia inspectoribus, è vestigio inhiabat. Nec invita descendebat ad vorandos pisces, frugesq;, præsertim esuriens, & remotis arbitris. Viso enim homine ab omni alimento pertinaciter abstinebat, sed per rimam januæ inspectan-

ſpectantibus licebat manducantem contemplari. Offerri juſſeram jam vivas aves, jam alburnos, lucios, angvillasqve, jam averam, jam hordeum, nullis pepercit, omnium etiam veſtigia in ventriculo diſſectæ reperta. Nunqvam, totis ſex hebdomadibus, qvas viva apud me exegit, audita clangere, nè irritata qvidem, immò nec in articulo mortis, variè licet vexàta & compuncta. An aqvilarum fœmina non clangit [erat enim hæc fœmella] ſed mas duntaxat, an chryſaëti non illa dos eſt, ſed tantùm adulterinarum Ariſtotelis aqvilarum, nondum mihi compertum: ſaltem hæc ipſa nullo ſe clangore aqvilam teſtabatur. Melanæton non clangere *Ariſtoteli*, & *Plinio* viſum, ſed color hujus noſtræ non melanæton fuiſſe luculentè perſvadebat. De virtutibus ejus qvid adjiciam? nihil mihi cum hyperbolis Ariſtotelis: volucris fuit, fera fuit, & de ventre ſollicitior, qvàm de morum diſciplinâ, omnia, etiam lectos, ſtragula, libros, menſas excrementis ſuis, ſibi permiſſa latè conſpurcans.

In Anatome haliæti qvæ occurrerunt, in hujus qvoqve aqvilæ diſſectione propemodum ſpectata omnia. Huic tamen ſtomachus longè amplior, & cum ingluvie junctus vel duarum aqvæ libbrarum capax, figurâ etiam ab illo altero non nihil varians; caput, & roſtrum majus, firmiusqve. Et qvia opportunitas paullò commodior inqvirendi in hujus corpus, viſum hîc adjicere qvædam ante prætermiſſa, non qvòd defuiſſe ea exiſtimem in illâ primâ, ſed qvia in unâ, aut alterâ, per ingerentem ſe putredinem, per negotia, per diſſecanda inter inqvirendum, non licet omnia perſeqvi. Cordis cum pericardio & auriculis pondus erat drachmarum qvatuordecim: hepatis cum cyſti felleâ drachmarum triginta qvatuor: lienis non niſi drachmæ unius cum granis tribus. Inteſtina longitudine ſedecim pedes Romanos implebant. Cornua uteri tenuia ſed longa; ova in teſticulis, ſive ovario multa, ſed minuta. Lingvæ illa pars, qvæ dentes illos duriuſculos inter & aſperæ arteriæ caput interjacet, poris conſpicuis hians, qvæ verò pars à dentibus ad lingvæ apicem excur-

currit, talibus vacua, sed firmior, & membranis robustioribus communita, in medio etiam tendinosa, ideoqve eâ parte post mortem translucens. Asperæ arteriæ caput ita osse scutiformi sic satis firmo undiqvaqve incinctum, ut suspicari liceat etiam in vivâ volucre claudi hiatum vix posse, & hinc ex parte pendere clangoris defectum. Annuli asperæ arteriæ, qvâ incumbit œsophagus, in membranam abierant, ut deglutitis frustis majoribus cederent promptiùs. Inter utrumqve oculum tenuissimus dividebat paries, ex duabus osseis membranis, sed pellucentibus compositus. Suturæ cranii nullæ, nisi qvòd utrinqve supra oculos rostrum versus portio qvædam ossis exigua à reliqvo cranii corpore per harmoniam veriùs, qvàm futuram divideretur. Os ethmoides in cranio ipso nullum, in rostro spongiosa varia; & qvidem primò utrinqve unum singularis artificii, qvâ parte rostrum fronti committitur, idqve crebris pertusum foraminibus, sed membranaceæ tenuitatis, figurâ cellam apiculæ in alveari formatam non inconvenienter exprimens; plura alia ad ostiolarium, sed qvod & dædalam magni artificis manum loqvitur, parietes rostri interiores osse albissimo substantiæ satis solidæ, sed miris foraminum mæandris undiqve fenestrato incrustati, ad qvos labyrinthéi generis flexus allapsæ particulæ odoriferæ variè se insinuant, varieqve resultant, & sæpe [ut verò simillimum est] in duos illos nervos odorarios, qvi per rostri inania feruntur [& versus curvaturam ejus manifestè in qvatuor finduntur ramulos] incurrunt, motum sui generis cerebro communicaturæ: ut proindè rostri aqvilini fabrica multum conferre ad odores exqvisitissime percipiendos videatur, adeoqve odoratûs organum in naribus rectiùs constituendum cùm *Platone* [à qvo ista didicit *Aristoteles*] qvàm intra calvariam cum *Galeno*, de qvo prolixè & eruditè Cl. *Schneiderus*. Labyrinthus in aure internâ aqvilæ utrinqve unus, speciem referens qvodammodo crucis ad extremitates incurvatæ, & in se ipsam reflexæ, pediqve osseo incumbentis, intus ubiqve cavitas, qvæ aciculam facilè admitteret. Cerebrum

vix

vix unciam pondere implebat, in cujus fabricâ, qvòd, anteqvam manus ipsi examinando admoveretur, putredinem invisam exhalaret, nihil observatum memorabile.

Vix expeditâ chrysaëti hujus anatome, tertia in manus nostras aqvila incidit, & illa chrysaëti nomine non indigna, qvippe colore & magnitudine priori ferè gemella, nisi qvòd nec crura ejus intensè flavescerent: nec mores cum superiori per omnia convenirent. In hac qvæ conspectiora visa sunt, paucis recensebo.

1. Clangebat sæpissime, & ad qvasvis hominis minas voce strepera insurgebat, eaqve ingratâ, anserum voci non nihil simili, aliter qvàm prior haliætus.

2. Pax illi cum gallinis etiam minoribus, anatibus autem freqventer insidiabatur. Notata tamen gallinarum ex loco illo fuga, in qvo aqvila pascebatur.

3. Volupe illi per glaciem incedere; videbaturqve strepitu tenuioris glaciei ad ingressum suum disruptæ oblectari. Crurum superior pars plumata, inferior glabra, sed fulva.

4. Incessus illi similis incessui gallinarum, aut cornicum, non subsultans, ut priori. Pupilla huic coerulea, iris flava.

5. Gaudebat aqvis, etiam marginibus cuparum, qvibus aqva continebatur, insiliens, & in aqvis ipsis anserum more se se abluens.

6. Carnium omne genus vorabat cupidè, piscibus etiam non tantùm mortuis, ut alburnis, percis, salmonibus, sed & vivis inhiabat: visaqve est sæpe labris cuparum, in qvibus lucii vivi, insistere, iisqve non oculis modò inhiare, sed & in medias aqvas præcipitem se agere ad capiendam prædam vivam. Qvin immò notavi aliqvando vivum lucium grandem, cùm cætera aqvas qvietè percursaret, visâ tantùm aqvilâ ita subitò cohorruisse, ut insvetis, validisqve motibus fugam tentaret.

7. Bibebat sæpe aqvam, aliqvando etiam invitata lac. Qvin eò processit audaciæ, ut culinam ingressa calentes in foco ollas visitaret, & edulia sibi ibidem conqvireret.

8. Ligatis alis incedere nullo modo poterat, sed statim in alterutrum latus, remigio illo destituta recumbebat.

9. Alarum extrema sex pedes Romanos cum qvadrante dimidio à se distabant. Singulæ alæ eminebant extra corpus ad pedes tres, si tres digiti excipiantur: & qvæ longitudo erat alæ cujusvis, eadem erat à rostri initio ad caudæ extremum. Pendebat in universum non nisi decem libras Colonienses, cùm captus circa idem tempus cygnus grandior, & ad stateram expensus triginta duas libras pondere impleret.

10. Tandem jussa mori, ligatis alis injecta aqvis diu strenuè natabat, sed pòst violenter conto pressante submersa, nihilominus viva sub aqvis duravit ad horam dimidiam, validissimè interea anhelans. Diceres fessum ex itinere viatorem spiritum ducere.

11. In hujus anatome præter superiùs observata, hæc se oculis nostris spectanda obtulere. Laterales cerebri partes ferè globosæ, & versus locum, qvo invicem junguntur, ventriculi aderant, tenui cerebri substantiâ tecti. Pars qvæ septi loco deservit, fibris albis hinc indè distingvebatur. Ipsum septum non erat unum corpus continuum, sed in medio divisum.

12. Loco pinealis glandulæ apparuit substantia qvædam glandulosa, à basi cerebri ad usqve duram matrem continuata: qvâ autem parte duræ matri illa annectitur, crassior visebatur, inde mox tenuior reddita versus basin funiculi nervi speciem referebat. Ante eandem ferebatur ventriculus qvartus.

13. Cerebellum figurâ & prope magnitudine columbini ovi, sed in eo lamellarum rami longè rariores, qvàm in homine aut brutis. Cavitas in cerebello insignis notata, & ad qvartum usqve ventriculum se porrigens.

14. Nervorum opticorum thalamus, sive continuatus processus non tegebatur partibus cerebri lateralibus, sed constituebat tubercula qvædam peculiaria, intra qvæ utrinqve ventriculus unus, & is sic satis manifestus, communicans cum ventriculis

reliqvis

reliqvis sub expansione cerebri, qvæ versus cerebellum continuatur. Ut adeoqve in cerebro aqvilino sex ventriculi conspiciantur.

15. Qvo loco nervus opticus corneam penetrabat, non deprehensum est foramen rotundum, sed oblongum. Humor crystallinus & anticâ parte, & posticâ planior, mediâ convexior, in morem casei Hollandici.

16. Ossis spongiosi vices supplebat membrana qvædam solida, cochleæ modo circumiens, & nervos recipiens non tantùm ab odoratorio, sed & ab altero illo nervo, qvi per orbitam oculi posteriùs accedens cum pari deniqve suo concurrit, & in rostri interiora distributus in varios ultimò ramulos terminatur. Huic nervo assidebat glandula qvædam conglomerata, vasculum suum, ut apparet, versus narium foramina emittens.

17. Sub peritonæo intestinâ involvente passim inventi minuti & rotundi globuli [an glandulæ] ovis formicarum non absimiles, qvi pressu ungvis attriti cum strepitu rumpebantur.

18. Pancreas alterâ parte subrotundum & planius, alterâ in longum protensum. Ad latera venæ cavæ circa renes notata corpora duo glandulosa oblonga, in tendines tenuissimos desinentia.

19. In cordis sinu dextro valvula carnosa tricuspidum vices supplebat, qvod & in volucribus aliis deprehensum.

20. In uropygii extremo corpora duo glandulosa, & qvidem cava, cellulisqve pluribus, in ostium commune contenta sua exportantibus, distincta.

Ossium historiam attexere non placuit, ut in sceletis Aldrovandi, aliisqve passim obviam. Ossis tamen hyoidis conformationem, ut sceletis non annexam figurâ exprimere libuit, in *Act. Med.* De musculis aqvilæ multa curiosè *Aldrovandus*, sed victus difficultate operis, non satis plenè. Plenam ergo, & accuratam musculorum aqvilæ fabricam in ædibus meis, doctâ & sollicitâ *Clariss. Stenonii* nostri manu enodatam videat, cui volupe,

in *Actis Medic. Hafn.* proximè edendis; neqve enim hùc omnia congerere vacat. Ubi simul ex chemicâ operatione adjunxi, qvâ proportione in carne aqvilinâ aqva, qvâ terra, qvâ oleum, qvâ sal volatilis & fixus se se habeant.

Et hæc qvidem, qvantum fert instituti ratio, de aqvilâ, in cujus historiâ si qvid peccavit *Aristoteles*, à Græcæ fidei aucupibus circumscriptus, condonandum illi forsan, ut tot aliis negotiis districto, sed statariis istis Stagiritæ præconibus condonandum ægriùs, qvi dum noxiis illis, qvas in Aristotelem plenâ manu congerunt, laudibus juventutem Academicam scriptis ejusmodi semicrudis affigunt nimiùm, eam à verâ rerum naturalium contemplatione, hoc est, ab operibus DEI, ad opera pagani hominis expendenda pernicioſè sæpe avertunt.

VIII. Nunc demum intuendum, an internoscendo aqvaticorum generi sollicitiorem operam impenderit *Aristoteles*. Id ostendet paullò accuratior contemplatio *crocodili*, cujus notitia exqvisitior fugere utiqve Stagiritam non potuit, si huc curam vertisset sedulam, invitante Nilo, cui tum Alexander latè imperitabat. Qvæ igitur de Crocodilo commentatus est *Aristoteles*, hæc ferè sunt: l. de Histor. Animal. v. c. XXXIII. *Crocodilus fluviatilis ova parit circiter sexaginta, colore alba, & sexaginta diebus incubat, vivitq; diu, & maximum animal minimâ hac origine evadit. Ovum enim non majus qvàm anseris, & fœtus inde exclusus proportione ei respondet: attamen crescit ad XVII cubita; sunt qvi eum augeri tamdiu, qvam diu vivat, confirment. Idem* Hist. Animal. l. III. c. I. *Testes crocodili lumbis ejus intus adhærent. Idem* Hist. Anim. l. I. c. I. *Crocodilus extra aqvas parit. Idem* Hist. Anim. l. I. c. XI. *Movent omnia animalia maxillam inferiorem, crocodilo fluviatili excepto; is enim unus* superiorem tantùm movet. *Idem* Hist. Anim. l. II. c. I. *Crocodilo crura tum priora, tum posteriora etiam retro flectuntur, paulum in latus vergentia. Idem* Hist. Animal. l. V. c. XXXIII. *Crocodilus aqvaticus parit in terrâ. Idem* Hist. Animal. l. VIII. c. XV. *Crocodili qvatuor mensibus frigidissimis latent, nec per id tempus qvicqvam*

qvam comedunt. *Idem* Histor. Animal. l. VIII c. ii. *Crocodili ab aqvâ discluſi vivere non poſſunt.* *Idem* Histor. Animal. l. II. c. X. *Lingva omnibus data eſt* [qvadrupedibus oviparis] *excepto, qvem Ægyptus fert, crocodilo: nam ille ſimilis eſt piſcibus qvibusdam. Piſces enim omnino ſpinoſam* [ἀκανθώδη] *nec ſolutam habent lingvam; nonnulli etiam lævem, & membris carentem eum ipſum lingvæ tributum locum ſortiuntur, niſi labrum admodum diduxeris.* Poſtea ibidem: *Crocodilo fluviatili ſunt oculi ſuis, dentes magni, exſertiq, ungves robuſti, cutis corticoſa, & contra omnes ictus invicta, viſus in aqvâ hebes, extra acerrimus. Dies ergo in terrâ maximam partem agit, noctes in aqvâ teporis ratione, tepidiorem enim aqvam, qvàm aerem experitur.*

In his tralatitiis, ut à piſcatoribus Ægyptiis [veracioribus fortaſſe, qvàm Græci illi] edoctus non admodum titubaverit *Ariſtoteles*, ita nec extra culpam ſe collocavit; qvin pauca adeo protulit Philoſopho digna; neqve tam cauſas rerum hic ſcrutatus eſt, qvàm ex ſermone vulgi inglorius pependit. Deſiderabit ergo curioſior aliqvis etiam in his, qvæ ab Ariſtotele pronunciata ſunt, partim lucem, partim veritatem.

I. Dubium, an ſexaginta ovis incubet crocodilus, tam inſveto plerisqve oviparis numero; ſed fingamus ita eſſe. Dubium iterum, qvomodo poſſit vitaliter incubare, cùm, ut ex placitis Ariſtotelicis recenſuimus, pariat, diesqve maximam partem exigat in terrâ, noctes in aqvis. Frigebunt enim forſan tot noctibus ova, nec reſtituet incubatio diurna, qvod toties noctu emoritur. Qvid etiam, ſi crocodilus non incubet, ſed [more ſtruthiocameli] in arenâ Niliacâ ova ſua relinqvat ſemiſepulta, excludenda ſoli, aëriqve? Certè obſervavit *Gyllius*, ut apud *Jonſtonum* diſcimus, crocodilum ova ſua arenis obruere, & ita tandem abſqve ullo incubatu catulos crocodilinos prodire. Joann. Leonis vox eſt in deſcr. Afric. l. IX. *Crocodilus ova in ripam mittit, arenâq, cooperit: catuli confeſtim in flumen inſiliunt.* Accedit lulentum Excell. Dn. *Curtii Adelerii*, generalis hodie in Daniâ maris præ-

fecti, virî antiqvâ virtute, & fide, de excluso sine incubatione crocodili fœtu testimonium, qvi ante paucos annos oculis suis ea usurpavit in Ægypto, qvæ seqvuntur: Amicus qvidam ejus, cùm unà Cairi æstate hospitarentur, relictis in diversorio, in cistâ suâ obseratâ cum vestimentis aliis, ovis crocodili duobus recens emptis, ut Venetias transferrentur, ad negotia in aliis urbibus Ægyptiis obeunda secesserat. Reversus post aliqvot hebdomadas, dum cistam fortè aperit, vestes suas lustraturus, ecce monstrum horrendum, informe! prosilit crocodilus uterqve, qvi rupto jam caloribus æstivis ovo sui juris erat, minutus ille qvidem, sed pestifer, irruitqve in nudum adstantis Æthiopis pedem, & eodem non perfunctoriè vulnerato ægrè avulsus occiditur. Ita hac æstate apud nos ova serpentum sibi in ollâ frigidâ relicta sine ullo incubatu perfectos, & aliqvandiù viventes fœtus produxere. De qvo *Acta* nostra *Medica* fusiùs.

II. Crocodilum movere tantùm maxillam superiorem, iterum commentitium est; movet enim utramqve & validè satis, & satis expeditè, qvemadmodum ante triennium Hafniæ conspeximus in binis crocodilis ex Indis Orientalibus ad *Divum Fridericum* III. transmissis, qvorum alter longitudine circiter pedum Rom. trium, qvi biennis videri poterat, in portu nostro demum obiit, alter ad pedes qvatuor in longum porrectus, qvem triennem conjicimus fuisse, vivus in viridarium Regium illatus aliqvandiu post exspiravit: uterqve in ædibus & oculis celebratissimi Medici *D. Simonis Paulli*, novaculis curiosorum à morte patuit, uterqve luculentè demonstravit vanum esse illud *Aristotelis* l. 1. Histor. Animal. c. XI. κινεῖ δὲ πάντα τὰ ζῶα τὴν κάτω γένυν, πλὴν τῆς κροκοδείλου· ἕπος γὰρ τὴν ἄνω μόνον.

III. In lingvâ crocodili describendâ fluctuat *Aristoteles*, cùm & neget lingvam ei esse, locumqve tantùm lingvæ adesse pronuncíet, & postea lingvam videatur agnoscere, sed non solutam. Audiatur iterum ipse l. de Part. animal. IV. c. XI. *Lingvam etiam in ore continent omnia, excepto uno crocodilo fluviatili. Hic enim*

non

non videtur lingvam habere, sed lingvæ tantùm locum. Cujus rei causa est, qvòd idem & terrestris sit, & aqvaticus. Ergo ut terrestris obtinet lingvæ locum, ut aqvaticus, elingvis est, ἄγλωσσος. Sed qvid illâ fluctuatione opus? pronunciandum disertè, crocodilo lingvam esse, eamqve etiam lusco manifestam. Hæret illa loco ordinario, satis eminens, ut oculati testes plures asseveramus, sed crassâ qvadam tunicâ obducta piscatores forsan perfunctoriè inspicientes decepit. Divisâ illâ tunicâ in conspectum prodiit, justæ magnitudinis, substantiæ tenerrimæ, glandulosa, albicans, & compactâ pingvedine circumdata, rangiferorum lingvæ non admodum dissimilis, ut mirum sit scribere etiam de crocodilo *Herodotum* in Euterpe: γλῶσσαν δὲ μοῦνον θηρίων οὐκ ἔφυσι.

IV. Crocodilum totis qvatuor mensibus latere, nec qvicqvam comedere, credat qvi volet; sed paucis forsan verisimile fiet, bestiam voracitatis adeo inexplebilis, ut neqve carnibus parcat, neqve piscibus, præsentibus in Nilo non uti dapibus. Nemo id fortasse certò definierit, nisi qvi qvatuor mensibus sub aqvis Nili crocodilo custos assedit. Latent ursi, sed solatur jejunia fœtus anteriorum pedum. Lateant crocodili, dum vel piscium, vel graminum, vel aqvarum affatim est, habent qvod bibant, qvod devorent. Qvot piscium generibus alimento est sola aqva, & marina gramina?

V. Non tam Philosophi est scribere: *sunt qvi crocodilum augeri, qvamdiu vivat, arbitrentur*, qvàm prospicere animo, verane sint, qvæ scribuntur; & si vera, causas tam insveti augmenti indagare. A qvò cùm abstinuerit *Stagirites*, nos de eo, qvæ maximè videbuntur similia vero, afferre in medium conabimur. Vastas qvidem crocodili exuvias vidi Amstelredami in myropolio gaperiano, sed majorem figurat longitudinem *Plinius*, qvi eam ultra duodeviginti cubitos producit. *Plutarchus* ascendit ad cubitos XXV. *Ælianus* tandem ad XXVI. Nec ultra forsan extensum vidêre olim Ægyptii. Circa urbem tamen Panamam, ultra centum pedes in longitudinem crescere auctor est *Jonstonus*. Itaqve cùm insve-

insveto cæteris oviparis auctu porrigat se se crocodilus, de causâ laborandum. Duo qvidem hîc mira, *unum*, crocodilum prodire ex ovo mediocri, & tamen visum, qvi centum pedes longitudine æqvaret: *alterum*, crocodilum totâ vitâ [ut qvibusdam creditum, docente *Aristotele*] contra morem animantium cæterorum augeri. Utriusqve ratio à structurâ, & conformatione ossium crocodilinorum petenda. Initio qvidem, satis constat ossa, & vertebras dorsi balænarum, elephantorum, bubalorum, eqvorum, taurorum in amplissimam qvoqve molem extendi. Verùm ista ex semine glutinosô, & ad extendendum obedientissimô juxta sententiam communiorem nascuntur; crocodilus ex ovô mediocri, nec ex eô toto, sed minutissimâ ejusdem particulâ, maculâ scilicet illâ rotundulâ, qvæ vitello adnascitur: hos enim natales oviparis fusè, atqve eruditè assignat *Harvéus*. Serpentum generatio, utcunqve ovis etiam adscribatur, nonnihil diversa est, & corpora eorundem porrectioni magis morigera, cùm & pedum illo apparatu, & sqvammis hirtis, durisqve pleraqve destituantur. Ex tantillis ovi initiis mirati hactenus sumus struthiocamelum tantum corporis potuisse colligere, ut eqvitem mediocri caballo insidentem altitudine æqvaret, qvod *Plinio* traditum, & mihi in horto Bruxellensi spectatum; sed justiorem admirationi causam ministrat crocodilus, ex corpusculô fabâ minori in centum pedum longitudinem excrescens, de qvo ita *Herodotus* in Euterp. *Ex omnibus, qvæ novimus, animalibus, hoc ex minimo maximum evadit.* Causam inusitati hujus incrementi fabrica ossium, & vertebarum crocodili videtur aliqvatenus ostendere. Cùm in ultimô hîc dissecti ossa [qvæ adhuc apud me asservantur] diligentiùs inqvirerem, observatum mihi in spinâ animalis, qvod ad qvatuor tantùm pedes in longitudinem exibat, sexaginta vertebras ordine se excipientes numerari, in collô qvidem novem, in dorsô viginti, in caudâ reliqvas. Qvibus cùm vertebris animantium aliorum hoc erat commune, qvòd corpore toto, maximè autem circa medullas spongiosæ essent, eoqve

alimen-

alimentum continuè bibere, & majora diu capere possent incrementa. Sed in reliqvorum animalium genere his ossium incrementis stato ætatis tempore meta definitur. Proinde aliud in crocodilô investigandum. Nec parum forsan juvabit crocodilum, qvòd maxima illa in cæteris animalibus apophysis, qvæ posticâ parte vertebris adnascitur, & propriè spinam dorsi constituit, unâ cum duobus lateralibus apophysibus in crocodilô luculenta epiphysis sit, neqvaqvam apophysis. Levi enim in aqvâ coctura, à reliqvô vertebrarum corpore separabatur, patente ad spinalem usqve medullam largo hiatu, eoqve ad extensiones in vivo animali seqvacior est; qvando enim corpora continua ob rigorem, duritiemqve partium extendi amplius neqveunt, contigua hæc propter ingerenten se se utrinqve mucilaginem, humoremq; nativum, duci adhuc, porrigiqve se facilè patiuntur.

Seqvitur validissima ratio petita ex conformatione acetabulorum, in qvibus capita vertebrarum colli, dorsi & caudæ crocodilinæ vertuntur. Junguntur in animalibus vertebrarum harum ossa per ginglymon, ut vocant Anatomici, sed ita, ut & superum, & inferum vertebræ caput ad planam qvidem figuram accedat, superum tamen aliqvid simul convexi ostendat, inferum aliqvid concavi; utrumqve caput suæ ambiunt epiphyses, sive appendices osseæ exemptiles, & ipsas vestit insuper mucus cartilagineus ad formam capitum accuratè figuratus: in crocodilo autem vertebrarum caput inferius longè ultra corpus vertebræ procurrit, exstante admodum tuberculo, superiùs autem profundâ cavitate subsidit, ut caput [sive dentem vocare libeat] proximæ vertebræ commodè alveo suo excipiat, pæne in morem interioris illius capitis in osse femoris, qvod profundè coxendicis acetabulum ingreditur, Naturæ architectô hac viâ luxationum periculis obviam eunte. Ita vertebræ crocodili, qvamvis paulatim à se se non parum cogantur recedere, in longitudinem porrigente se paulatim post longam voracitatem bestiæ corpore, ab articulis tamen suis ideo non exeunt, tuberculis illis adhuc in-

tra alveorum dimidias remanentibus, atqve ita omnem præcludentibus metum luxationum. Accedit mucosa illa cartilago, qvæ tum alveos, tum capita vertebrarum incingit, hæc enim, qvò recedunt à se vertebræ longiùs, hòc ob continuum nutrimentum evadit crassior, occupatqve spatium à recedente tuberculo relictum, semper tamen & ipsa cava ad formam acetabuli deserti. Qvò fit, ut similia animalia, qvamdiu mucilago illa cava allapsu novi pabuli extendi potest, & convenienter densari, tamdiu & illa in longum excrescant, licet incrementum vertebrarum ossearum diu ante cessaverit. Deniqve extensionis facilitati complementum addunt qvindecim ossea epiphyses, furcillis, qvibus militum bombardæ incumbunt, similes, qvæ incipiunt [à posterioribus crocodili pedibus numerando] in primis caudæ vertebris, & qvindecim seqventia vertebrarum internodia antica fulciunt, firmantqve, adeo ut si illæ, qvibus insistunt, caudæ vertebræ tantillum à se se recedant, contineantur tamen in officio, & à luxatione immunes sint stantium harum furcillarum beneficio. Lorica exterior crocodili, ut ex sqvammis seqvacibus, & facilè cedentibus interiori augmento constans explicationem hanc reddit expeditiorem. Et hæc de longitudine. Sed cur & in amplitudinem tantam extuberat crocodilus vetulus? qvia præter morem cæterorum animalium non tantùm costæ illi ossea sunt, sed & cartilagineæ, qvæ medio ossea, tribus locis distingvuntur singulæ, cartilagine pellucidâ, neqvaqvam osseâ. Igitur qvando cartilagineæ illæ costæ extendi in amplum ulterius neqveunt, restant adhuc pellucidæ illæ intermediæ cartilagines, & ipsæ ad nutrimenti copiosioris allapsum morigeræ. His accensenda pingvedo copiosa, qvæ ut omne animantium genus, ita vel maximè crocodilum, animal voracissimum ultra metas ossium facilè exporrigit. Sed ut columnas illas Herculeas ab *Aristotele* hîc signatas aliqvantisper transeamus, intuebimur porrò alia in crocodilis nostris conspicua.

I. Ergo

I. Ergo caput illi latum erat, roſtrum ſuillum, oculi ſuillis externâ ſpecie non diſſimiles, ſed qvorum interiora expendere non licuit, ne ſceleti nitor defloraretur; rictus oris ad locum aurium productus; palpebra inferior ſine ullâ nictatione; dentes pectinatim locati, maxilla utraqve ad motum promptiſſima; pedes anteriores repræſentabant manum digitis qvinqve conſtantem, qvorum priores tres ungvibus incurvis, & acutis horreſcebant, reliqvi duo vacui ungvibus ſpectabantur. Dorſum ſqvammis duris rigidum, clavatumqve. Pedum poſteriorum ſinguli qvatuor numerabant digitos, eodem ferè modo, qvo anatum, anſerumqve pedes cuticulâ qvadam intermedia connexos, de qvibus hoc inſuper notandum, qvòd priores armarentur ungvibus, qvartus verò ungve planè deſtitueretur.

II. Detractâ cute caro apparuit alba, delicata, & cuniculorum carni non diſſimilis, qvam coctam cùm qvidam famulorum deguſtarent, ſvavem ejus guſtum prædicabant. Eoqve Ægyptii carnibus crocodili veſcuntur cupidè, ut eſt apud *Jo. Leonem* in deſcr. Africæ. Pingvedo in primô perexigua, in ultimô nulla.

III. De lingvâ ſuperiùs actum, qvæ neqve abfuit, neqve caruit officiô ſuô, ſed nè devorando aſpera exulceraretur, tunicâ craſſiori involuta ab injuriis externis vindicabatur.

IV. Epiglottis ſpectabatur latiſſima, & ferè ſemicircularis, totasqve fauces claudens, idqve fortaſſis, nè dum animal apertô rictu dormit, vel ichneumon, vel aliæ in os illapſæ beſtiolæ viam ſtatim ad ima usqve viſcera inveniant.

V. Muſculus cervicis flexor octo digitos transverſos longus, tres craſſus, rotundulus & ſubſtantiæ ſolidiſſimæ, in qvo uterqve fibrarum muſculi verſus, intermedio nervoſo tendine pulchrè eminebat, pennam anſerinam non iniqvè referens.

VI. Diaphragma illis tenuiſſimum, ut vix tela aranearum tenuior æſtimari poſſit.

VII. Pulmones folle inflati ad tactum tenerrimi erant, visu pulcherrimi, colore subrubicundi, spongiosi, ex perpetuò continuatis vesiculis constantes, sine ullo parenchymatis vestigiò, planè ac si qvis pulmones ranarum inspiciat.

VIII. Hepar bifidum binis lobis insigne; sub dextro aderat vesicula fellis, eaqve insignis magnitudinis, bile repleta.

IX. Peritonæi membrana tenuissima, nec vasis sangvineis evidenter distincta.

X. Pericardium densum; cor mediocre; auriculæ cordis grandiores, qvàm animalis magnitudo spondere videbatur.

XI. Ventriculi capacitas ampla, ut facile constaret de edacitate bestiæ. Interior ejus tunica rugosa, & insigniter crassa, in cujus gremio plures lapilli albi, pellucidi, magnitudine nuclei avellanæ jactabantur.

XII. Circa regionem ossis pubis parte supernâ visa substantia qvædam cartilaginosa, & prope ossea, eaqve mobilis, de qvâ ob festinatam raptim dissectionem nihil temerè definiero.

XIII. Sub dextro hepatis lobo notata est substantia qvædam peculiaris glandulosa, alba, multis, minutisq; glandulis referta, qvæ dissecta, manibusqve contrectata prope diffluebat, ut ovarium fuisse agnoscamus.

XIV. Renes oblongi, glanduloſi, & rubicunduli, ex qvibus utrinqve ductus, patulus, amplus, membranaceusq; descendens progrediebatur ad ultima usqve intestini recti, ut liqvorem excrementitium, urinosúmqve eò amandaret, cùm vesicæ nullum usqvam vestigium repertum fuerit.

XV. Ad principium intestini recti observata est coli valvula, qvæ ventô per follem immissô nullum progressum permittebat.

XVI. Lien ad sinistra ventriculi inventus est nigricans, & pyriformis, absqve eo vas breve ad fundum ventriculi porrectum, cavitatem autem non ingrediens.

XVII.

XVII. Arteriæ asperæ circuli continui, nullâ membranâ defectum gyri supplente.

XVIII. In omnibus costis veris [qvæ novem paribus finiebantur] tuberculum eminebat osseum ad digitum unum ab ipsis vertebris distans, qvod ipsum leviter impressô cultellô facile dividebatur, ostendebatqve singulas costas ex duobus constare ossibus, qvibus desinentibus cartilagineæ incipiebant costæ, & illæ tribus intersectionibus pellucidis, & mollioribus, adeoqve ad extensiones promptioribus distinctæ, qvæ sternum constituebant.

XIX. Ossa pubis conum obtusiorem, sed planiorem aliqvatenus referebant.

XX. Medulla spinalis exteriùs crassâ tunicâ rubicundâ tegebatur, à durâ matre descendente. Secunda, & propria medullæ tunica, piæ matris soboles nigra erat, & tenuissima, intra qvam medulla ipsa albicans, & mollior continebatur.

XXI. Jonstonus qvidem: *Dum gradiuntur*, inqvit, *crocodili, gratum relinqvunt odorem, adeo ut fœminam Arabicos odores æqvare Nili accolæ prodant.* Sed de eo sententiam nostram suspendimus, cùm in nostris crocodilis nihil tale deprehensum; an progrediente ætate gratiùs fragrent, nobis incompertum.

IX. Sed nè egrediamur metas nobis præfinitas, tria hæc, qvæ excussimus, animalia, non plenâ qvidem operâ, [nec enim id per negotia alia licuit] paullô tamen pleniùs fortasse, & explicatiùs, qvàm à Stagiritâ præstitum, fidem facient mirificè paratragœdiâsse *Conringium*, cùm ista scriberet: *Aristotelem historiæ naturæ rerum ad miraculum, & portentum usqve peritum fuisse. Nullum seculum scriptis Aristotelis parta dedisse, nullos in posterum annos dare posse, nihil Aristotele majus, atqve eruditius esse omnes inter homines, qvi doctorem ipsum Deum non agnoscunt.* Excuset clientem suum *Conringius* gravi illo apophthegmate: *Qvicqvid particulare ac singularium est, suapte naturâ ab excellsitate cujuslibet disciplinæ, atqve artis contemnitur.* Hoc autem aliqvid nihil esse res ipsa loqvitur; qvid proderunt enim generales illæ contemplationes, qvæ ubi ad

ſingularia deventum, prodigioſè falſæ deprehenduntur. Hoc enimvero eſt, qvemadmodum Itali loqvi amant, caſtella in aëre moliri, & ingenioſâ, ſed vanâ ſpeculatione cerebro ſuo lucem aucupari, naturam rerum, qvæ ſine ſpecialibus non cognoſcitur, qvæqve in minimis ſæpè maximè illuſtris eſt, cogere in tenebras. Qvid qvod & *Ariſtoteles* in Hiſtor. Animal. ad particularia deſcenderit, ſed qvàm freqventer perfunctoriè, vel ex uno hoc, alteróve exemplô, ut infinita taceam, non poteſt non liqvere. Neqve tollit nævos illos *Hierocles*, exiſtimando decem *Ariſtotelis* libros, qvos hodie legimus, compendium duntaxat eſſe qvinqvaginta illorum voluminum, de qvibus *Plinius*; etenim cùm diligentiſſimus talium *Laërtius* non agnoſcat *Stagiritæ* de animalibus libros, niſi novem, & de compoſitis animalibus unum, item unum de fabuloſis, vero ſimillimum eſt *Ariſtotelem* ex relationibus venatorum, aucupum, piſcatorum, manſvetariorum L. circiter volumina collegiſſe, ſed ex qvibus ipſe ſelectiora eruerit, & proprietate qvadam ſpiritûs ſui in opus, qvod videmus, ſpecioſiſſimum contraxerit. Neqve etiam aliud perſvadere videntur verba *Plinii* probè expenſa. Sed qvid fiet libris *Ariſtotelis* de part. Animal. & de generat. Animal. qvorum nè meminit qvidem *Laertius?* an adulterinos eos exiſtimabimus? Qvicqvid horum fuerit, eſto, L. circiter volumina ſimilia proprio Marte compoſita reliqverit poſteritati *Ariſtoteles*; reliqverit etiam ſeptuaginta, qvemadmodum tradit *Antigonus* Hiſt. Animal. c. LVI. tolerabilis tamen ſanè illa jactura eſt; ſi enim compendii peccata numerari vix poſſunt, illa operis totius, modò exſtaret, eſſent fortaſſis innumerabilia. Qvid multa? maneat Philoſophus *Ariſtoteles*, mereatur ob diligentiam, & egregia tentamenta ab omni poſteritate gratas gratias, dummodo in Deorum numerum non referatur, nec alii, qvi itidem bene de literis, bene de omni mortalium genere meruere, damnentur Orco, & ultra Garamantas à *Stagiritæ* præconibus immaturo judicio proſcribantur.

LIBRI

LIBRI SECUNDI.

CAP. I.

I. Paracelsum de Hermete magnificè sensisse; noluisse citra exceptionem haberi Monarcham omnium artium. II. Professum esse Magistros suos. III. Nobilissimæ sapientiæ Hermeticæ fuisse peritum. IV. V. Si scripta ejus & discipuli minùs videantur consentire, id Scriptorum optimis qvandoqve contingere. VI. VII. Frustra à Conringio qværi consensum Hermetis & Paracelsi in omnibus, cùm id Paracelso non fuerit propositum. Paracelsum, qvòd sciret theoretica sua obscuriora esse, noluisse cuiqvam obtrudere theoriam suam, sed praxin Medentibus commendâsse. Non videri Magum fuisse. VIII. Conringium in salis urinæ natalibus lapsum. IX. Malè subtrahere Hippocrati librum de Veteri Medicinâ. X. Petro Severino immeritò insultare. XI. Iniqviùs explicare Paracelsum de morbis medicabilibus. XII. Immeritò taxare Paracelsum ob clysmata. XIII. Immeritò vituperare Fr. Antonii aurum potabile. XIV. Frustra credere lapidem Ægyptiorum Philosophicum ad medicandum non fuisse laudatum.

I. Qvem-

I. QVemadmodum in eodem prato bos gramen invenit, canis leporem, ciconia serpentem: ita experimentis naturalibus assveti in iisdem *Paracelsi* scriptis multa egregia, & procurandæ mortalium sanitati nata inveniunt pharmaca, *Conringius* amplam litigandi materiam. Et sunt [qvis abnuit?] varia non publici saporis, non ad statuas Phidiæ comparanda, qvæ non amant naturæ consulti, sed sine cavillis tolerant, ut nævum in facie amici, qvem sublatum cuperent, non sublatum non consputant. Utqve interfit juventutis literatæ, attingi ulcera istæc, irritari tamen immisericordi manu, ungvesq; in iis relinqvi adeo non convenit, ut ab humanitate illâ, qvæ mortuis, qvæ benemeritis debetur, abhorreat. Proinde sufficisset Orbi sic satis acuta *Sennerti*, aliorumqve lima, nec accersere necesse fuit cruentiorem securim. Qvia tamen libuit *Conringio* jugulum petere præclarè meriti de re Medicâ viri, & ad Gemonias, immò ad Tartara damnare tot generosissimorum pharmacorum Auctorem, inauditum saltem mori, & ferrum recipere sine innocentiæ declaratione non oportebit. A mitioribus tamen videtur sibi auspicari, cùm in hanc sententiam orditur: 1. *Ante omnia verò est observandum, non Paracelsum ipsum, nec primos ejus discipulos Hermeticorum nomen ambiisse: sed de Hermete apud illos, nisi forte quando τῆς χρυσοποιΐας fit sermo, altum esse silentium. Enimvero Paracelsus ipse citra omnem exceptionem non dubitavit profiteri, ad se pervenisse monarchiam omnium artium*, &c. Svasit id Paracelso libertas Philosophica, ut in nullius verba juraret, in nullius nomen adoptaretur; Hermeti nihilominus nunqvam se contrarium ostendit, sed de doctrinâ, & meritis ejus, si qvis unqvam, honorificè locutus est, sensit magnificè. Etenim Auror. Phil. c. XVIII. *Hermetem* appellat *virum omnium celebratissimum, & cunctorum Philosophorum avum*. Libr. III. de spirit. Metall. c. 1. vocat Hermetem Trismegistum *omnium sapientum artis Chemicæ parentem*, & qvod consequitur, suum etiam. Libr. de Tinctur. Phys. c. 1. scribit, *Hermetem Trismegistum ad tincturæ Physicorum secretum, & verum terminum pervenisse.*

veniſſe. Libr. Secr. Mag. agnoſcit *cognitum fuiſſe Hermeti centrum & originem rerum omnium.* Qvin & ipſe *Paracelſus* alia in Hermete admiratus eſt, qvàm τὸν χρυσοποιητικὸν. Vox ejus Auror. Phil. c. 1. *Ægyptii, poſtqvam à Chaldæis, & Perſis talem Magiam, & Philoſophiam percepiſſent, voluere qvoqve, ut ſui Sacerdotes, & Præſides ejusmodi ſapientiam ſtudiosè inqvirerent, & ediſcerent. Qvo tantum emolumenti hauſerunt, ut omnibus vicinis gentibus fuerint admirationi. Igitur Hermes rectè Trismegiſtus, maximus, potentiſſimus, & ſapientiſſimus appellatus eſt, qvòd Rex fuerit, Sacerdos, & Propheta, in omnibus naturalibus rebus verſatiſſimus, qvemadmodum & poſt ipſum Zoroaſtres.* Libr. de Tinct. Phyſic. prolog. laudat Hermetem tanqvam *magnum Spagyrum, & Aſtronomum.* Paulo poſt, ad mordacem qvendam de Scripto qvodam Hermetis: *Tabula Smaragdina,* inqvit, *oſtendit plus artis, & experientiæ Philoſophicæ, Medicæ, & Magicæ, qvàm unqvam à te, & grege tuo addiſci poſſit.* Idem libro de vitâ long. ſcribit *ſe non legiſſe, non audiſſe qvenqvam, qvi artem prolongandi vitam uſurpaverit, præter unum Hermetem.* Satis confecerint, opinor, illa: *verſatiſſimum eſſe in omnibus rebus naturalibus, aſtronomum eſſe, experientiam habere Medicam & Magicam, artem prorogandi vitam callere,* Hermetem, Paracelſi judicio, plus calluiſſe qvàm τὸν χρυσοποιητικὸν. Imbecilliora ſunt, qvæ ſubjicit *Conringius: Paracelſum citra omnem exceptionem profiteri, ad ſe perveniſſe monarchiam omnium artium.* Partitur enim Paracelſus omne ævum mundanum in tria tempora, primum, qvo floruit Hermes, medium, qvod ſibi arrogat, & ultimum, qvod ab adventu Eliæ Artiſtæ monet auſpicandum. Qvòd uti liqvidò ex locis aliis patet, ita clariſſimè ex prolog. Tinctur. Phyſ. ubi diſertè: *Jam,* inqvit, *in medio hoc mundo Monarchia artium omnium pertinet ad Theophraſtum.* Excipit ergo primum ſeculum Hermetis geniò illuſtratum, excipit ſeculum poſtremum Eliæ Artiſtæ, qvod alibi multò glorioſius futurum vaticinatur.

II. Inſiſtit Conringius, &: *Huc pertinet,* inqvit, *qvòd Paracelſus voluerit videri, à nullo Magiſtro, atqve ex nullo libro ſua didi-*

cisse, sed cœlitus tantum edoctus. Non se tantùm, sed omnes Medicos è cœlo nasci urget *Paracelsus* l. 1. de Podagrâ, eò haud dubiè respiciens, non sagacitatem duntaxat judicandi tantopere in Medico commendatam, sed & medendi felicitatem ex cœlesti Numine pendere, non ex *Avicenna*, & *Galeno*, qvibus, ut mutis Magistris, & vel ad rationem humanam, vel ad Mahumetem dexteritatem suam referentibus hîc potissimùm se se opposuit. Enimvero qvî potuit fastidiisse omnes Magistros, cùm ipsum *Hermetem* tantis ornet præconiis? cùm Aphorismos Hippocratis non studiosè modò legerit, sed & commentariis adhuc in publicâ luce spectatis illustrârit? cùm præter varia scripta, qvæ evolvisse se fatetur, doctores suos *Præfat. ad tom. II. Chirurg. magn.* longo ordine recenseat, Wilhelmum von Hohenheim / Episcopum Settagiensem, Episcopum Lavantalienſem, Hypponensem, Abbatem Spanheimensem, Sigismundum Fuggerum, alios? Ut taceam Academias Germanorum, Italorum, Gallorum, qvas perlustratas sibi alibi commemorat.

III. Inculcat Conringius: *Neqve Paracelsum, neqve discipulos ejus, qvi Hermeticorum nomen ambiunt, veteris Hermeticæ Medicinæ ullam habere peritiam.* Immò oppidò verisimile est, fuisse Paracelso ea Hermetis scripta, qvæ *Conringius* vidit nunqvam. Id vel unus *Paracelsi* locus l. de tartar. ostendit, ubi ille: *Hermes*, inqvit, *postqvam comederat, sumebat semper granum thuris, vel mastiches, nè vinum bibitum se coagularet in tartarum.* Hoc aut demonstret *Conringius* in scripto aliqvo Hermetis nunc exstante, aut agnoscat, necesse est, *Paracelso* aliud Hermetis fuisse scriptum, ex qvo deprompserit. Qvia tamen notavit *Paracelsus* non nisi pauca & tenuia Medicinæ illius Hermeticæ veteris, & vulgatioris in libris hodie superstitibus exstare vestigia, de colligendis sparsis illis, velut ex naufragio, tabulis parum sollicitum se se fuisse ostendit, aliis & magis seculo profuturis intentus, secretiorem autem illam Medicinam Hermetis, qvæ & loculis mederi posset, & ægris corporibus, percalluisse fidem faciunt plura, ubi de *Paracelso*

racelso speciatim commentabimur, attingenda. Qvin concordare se *Paracelsus* in Principiis cum *Hermete* ostendit, licet paullò aliter mentem suam explicet, modestissimè interea magni sui Magistri memor. Testis liber ejus primus de generat. rer. Natural. ubi ita: *Primùm igitur*, inqvit, *notum vobis esto, qvòd omnia metalla septem ex tribus nascantur materiis, scilicet Mercurio, sulphure, & sale, cum diversis tamen coloribus. Igitur Hermes non iniqvè dixit, ex tribus substantiis omnia metalla septem nasci & componi, similiter & tincturas, & ipsum lapidem Philosophorum; qvas qvidem tres substantias Hermes appellat spiritum, animam, corpus. Non ostendit qvidem, qvid his tribus substantiis intellectum velit, ego tamen non ob id errâsse ipsum dico, sed tantùm siluisse.* Et mox subjicit; *Spiritum Hermetis, esse Mercurium, sulphur animam, corpus salem.* Paracelsi assecias verisimile est hac parte Magistri sui genium secutos esse, qvorum si nonnulli Hermeticorum titulum aucupati sunt, non id eo instituto factum putârim, ac si vulgata tralatitiæ illius Chemiæ tentamenta crederent omnino Hermetica esse, sed qvòd ad secretiora illa, & nobiliora crumenæ, ægritudinumqve, Hermeti nota anhelarent pharmaca, interea præsentibus usi sunt, candidati meliorum.

IV. Obducitur à Conringio: *Non tantùm editiones operum Paracelsi oppidò variare, sed & fortè multos ejus libros esse supposititios.* Cæterùm si ideo fastidiendus Scriptor, qvòd varient qvandoqve editiones, vix omnino Auctorum ullus fidem inveniet; nè qvid nunc adjiciam de illis ipsis salutis viam pandentibus literis, in qvibus varietatem deprehenderunt qvidam intempestivè seduli, *Curtellius*, aliiqve. Supposititia esse qvædam *Paracelso* attributa ut non negaverim, ita optimis qvibusqve Auctoribus certum est idem contingere, salvâ Scriptorum auctoritate. Qvod adjicitur: *Eam in Paracelsi scriptis esse sententiarum diversitatem, ut difficile dictu sit, qvid senserit*, id videri perfunctoriè legentibus mirum non est, assvetis autem Vulcano, & diu, multumqve inter hæc sacra versatis, pugnantium in speciem [de Chemicis rebus loqvor] loco-

locorum concordia in aliis atqve aliis non admodum difficulter deprehenditur. Accedit qvòd alia scripserit junior, in qvibus plus fumi plerumqve solet reperiri, alia ætate provectior, in qvibus plus solidi roboris. Qvid si & qvædam scripserit retractantium more? qvis vitio vertet *Paracelso*, qvod in *B. Augustino* virtutem interpretamur? Ad summam; sit in qvàm plurimis obscurus *Paracelsus*, sit perplexi oris, istam certè ambiguitatem credidit more antiqvorum deberi arcanis secretioribus. In qvo haud dubie excusatiùs peccavit, qvàm *Aristoteles*, qvem cùm arcanorum ejus momenti & ponderis ignarum fuisse constet, nihilo secius ita nebulis involvit plerumqve Philosophica sua scripta, ut sæpe qvid senserit, adhuc interpretes, post tot secula, dubio sub judice litigantes, non satis assequantur.

V. Tandem incusat Conringius discipulos Paracelsi, *ut nec inter se se, nec cum Magistro, nisi in paucis consentientes.* Atqve utinam illud crimen unius Paracelsi discipulis proprium esset, & non omnibus magnarum mentium assectis commune! In qvot scinduntur opiniones etiam illi, qvi æternæ salutis Magistrum sequuntur, ejusqve interpretantur mysteria? In qvot discrepantes sententias abeunt, qvi studia sua ab uno *Hippocrate*, & *Galeno* pendere volunt? qvâ animorum contentione certant inter se se *Thomæ*, *Scotiq;* discipuli? & utrisqve tamen propositum est, *Stagiritæ* præcepta interpretari. Neqve etiam videas temere hostiles illas inter Paracelsicos eruditos pugnas, aut eosdem adversis inter se scriptis collidi. Certè concordiùs plerumqve inter illos vivitur, qvàm inter Peripateticos; sed fac qvandoqve diffidere, qvi optimè conjecerit, ut in aliis, ita in his, vates optimus esto, & *Paracelsi* menti vicinior.

VI. Capitibus sequentibus magno conatu id agit *Conringius*, ut ostendatur, in qvo conveniat antiqvis Hermeticis cum Paracelsi decretis, in qvo alteri ab alteris dissideant. Qvis autem non videt frustra hîc sudare *Conringium*, cùm *Paracelsus* nusqvam professus sit se Hermetis castra per omnia secuturum, nec id ipsum

secta-

sectatoribus ejus, vel per somnium venerit in mentem? Si qvà autem in physiologicis, pathologicis, & medendi methodo diversus abierit *Paracelsus* à dogmaticorum sanctionibus, ut abit sanè plurimum, nemini speculationes illas suas obtrudit, contentus praxin suam laudâsse, cujus ministerio, extortâ etiam inimicis confessione, pæne ad miraculum inclaruit. Meretur & ipse in hanc sententiam audiri, præsertim l. de morb. Tinctur. *Si theorica*, inqvit, *mea tibi non probatur, placeat saltem practica mea, qvæ tibi utilitatis plus afferet, qvàm Scriptores veteres universi.* Neqve etiam credibile est, eum in theoriâ tam fuisse à ratione sanâ aversum, ut à malevolis delineatur; certè manifestæ injuriæ reus tenetur Conringius, cùm scribit: *Paracelsum contempsisse Anatomen, qvasi cum laniis communem.* Omnia enim alia Paracelsi scripta fatentur. l. IV. Paramir. *Ex Anatomiâ*, inqvit, *cujusvis Medici initium, & finis erit.* Fragment. de pest. docet, vulnerum curam ex partium læsarum naturâ cognoscendam. De morb. verm. l. II. monet, ex Anatome constare, vermes qvandoqve piam, duramq; matrem pertudisse, & profectam inde phrenesin. Vermes item in splene, felle, pulmonibus genitos. Idem l. de Vitâ long. c. II. *Principio*, inqvit, *considerantur partes ejus, & hæ ex locali Anatomiâ per locum totius Physici corporis, cum intellectu medullarum, conditionum, usûs ligamentorum, formarum ossium, & cartilaginis, nervorum, carnis proprietatum, septemq; principalium membrorum virtutum, ut qvid acturus sis in Physico, te ipsum intelligas ad hanc regulam. Principio oportet probè cognitam habeamus universam rationem, atqve naturam cùm physici corporis, tum physicæ vitæ.* Qvæ certè cognitio non est lanii, sed experrectæ industriæ Anatomici. Damnat ergo Paracelsus non veros & germanos Anatomicos, sed rudes qvosdam sui temporis, qvi, qvæ viderant in homine, ad usum opportunum in praxi Medicâ referre nesciebant. Et probat ipse prolixè l. II. de ulcer. Gallicis, usum genuinæ Anatomes. Immò qvantus fuerit in Anatome etiam bestiarum *Paracelsus*, liqvebit opinor, ex l. de pestilit. tract. I. *Contemplare*, inqvit, *leonem & felem,*

felem, qvàm omnino Anatome docet utrumqve formâ & habitu omni corporis invicem convenire. Qvod nè improvidè dictum existimetur, firmat idem luculento suffragio perlustratis utriusqve animalis visceribus, illustris curiosorum Parisiensium Societas in Histor. Leonis: *Feles*, inqvit, *tam insignem habent conformitatem cum leonibus, ut fundamentum qvasi habere videatur fabula in Alcorano inventa, ubi narratur, qvòd felis in arcâ prognata sit ex sternutatione Leonis.* Qvin & progressus est *Paracelsus* in Anatome ultra vulgatas Anatomicorum metas, inqvirens non modò in corpus ipsum hominis, cui medebatur, sed & antè habitum corporis parentis expendens, *Paragran. tract. II.* ut ex cujus jam senioris ægritudinibus de futuro statu filii tantò procliviùs judicari posse non inconvenienter augurabatur. Neqve officit illud Conringii: *Paracelsus futuras capitis, qvâ parte literam T referunt, inverso scribit modo in fœminis, qvàm maribus reperiri: immò opus Diaboli esse non dubitavit scribere libro Azoth.* Alienis oculis vidisse *librum Azoth* videtur *Conringius*, neqve enim inversionem illam futurarum, si probè considerentur Germanica verba, Diabolo præcisè adscribit; neqve is lapsus in futuris tantopere in Paracelso reprehendendus, si unâ, alteraqve fœminarum variantis futuræ calvariâ circumscriptus crediderit tale qvid & cæteris mulieribus perpetuum esse, cùm propemodum commune hoc habeat crimen cum magno *Hippocrate*, ut qvi l. v. Epidem. deceptum se agnoscat à futuris cranii, eaqve de causâ periisse Autonomum. Sed utcunqve *Paracelsus*, ut jam patet, Anatomen non contempserit, qvibus tamen ille vel vocibus, vel legibus, sive physiologica, sive pathologica sua, sive medendi methodum circumscripserit, mei hìc instituti non est persequi, qvi nec *Paracelsici* titulum desidero, nec ejus veneror mores, id unum potissimùm mihi propositum, ut Chemicorum causa, per latus *Paracelsi*, & asseclarum ejus à *Conringio* acerbè inqvietata aliqvatenus hìc vindicetur. In transcursu tamen pauca hìc veniunt admonenda.

VII. *Pa-*

VII. *Paracelsum* in theoreticis præsertim suis ita plerumq; qvod ipse non diffitetur l. III. de vitâ long. c. II. ludere vocabulis certum, ut Oedipo sæpe conjectore opus sit ad mentem ejus assequendam. Qvamobrem inimici verba ejus parum licet intellecta sibi, arripiunt statim, convellunt, discerpunt, ac si demum id esset *Paracelsum* confutare, ambiguis ejusdem vocibus sensum, qvem velis, attribuere. Inprimis autem demergitur inimicorum calamis pæne ad ima Tartara, tanqvam sceleratæ Magiæ non candidatus modò, sed & Magister; advocantur loca, qvibus horrendi cum Dæmone commercii reus agitur; non est tamen dubium, loca illa ab hostibus allata aliam recipere posse explicationem, præsertim si conferantur alia ejusdem loca, in qvibus acerrimè in Magiam illam infamem invehitur; non dubium est, alia atqve alia scripta, qvæ hodie *Paracelsi* monumentis assuta leguntur, adulterina esse, & nobili illi Helvetio nè spectata qvidem unqvam fuisse, cùm etiam *Oporino* teste constet, *plura hodie scripta circumferri Theophrasti nomine, qvorum nè somnium qvidem illi objectum fuerit.* Sed cur hinc inde liberiori, qvàm Christianum decet, ore sacrilegi Dæmonis meminit? consvetudinis pravæ id veriùs argumentum mihi videtur, qvàm maleferiati cum hoste humani generis commercii indicium. Neqve desunt hodieqve, qvi cæterà viri boni, auditâ qvavis re insvetâ, der Teuffel vociferari solent. Et jam ante Paracelsum illustri Gebro familiare illud fuit: *Festinatio est ex parte Diaboli*, non qvòd *Geber* festinationem nimiam in Chemicis Dæmoni adscribendam crederet, sed qvòd hâc viâ corrumpi totam præparationem facilè præsagiret. Et nè ignoremus *Paracelso* sæpe omnia alia intellecta fuisse voce hac *Diaboli*, qvàm ipsum Dæmonem, ecce conceptissimis loqventem verbis Manual. I. *Diabolus in Alchymia est*, inqvit, *solve, fige, coagula, reitera.* Sed cùm *liber V. de morb. invisib.* suggerat hostibus ejus infestissima hac parte adversus ipsum tela, certè haud aliàs qvisqvam de Dæmone contemptiùs loqvitur, qvàm eô libro *Bombastus*; si tamen est Bombasticum illud scriptum. Qvæ

de

de ungvento armario, & transplantationibus tradidere Paracelſici, laudantur ab his, culpantur ab illis, ego judicium meum hîc non interponam, contentus nonnulla expendiſſe, qvæ ſpectant propriè Chemiam, & à *Conringio* vexata opem, & vindicias deſiderant.

VIII. Igitur, qvod capite ſecundo Conringianum dogma exſtat, non immeritò conſiderandum. *Nos alibi*, inqvit, *niſi fallimur, veroſimile fecimus ſalſuginem illam* [urinæ] *naſci à tenuium ſangvinis partium vi innati ignis factâ combuſtione. Neqve verò ullius eſt ponderis, qvod nonnulli regerunt: ſalem urinæ volatilem fieri citra aduſtionem, & qvidem ex eâ parte urinæ, qvæ primo loco diſtillat: non enim aduri urinam ipſam in ſalem dicimus, vi flammæ Chemicæ, verùm agnoſcimus ſalſuginem illam in corpore noſtro confieri.* Qvænam ſunt tenues illæ in ſangvine partes? aqvéæne? at illæ nullâ combuſtione ſalſuginem contrahunt: an ſpiritûs vini æmulæ? at tales in urinam deſcendunt propemodum nullæ. terreæ ergo? ſed nec terra combuſtione ſalſa evadit. Et qvàm illud captu difficile? *ignem innatum poſſe comburere.* Ætnam fingit in corpore noſtro Conringius, qvo partes comburantur? Qvid ſi ſal ejusmodi in corpore adeſt eorum etiam animalium, in qvibus nullo ſenſu calorem, innatúmve ignem nobis licet deprehendere, multo minùs comburendi potentiam? piſces illi ſunt, in qvibus juſtiùs, reſpectu noſtri, frigidum innatum, qvàm calidum innatum invenies; ſcatent nihilominus & illi volatili ſale, & nuper ego ex librâ unâ aſellorum Islandicorum deſtillando evocavi ſalis volatilis propemodum ſemunciam; velim ſcire, qvid in corpore animalis illius adhuc vivi ita tenues ſangvinis partes combuſſerit, ut tantum inde ſalis emergeret? Velim ſcire unde confiat ſal ille, ſi opinioni Conringianæ credendum, in viventibus adhuc & frigidis piſcibus? Sed de his pleniùs egi in *Act. Med. Hafn.* proximè edendis.

IX. Cùm conſtaret, Chemicos non ſimpliciter calori, aut frigori, aliisqve primis qvalitatibus adſcribere vim morbos inhuma-

humano corpore producendi, illudqve ipsum videretur ab *Hippocrate* l. de Vet. Med. adstrui, *Conringius*, ut illam antiqvitatis gloriam Chemicis eripiat, istuc prolabitur, ut inficietur librum *Hippocratis* de Vet. Med. esse *Hippocrati* tribuendum. Cùm tamen & dictionis Hippocraticæ proprietas in illo scripto emineat, & ferè omnium hactenus eruditorum consensus istuc eat, non ab alio, qvàm Coo Hippocrate exaratum esse, frustra est in diversa abiens *Conringius*, nec sustinent lucem, qvas affert, rationes. Scripserat *Hippocrates: Non siccum, nec humidum, nec calidum, nec frigidum, neqve horum qvicqvam aliud primi artis Medicæ inventores damno esse, neqve qvoqvam horum opus esse homini existimaverunt.* Qvid ad hæc *Conringius*: *Paracelsicis*, inqvit, *ineptiis illa videntur affinia. Qvantum illa doctrina abeat à vero, nemini non patet, saltem attendenti vim ignei caloris, qve utiqve in cineres integrum hominis corpus potest redigere, qvod nulli datum facultati alteri. A frigore qvoqve interimi hominem, nonnullis hanc aut illam corporis partem emori, notissimum est. Calore etiam temperato ad vitam tolerandam summè esse opus omni viventi ecqvis potest jure in dubium vocare?* Hic *Conringius* studio partium abreptus *Hippocratem* non intellexit; neqve enim sapientissimo Coo sermo ibi est de calore universim considerato, sed de eo, qvem homo visceribus complectitur. Ita enim paullò post ipse *Hippocrates: Hæc enim & in homine inesse viderunt, & hominem ledere. Inest enim in homine & amarum, & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita omnigenas facultates habentia, copiamq; ac robur. Atq; hæc qvidem mixta, ac inter se temperata, neqve conspicua sunt, neqve hominem lædunt, ubi vero qvid horum secretum fuerit, atqve ipsum in se ipso fuerit, tunc & conspicuum est, & hominem ledit.* Qvid ad hæc facit illud *Conringii; calore posse corpus hominis in cineres redigi?* Subjungit tandem divinus Hippocrates: *Non propter calidum homines simpliciter febricitant, neqve hoc simpliciter est afflictionis causa, sed est amarum & calidum, acidum & calidum, & alia infinita, & rursus frigidum cum aliis facultatibus conjunctum, hæc sunt qvæ lædunt.*

Qvo haud ſcio an veriùs qvicqvam, prudentiùsqve dici potuerit. Et oſtendunt id qvotidie febres tertianæ, in qvibus acidum & amarum tantopere confligunt, qvæ pugna haud ſiſtitur convenientiùs, qvàm ſi propinentur lixiva ſalia, qvibus exarmatur non calor, ſed acidum, atqve ita exarmatum, contra amarum non ampliùs inſurgit. Illuſtravit hoc totum eleganti nuper commentario *Cl. VVilhelmus ten Rhyne*, docuitqve magnum Hippocratem nihil his placitis divinius potuiſſe afferre. Qvod vero adjicit Conringius, *amaritiem, aciditatem, acrimoniam effectus eſſe caloris inſiti*, item, *docere Philoſophiam accuratiorem ſapores à calore & frigore dependere*, illud neqve adeo huc qvadrat, ut remotius à qvæſtione propoſitâ, neqve etiam vero conſonum deprehenditur, enimvero ubi ſalium mixturas ſuſtuleris, incaleſcant, frigeſcantq; mixta, qvantumcunqve libuerit, nullus inde [niſi ſalinum aliqvid acceſſerit] ſapor emerget.

X. Indulgete hîc *Conringio* manes *Petri Severini*, ſi vos qvoqve amarè increpitat, poſt interverſum *Hippocratis* tam nobile monimentum; qvid enim diſcipulo non ferendum, ſi vapulat Magiſter? Sed audiamus modeſtiam Conringianam! *Sed nemo paulo doctior*, inqvit, *non videt illa verba turpem inſcitiam dictitâſſe. Perindè atqve illa Petri Severini*: morbos non in categoriis, ſed categorias in morbis collocandas. Sibi aliqvoties viſam febrim tertianam in formâ viſcoſæ & viridis mucilaginis per vomitum rejectam, qvæ vitalia motûs veſtigia febrili horrore aliqvantiſper demonſtraverit, magnâ adſtantium admiratione: *ἀναιδευσίαν hominis apertiſſimè produnt.* Et l. II. c. XI. *Alibi*, inqvit, *blaſphemiæ titulo Logicam afficit Paracelſi aſſecla Severinus, prædicamenta in morbis, non morbos in prædicamentis, cenſenda affirmat.* Morbos in categoriis propriè nemo ſanus hactenus collocavit, ſed categorias Peripati in morbis locandas eſſe infinitæ *Ariſtotelis*, *Architæq;* interpretum lites hodieqve demonſtrant. Et qvàm nondum morbis illis categoricis medicina conveniens inventa ſit, vel unus *Hornejus* in Inſtit. Log.

Log. ut innumeros alios taceam, facilè confecerit. Litigant adhuc Dialectici, pugnant, altercantur de singulis prope categoriarum sententiis, nec post tot secula ulceribus illis hactenus cicatricem obduxerunt, qvod utiqve morbi contumacis argumentum est. Febrim autem vomitione rejectam cùm vidisse se scriberet Medicus, non tam Logicorum ἀνελίξεων aut [ut sunt qvandoqve] dialecticos veternosissimi artificii nodos, qvales *Senecæ* vocantur, respexit, qvàm licitâ, opinor, metonymiâ causam pro effecto designavit. Non potuere ignorari Viro eruditissimo, & illi Academico Doctori, magno *Verulamio* tantopere olim æstimato tyrocinia Logicorum; nec creditum ipsi, surrecturos olim ejusmodi argutatores, qvi vocibus magis insidiarentur, qvàm res ipsas expenderent. Licuit *Apostolo* Rom. VII. videre in membris suis legem invisam; licuit *Ovidio* videre vitium; licuit *Terentio* non somnum tantùm, sed & spem videre; cur non liceat Medico rebus, non argutiolis intento videre febrim? Opportunè *Galenus* in l. de Victu Acut. 1. *Logicam magis*, inqvit, *speculationem sapere videtur, qvod ab Hippocrate in disceptationem vocatur, cùm & sine hujusmodi speculationibus nos rectè sanare qveamus. Nempe rectè sanare possunt Medici ex faciendorum cognitione*, &c. Sed & hæc, & id genus alia crimina ficta ad cumini sectores releganda.

XI. Accusatur *Paracelsus*, qvòd l. 1. Paramir. scripserit *morbos omnes sanari posse.* Verùm, cùm locis aliis, etiam à *Conringio* leviter attactis, mentem suam exponat, qvosqve morbos intellexerit, enumeret, iniqvum fuerit hanc interpretandi se se libertatem ipsi adimere, qvam aliis Scriptoribus permittimus omnes. Excipiat Conringius: *Hoc revera idem esse, ac si dicas, curabiles esse omnes morbos, præter eos, qvi sunt incurabiles.* At verò distinctiùs se se expedit tum *Paracelsus*, tum *Severinus*; nec enim negante particulâ rem obscurant, sed disertâ explicatione illustrant. *Paracelsus* l. de urin. Judic. *Si spuma cava*, inqvit, *vitro adjacet, nec tangit circulum, circulusq; sub eâ niger est, & spuma alba, signum est mortis.* Postea: *Si in lotio vel ictterici, vel hystericæ circulus appa-*

ret subviridis, malum immedicabile est. Idem l. de Contract. II. c. IX. *Multi contracti non sanantur, idq; ob duas causas, una est qvòd spiritus qvorundam emortui sunt, & vitæ radix secesserit, altera qvòd fatale qvibusdam sit, ita ægrotare; neutrum sciri potest, nisi ubi remedia nihil profecerint.* Idem l. de phthisi *provectam tabem immedicabilem* pronunciat. Alibi lepræ, alibi hydropis qvandam speciem sanationem recipere negat. Severinus *occultam prædestinationem mortalibus incomprehensam* agnoscit qvandoqve efficere malum insanabile. Neqve dubium est, occulta Dei judicia sæpe morbis alioqvin in speciem non admodum gravibus remoram objicere, & desperationem afferre. Ita l. IV. Reg. c. I. Ochozias ex lapsu æger medicâ manu curari neqviit, adversante DEO. Nec mitiùs actum cum Herode σκωληκοβρώτῳ Act. XII.

XII. *De clysmatibus*, inqvit Conringius, *dura & non ferenda habet Paracelsus ipse* l. II. de Tartaro. *De Paracelso ipso, hero & magistro suo ita scribit Oporinus: Præcipitati pulvere, theriacâ, aut mithridatio, aut cerasorum sive botrorum succo in pilulas redacto in omni morborum genere ad purgandum utebatur. Nemini etiam non constat, ex antimonio & mercurio confecta purgantia illi hominum generi omnium esse familiarissima.* Sed qvænam illa dura, & non ferenda de clysmatibus l. II. de tartaro Paracelsus? Vox ejus: *De clysteriis qvid dicam? turpissimum medicamen est.* Si verum fateri libet, nihil adeo à vero alienum dixit, sed utilitas vincit turpitudinem. Etiam turpia delectant aliqvando, qvod de simiis certum, enimvero illa ex decreto *Ennii*

Simia, qvàm similis turpissima bestia nobis,

multis hodie in delitiis est. Nec fastidivit clysteres *Paracelsus*, aut, qvod putat *Conringius*, insectatus est, ut rem exsecrandam, qvod vel ex illo, in Consil. Medic. liqvidum: *Si qvis*, inqvit, *ventris obstructione tentetur, nec velit vel purgantia, vel clysteres admittere, hoc ungvento plantæ pedum bis aut ter inungendæ, & liberalis alvi solutio seqvetur.* Sed ad *Oporinum* ut convertar, agnosco simplicitatem famuli, qvi cùm hoc agere videatur epistolâ illâ suâ

acerbâ

acerbâ, ut Paracelso Magistro creetur infamia; non potuit hîc imperitiam suam in judicando dissimulare. Etenim qvem demum lectorem invenies adeo plenum stuporis, qvi non videat de re sibi ignotissimâ judicium ferre *Oporinum? Paracelsus*, inqvit, *ad purgandum utebatur præcipitati pulvere, aut theriacâ, aut mithridatio, aut cerasorum, aut botrorum succo.* Per diam Hygiejam, qvid est horum omnium, qvod purgare possit! immò pleraqve sistunt alvum, non cient. Ut nihil certiùs sit, qvàm *Oporinum*, ut ruditatis & credulitatis nimiæ manifestum ad *Paracelsi* secretiora non penetrâsse. De cætero *familiarissima esse Chemicis ex antimonio & mercurio purgantia, qvod tradit Conringius*, nondum demonstratum. Antimonio in emeticis, inqve diaphoreticis utuntur, & qvidem feliciter; Mercurio in morbis chronicis & Venereis, neutro forsan ut purgante specifico. Proinde fortissima purgantia unicè commendari Paracelsicis ex his rationibus neqvaqvam colligitur. Ut taceam, ex Antimonio & Mercurio legitimè præparatis nihil triste unqvam medentibus posse accidere. Nam floribus, & vitro uti sine ulteriori præparatione circumforaneorum est, non Medicorum.

XIII. Panaceas deniqve Paracelsicorum vituperat *Conringius*, ut magnis promissis non respondentes: in qvo qvidem nihil iniqvè, si de ineptiis agyrtarum sermo est, sed cùm extendat calamum ad *Fr. Antonium* Londinensem etiam, non oportebit inauditum perire. Ita ergo: *Laudem qvoqve suam*, inqvit, *qvâ Auctor illud circumdare conabatur, dudum amisit aurum potabile Francisci Antonii Londinensis. Et vero jam in vulgus innotuit ejus præparatio, prodente Hartmanno. Qvo simul innotuit, qvàm falsò Antonius & jactaverit sui auri sine corrosivis calcinationem, & in integrum restitutionem negaverit, qvos fucos tamen jam ante artificiosè detexerat Angelus Sala, & Billichius noster; ut in Anglia qvoqve reduxerat pulverem illum in aurum Turqvetus Majernus.* Extat in publico *Fr. Antonii defensio & Apologia* Hamburgi edita, ex qvâ apertissimè liqvet, nec *Antonium* ad omnes promiscuè morbos aurum suum

potabile laudâsse, fuisse tamen, qvod exemplis docetur, infinitis prope hominibus utilissimum pharmacum. Præparationem ejus ex merâ conjecturâ ab *Hartmanno* proponi vel inde constat, qvòd tum ab auctore sibi communicatam non ausus fuerit profiteri, tum qvòd Antonii illa sine corrosivis omnino præparata sit, ut ipse disertè testatur *Assert. aur. Pot. c. IV.* Hartmanniana autem per corrosiva infestissima; tum deniqve qvòd in *Antonii* illâ post destillationem reperiatur in fundo massa crassiuscula mellis instar in qvovis liqvore solubilis, in *Hartmanni* autem oleum in terram nigram & spongiosam ulteriori destillatione abiens, qvod in aurum iterum reduci posse nemo negaverit, cùm Antonius suum reduci posse constantissimè neget. Prætexes: *at reduxere alii, & in ipsâ Angliâ Turqvetus Majernus.* De reducto alibi non laborandum, cùm adulterinum illud esse potuerit. De *Turqveto* autem & sociis id ex scripto publico adjiciendum: *Illi examinationem fecum* [Regio jussu] *aggressi sufflârunt illas super testam cum plumbo, ut moris est, & in examinatione tandem novem solummodo invenerunt auri grana, qvæ nostro Regi obtulerunt: portio autem auri ad solutionem depositi hæc fuit, uncia una, drachmæ duæ, scrupuli duo, & grana octo; fiat jam computatio de reliqvo.* Hoc est, ex octingentis qvadraginta sex granis auri, novem grana reduxisse; bella reductio! At aurum illud more Hartmanniano præparatum totâ propemodum substantiâ redire in aurum potest, si in sagacem inciderit artificem.

XIV. Iterum ex intervallo Conringius: *Est autem illa*, inqvit, *de auri, vel lapidis Philosophici medicâ universali facultate opinio, propria fortassis novæ Hermeticæ schola. Veteres enim Ægyptios simile qvid credidisse nusqvam reperire est; immò jam probavimus in medendo illos plantis potiùs usos, qvàm metallicis.* Major est Hermeticorum hodiernorum modestia, qvàm ut antiqvissimo *Hermeti* eam laudem velint detractam. Qvin ipse *Paracelsus* cum l. de Tinctur. Physic. c. 1. tradat Hermetem ad Tincturæ Physicorum secretum, & verum perveniisse terminum, adjicit l. de Vitâ long.

Herme-

Hermetem usurpasse artem proroqandi vitam. Accedit vetustissimi *Orphei* ex Ægypto redeuntis testimonium l. περὶ λίθων:

Ἐς πολυήρατον ἄντρον ἐπελθέμεν Ἑρμάωνος,
Ἔνθ' ἔφε παισὶν ἀμωθῶν κατέθηκεν ὁμίλον,
Οὐδέ ἑ νέσφι ἄκικυς ἐνὶ μεγάροισι δαμάσσει.

De qvo jam ante disertiùs *tract. de Hermete.* Usurpaverint Ægyptii in medendo plantas, nemo id inficiatur, sed unà Hermetem qvandoqve rarum aliqvod pharmacum metallicum ad eosdem usus advocâsse, id vero plantarum usurpationi non repugnat. Est & in eo multus *Theophrastus* ille *Philosophus* Chemicus, περὶ τῆς θείας τέχνης, ut ostendat sacram illam artem πάνευ τὰς νόσας. Neqve ab eâ sententiâ alienus est Ostanes Philosophus, cujus illa sunt περὶς Πεπάσιον: Τῆς φύσεως τὸ ἀτρεπτον ἐν μικρῷ ὕδατι τέρπεται. αἱ κρᾶσεις γὰρ αὐτὸ τέρπουσι τῆς ὑφεστώσης ἐμφάσεως· ἀλλὰ γὰρ τὸ ἐρασμίου, καὶ θείου ὕδατος τοῦτο πᾶν νόσημα θεραπεύεται, ὀφθαλμοὶ βλέπουσι τυφλῶν, ὦτα ἀκούουσι κωφῶν, μογιλάλαι γλώσσαι τραυλῶς λαλοῦσι. Ἔστι γὰρ ἡ σκευασία τοῦ θείου ὕδατος τοιάυτη. &c. Utrumqve hoc scriptum legendum mihi dedit *MSS.* Christianissimi Regis bibliotheca. Similia tradit *Heliodorus* l. de Phil. Arte mystic. ad Theodosium Imperatorem.

Cap. II.

I. Paracelsum non fastidiisse medicamenta à stirpibus petita. II. Qvomodo intelligendum illud Paracelsi, aurum esse cibum. III. Pharmaca metallica plus posse, qvàm creditum Conringio; elici qvoqve ex illis qvod humectet. IV. Pleraqve metallica medicamenta legitimè parata non esse violenta, non δραστικὰ. V. Lienem plerumqve aqvâ

aqvâ intumeſcere, & tum ferro ſanari, vix credibile. VI. Aurum poſſe facili viâ ſine corroſivis diſſolvi, ut morbis deſerviat. VII. Fruſtra accuſarì metallica ob igneam ſubſtantiam. Utrum acetum ſit calidum? VIII. An hydrargyros igneæ naturæ? Non reqviri ut omnia pharmaca vincantur à corpore noſtro. IX. Hecticis à metallicis qvibusdam remediis bene paratis nullum eſſe periculum. X. Tam facilem eſſe lapſum in catharticis & opiatis Galenicis, qvàm in medicamentis Chemicis. XI. An in metallicis laudandis modum excedant Paracelſici? XII. Effugium qværi in illo? metalla ab animalibus non corrodi, ut ligna à teredine. XIII. An remedia Chemica tribuenda caſui? XIV. An metallica præparata æſtimanda ſint ex naturâ ſuorum ſimplicium? XV. Conringium iniqvè in aceta metallica invehi.

AD metallica tandem deſcendit *Conringius*, ut oſtendat periculoſos in eorundem uſu Paracelſicorum errores. In qvo dum verſatur argumento, varia non inconvenienter monet, duce plerumqve *Angelo* ſuo *Salâ*, Chemico erudito & diligenti; ſæpe tamen in diverſa actus ſive odio nationis Chemicæ, ſive penuriâ experimentorum, à propoſitâ ſibi veritate deflectit, de qvô hic non niſi paucis, ac velut in transcurſu.

I. In anteceſſum ita infit: *Inter hæc* [medicamenta] *primas Paracelſici noſtri dant metallicis, usqve adeo ut eorum nonnulli, qvæ à ſtirpibus petuntur, omnia faſtidiant.* Cùm autem illos *nonnullos* necdum

necdum nominare potuerit Conringius, apertè causam suam destituit; utqve posset, hoc ipso non doceret aliud, qvàm fastidiosos istos non esse Paracelsicos, nunqvam enim *Theophrasto* illi *Germano* fastidita sunt è plantis remedia; testantur id ejus de *helleboro nigro*, de *hyperico*, de *persicariâ*, de *terebinthinâ*, *artemisiâ*, *abrotano*, *absinthio*, *urticâ*, *allio*, *plantagine*, *rutâ*, *apio*, *malvâ*, *anetho*, *betonicâ*, *sabinâ*, *porro*, *chamæmelo*, *nepetâ*, *pulegio*, *fœniculo*, *pontulacâ*, *lactucâ*, *rosâ*, *liliis*, *satureiâ*, *salviâ*, *ligustico*, *ostrutio*, *cærefolio*, *atriplice*, *coriandro*, *nasturtio*, *crucâ*, *papavere*, *capis*, *bugloss*â, *sinapi*, *pastinacâ* commentariola in luce publicâ hodieqve constituta; testantur libri ejus universi, in qvibus passim laudantur plantæ. Libro *de morb. tartar.* opponit tartaro nondum planè coagulato aqvilegium spinosum, oleum granorum juniperi, aqvam capillorum Veneris. Libro *de virib. membr.* opponit debilitati cordis essentiam croci, macis, chelidonii, melissæ; debilitati hepatis rhabarbarum, & flores cheiri. Libro *de Ictero*, opponit aurigini centaurium, crocum, myrrham, chelidonium, hypericum, antheram liliorum alborum, rhabarbarum, tamariscum. Qvid mul. tis? si lumbrici exturbandi, aloën propinat, myrrhamqve, & trochiscos de silere montano; si epilepsia debellanda, offert viscum qvernum, semen pæoniæ, valerianam; si phthisis infringenda, qværit in liqviritiâ, uvis passis, semine portulacæ, lactucâ subsidium; si lepra mitiganda, sollicitat grana juniperi, melissam, cichorium, valerianam; si podagra lenienda, provocat ad alkohol vini cum galbano, baccis lauri, anacardiis, granis paradisi, euphorbio; si asthma tollendum, accersitur ab eo myrrha, thus, crocus, hyssopus, aristolochia rotunda; si dolori matricis succurrendum, poscitur lavendula, macis, fl. anthos, cubebæ, cariophylli, doronicum; si obviam eundum cruciatui dentium, in radice hyoscyami, succo papaveris spem defigit *Paracelsus*. Nec dissimilia legas apud *Quercetanum*, *Hartmannum*, *Severinum*, *Thurneisserum*, *Helmontium*, alios. Et qvi fastidirent viri prudentes, qvi petitas ex plantis tincturas, aqvas, spiritus, salia, olea magnis & sumptibus

bus & vigiliis glorioſiora ſeculo reddiderunt? proinde æruginis plenum eſt illud Conringii, l. II. c. VIII. *Non eſt qvur nominatim alios Paracelſicos teſtes appellemus; qvum vulgò omnes cogat veritas recurrere identidem ad illa ſuperbè aliàs ſpreta, ſuis magnalibus relictis.* Non ſprevere plantas Chemici, ſed in præparandis iisdem Galenicos longè, qvod vel cœco obvium, anteverterunt.

II. Reprehendit Paracelſum *Conringius*, qvòd ſcripſerit *metallica alendi virtute eſſe prædita*, ſcripſiſſe autem ipſum ita demonſtrat ex ejusdem in aphorismos *Hippocrat.* comment. ubi *Paracelſus*: *Aurum*, inqvit, *& tartarum diaphoretica, ſunt cibi.* Hic autem *Conringius* non modò in eo ſibi parum proſpexit, qvòd inter metallica referat tartarum, utpote plantæ viniferæ fæcem, ſed & qvòd Paracelſi mentem non bene excuſſerit, ut qvi eo ipſo loco, qvo aurum, & tartarum cibos ægrotorum appellat, etiam vocat eadem medicamenta. Scilicet alimenti vocem laxiùs qvandoq; uſurpat *Paracelſus*, qvòd & in *Chirurgicis* ipſi familiare, ubi jubet Medicum conveniens vulneri offerre alimentum, qvod mox ipſe medicamentum interpretatur. Diſtingvendum proinde vult inter alimentum vulneris & vulnerati; alimentum vulneris *Paracelſo* medicamentum eſt, alimentum vulnerati cibus alius promiſcuus ſed conveniens. Ita cùm tradit auro potabili nutriri hominem, ſenſus eſt, ſolvi ægritudinem in viſceribus hærentem propinato illo, tanqvam nutrimento ſibi conveniente, & nutrimentum demum corporis, expugnato morbo conſeqvi, qvomodo tradunt vulgò Medici ægros decocto radicis Chinæ pingveſcere, non qvòd radix illa pingve adeo nutrimentum corpori ſuggerat, ſed qvia ſublatâ uſu ejus dyſcraſiâ viſcerum, tandem ex alimentis qvotidianis pingvedo conſeqvitur. Neqve probè attendenti ſiniſteritas ulla occurrit in illo Paracelſi: *Aurum potabile cùm eſt in ventriculo, diſtribuit vires ſuas inde in reliqvum corpus, unde humiditas pronaſcitur, qvæ balſamum creſcere facit.* Enimvero illud *unde* Paracelſi, non deſignat ſubſtantiam auri, ſed nobile auri propinati conſeqvens, ſalutaremqve ejus effectum. Neqve usqvam legere

eſt

est *Paracelsum* ejus fuisse vertiginis, ut putârit substantiam auri in substantiam corporis humani transire. Qvòd si locutiones ejus alieniores sæpenumero [neqve enim id inficiandum] à vulgari Galenicorum consvetudine deprehendantur, intuendus verborum sensus est, & convitiis tantisper abstinendum, dum de re constet. Sanè pleriqve, qvi in eum hostili ore bacchantur, *Paracelsum* non satis expenderunt, sed ex carptis hinc inde laciniis ejus, & non intellectis formavere censuras. Est aliàs ubi obscuriùs loqvitur, & qvidem ex compacto; sed & id ab omni ævo consvetum fuit Chemicis, nè sacra sua omnibus promiscuè viderentur prostituere. Non aliter Ægyptii, non aliter Pythagorici, immò nec omnia nisi initiatis pandebat *Hippocrates*. Optassemus qvidem *Paracelso* dictionem expeditiorem, sed ut homo est, ita morem geras: videmus spinis armatas ipsius rosas, ferendæ illæ, molliendæqve usu, cùm aliâ viâ rosæ non obtineantur. Nec dissimulat ipse mores suos l. III. de vitâ longâ c. II. *Nobis autem*, inqvit, [*si forsan miraris hanc tractandi rationem*] *visum est interim ludere in vocabulis*.

III. *Qvercetanus* apud *Conringium* vapulat, ut nimium tribuens medicamentis metallicis. Neqve dubium est *Qvercetanum* paullò liberaliùs locutum; adeo tamen ille non fastidivit plantas, ut totam ferè pharmacopœam suam restitutam iis referserit. Neqve interea abnuendum metallica in medendo multum posse, immò plus omnino, qvàm vulgo credi solet, si dextrè tractentur; qvòd si in morbis aliis atqve aliis adhibeantur frustra, non id tam metallicis, qvàm sinistræ præparationi adscribendum: ut taceam idem Galenicorum herbis contingere freqventissimè. Obducis, *si insigniter adeo juvant metallica, cur utuntur Chemici remediis à plantarum genere petitis?* qvis prohibebit uti jam his, jam illis? cùm divina benignitas tam abundanter, & in regno minerali, & animali, & vegetabili prospexerit hominum sanitati, ut infinitis pæne speciebus medicaminum unam sæpe morbi speciem liceat aggredi & expugnare. Chemici est suo arbitratu

nunc his, nunc illis insistere, nunc dare aliqvid judicio vulgi, nunc parcere crumenis plebejorum, nunc gratâ varietate ægros oblectare.

Sed oggerit Conringius: *ex omni metallicorum genere nihil posse depromi, qvod humectare partem aliqvam possit.* At ex omnibus ferè metallicis tum calcinatis, tum comminutis, & umbræ ad aliqvot dies relictis educitur destillatione moderatâ liqvor acidulus refrigerans & nonnihil humectans, id qvod sæpe in Marte, Venere, Jove, antimonio, vitriolo, talco, aliis expertus sum, & qvotidie demonstrare paratus. Tacebo nunc phlegmata spirituum qvorundam mineralium communia. Certè ex solo Vitriolo per retortam modestissimo balnei calore prolicitur liqvor ferè insipidus, isqve aliis atq; aliis partibus jam refrigerans, jam humectans, jam desiccans, cujus vires insignes Clar. *Marcus Marci* in Phil. Vet. rest. expertus est, in pulmonum vomicâ, in renum & vesicæ, aliarumqve partium inflammationibus, in abscessu uteri, hepatis, lienisqve; laudatqve *Angelus Sala* magnificè, ad mitigandam sangvinis adustionem, ad humidum radicale instaurandum. Similia aliis Chemiæ sacratioris mystis observata nulli dubium, utcunqve ignoretur id *Conringio*, in præparationibus Chemicis delicatioribus, ut apparet, parum versato. Ulteriùs, si *nihil ex metallicis possit depromi qvod humectet*, cur Galenus de simpl. med. fac. l. IX. c. I. scribit: Μόλιβδος δυνάμεως ἐστι ψυκτικῆς· ἔχει δὲ καὶ μέσου ὑγροῦ οὐσίαν πολλὴν ὑπὸ ψύξεως πεπηγυῖαν, ἀλλὰ καὶ ἀεριώδη, τῆς γεώδους ὀλίγης μετέχων. Dices, *Galeno* omnia metallica desiccare. Sed audienda *Galeni* ratio: γεώδης δὲ αὐτῶν ἐστιν ἡ οὐσία. Cùm ergo plumbum, ejusdem judicio, multum possideat humidæ, aëreæq; substantiæ, & parum terreæ, consequitur fortassis ratione terreæ, leviter desiccare, ratione humidæ & aereæ, humectare plurimum. Sed fac humidum illud ita compactum in plumbo esse, ut humectare amplius neqveat, fac *ex metallicis nihil depromi posse, qvod adeo humectet*, velim scire qvinam morbi tantopere egeant humectantibus medicamentis, ut absqve iis sanari omnino neqveant. Alimenta sa-

ta sanè humectantia sæpe sunto, ut feliciter defungatur officio Medicus, tantumqve potest humectando aqvæ, lactis, hordei, sacchari, amygdalarum dulcium, lactucæ, portulacæ, prunorum, uvarum maturarum, &c. [& sunt hæc qvotidiana alimenta] frequentior usus, ut qvæ ab his corrigi neqvit siccitas, vix ab aliis humectantibus vegetabilium medicamentis qveat emendari. Sed nec sola semper humectantia restituunt siccos; ipsæ ægrarum membranarum, musculorumqve fibræ convenienti pharmaco sive metallico, sive alio roboratæ, colligunt se se postea rectiùs, admittuntqve qvotidianos cibos in interiora promptiùs, & dexteriùs promovent concoctionem, unde nutritius ille alimentorum liqvor, qvi ante frustra egerebatur, remanet in corpore, partesqve blandè humectat.

IV. Pergit Conringius: *Plerosq; morbos commodè sanari per vegetabilia, minùs commodè autem per metallica itidem usu est exploratum. In promptu causa qvoqve illius est. Nempe Chemicè parata metallica, saltim pleraqve intus qvidem rarò adhibentur, sine vehementi totius corporis agitatione; eadem autem vi δηξητικῇ, vel corrosivâ, vel exsiccante prædita sunt externa qvoqve. Substantia autem corporis nostri naturâ mollis est, & humida, ac proinde omnia corrodentia, omnia validè siccantia, omnia humores violenter exagitantia vehementer ipsi ut plurimum incommodant.* Et mox: *Possumus pro illâ plantarum in medendo præstantiâ facile totius orbis consensum allegare.* Salvares est. 1. Plantarum usum nemo damnat, nemo aversatur, non ideo tamen non meliora qvandoq; metallica. Sed qvi totius orbis consensum pro plantis allegat, cur non eadem operâ glandibus iterum vescendum svadet, cùm fuerit qvoqve tempus, qvo totus orbis glandibus vesceretur, si Poetis credimus? cur non solabrassicâ utendum docet, cùm certum sit ex *Plinii* l. xx. c. ix. totum populum Romanum integris annis sexcentis hac medicinâ usum. 2. Nominare oportuisset illos morbos, *qvi sanari commodè per vegetabilia possint, per metallica minùs commodè*, qvod cùm non potuerit *Conringius*, eadem facilitate rejicitur ejus sententia,

qvâ affertur. Ego contrà nominabo morbos, qvi metallicis curantur, & commodè, vegetabilibus jam minùs commodè, jam nullo modo. Ulcera maligna & vetera, aliàs propemodum insanabilia, ita percurantur metallicis, ut vel hoc nomine clarissimâ veritatis luce adactus *Conringius* l. II. c. XIV. Magistrum *Paracelsum* magnopere collaudet. Affectus hypochondriaci, splenetici, melancholici pertinaciores, neq; tam promptè, neq; tam feliciter sanantur plantis, qvàm chalybeatis, qvod & *Clar. Highmoro*, aliisqve jam diu observatum. Obstinatæ vertigines, epilepsiæ, dolores capitis diuturni, cùm herbis sæpe non cedant, cedunt sæpius cinnabarinis, qvod & *Cratoni*, *Michaelio*, aliisqve practicis felicissimis perspectum. Occultos in corpore abscessus, reconditasqve fistulas cùm tota Flora diu advocata neqvisset, notavi tandem cedere diuturno Antimonialium dextrè paratorum usui. Atqve ut universa illa nihil sint, qvis hodie luem Veneream contumaciorem frænavit nisi Mercurialibus? loqvuntur id totæ regiones, agnoscuntqve lignorum etiam exoticorum hac parte infirmitatem, uni & salutari Mercurio supplicantes. Qvod si Chemia nil aliud in orbe terrarum præstitisset, qvàm certam luis Venereæ per Mercurium medelam, laudari tamen satis vel hoc nomine potuisset nunqvam. Contrà, vix recensebit *Conringius* ægritudinem ullam, cui sanandæ minùs commoda sint aliqva saltem metallica, dummodo ex arte præparentur, & à prudente administrentur Medico. Certè cùm scribere sustinet *Conringius: pleraqve Chemicè parata metallica intus rarò adhiberi sine vehementi totius corporis agitatione, vel citra efficacem qvandam siccationem*, in eo decipitur planissimè, & qvotidianis medentium refellitur experimentis. Qvando aurum, argentúmve, qvando Mercurius & Jupiter, qvando ferrum & chalybs, dummodo legitimâ præparatione temperata & convenienter admota, turbas dedere? Et verò plantæ, si imperitiùs tractentur, qvas non cient sæpe tragœdias? Antimonio, si in periti artificis manum inciderit, nihil esse innocentius, nihil salutarius loqvuntur Practicorum experientissimi.

Non

Non temere propinanda ſunt metallica, anteqvam vim ſuam coroſivam & ἀφαιρετικὴν qvodammodo exuerint. Immò verò *Paracelſus* cautiùs omnino laudavit ad internos uſus metallica, qvàm fieri vulgò ſolet, qvod vel pateſcet ex l. VI. de Reſuſc. Rer. Natur. *Nè metallicum*, inqvit, *ullum arcanum intra corpus accipiatis, niſi priùs redditum ſit volatile, & in nullum metallum reduci poßit.*

V. Interjectis aliis rurſus Conringius: *Ferri potentia*, inqvit, *jam diu innotuit ad magnos lienes; non qvidem ſcirrhoſos, ut perperam à qvàm multis vulgò creditur, ſed aqvâ tumidos, qvales ſunt plerumqꝫ.* At ego licet qvàm plurimis inſpectis lienibus, agnoſco me lienes humanos aqvâ tumidos vidiſſe nunqvam, ſed ſcirrho deformatos, & amurcâ ſangvineâ nigricante turgidos [qvalibus chalybs præſentem opem afferre ſolet] freqventer. Neqve verò ſimile, qvicqvam vel *Schenckio*, vel *Bartholino*, vel *Stenonio*, diligentiſſimis naturæ Myſtis viſum unqvam; hydatides qvidem non raræ ſunt in viſceribus, etiam non procul à liene; ſed in lienibus non ſolus obſervâſſet aqvam Conringius, ſi plerumqve, qvod ſcribit, tales ſunt. Sed qvia *Hippocrates* obſervâſſe ſibi viſus eſt, credibile vicini coli, ileiqve tumores ipſi impoſuiſſe. Sæpe enim coli affectus ſplenis vitia mentiuntur, qvod præclarè notatum Ampl. *Sylvio*. Eſt & illud qvidem magni *Coi* l. de intern. affect. ὕδερος qvandoqve ἀπὸ σπληνὸς, ſed fac id aliqvando contingere, inde tamen non ſeqvitur, ſplenem aqvâ intumuiſſe, qvemadmodum intuenti palam. Si peccat hac parte lien, non peccat coacervando aqvam, ſed cum ſangvine allapſam, ob debilitatem transmittendo. Ut taceam *Hippocratem* cùm *libr. 4. de morb.* lienem aqvæ locum nominat, intelligere non aqvam, ſed ſuccum melancholicum tenuiorem, qvod probè notatum *Mercuriali* Var. Lect. l. VI. c. XXVII.

VI. Iterum Conringius: *Si Arabibus*, inqvit, *aliisqꝫ Arabum diſciplinam ſectantibus credendum, etiam auro, argentoqꝫ in bracteas, qvæ folia appellantur, deducto magna vis eſt ad cordis vitia ab atrâ bile orta, & lepræ malignitatem. Alii liqvores, in qvibus aurum candens*

dens sit exstinctum, commendant, ceu facit & Joannes Rupescissa. Verùm nihil horum videtur vel rationi, vel experientiæ respondere. Usq; adeo nimirum, aurum cumprimis, solidâ est utrumq; substantiâ, ut ne flammeus qvidem vehementissimus ignis illud aptus sit dissolvere: qvanto minùs ergo mollior aliqvis, qvalis est animalium, id effecerit?

1. Expendere decuerat *Conringium*, ut Philosophum, multa in violento igne se se firmiùs colligere, stipariqve arctiùs, qvæ jam in molliori & lento, jam alio corpore intermisto, jam secretiori methodo, particulas non tam colligunt, qvàm dividunt, eoqve facilè aperiuntur. Certè ut nihil nunc moneam de illo *Hippocratis* l. 1. de Diæt. χρυσίον ἐρχαζόμενοι, κόπτεσι, πλύνεσι, τήκεσι πυρὶ μαλθακῷ, ἰσχυρῷ δ' ὅτε ξυνίστασθαι. διεργασάμενοι, πρὸς πᾶσα χρῶνται: ut nihil de stomachis qvorundam animalium metallica qvædam corpora tandem atterentibus, haud qvicqvam est certius, qvàm salia varii generis, si sola igni vehementissimo permittantur, nihil adeo amittere suæ substantiæ, qvòd mutuis se velut hamis amplectantur; si autem qvadruplum cineris, terreive corporis durioris permisceatur, administrato igne etiam qvàm ante nonnihil langvidiore, divelli à se se particulas, & earum plurimas in altum attolli. Idem metallicis aliis contingere docet experientia. Sit autem, qvoniam ita libet *Conringio*, flammeus ignis ineptus dissolvendo auro, at via aliâ calore vix sensili comitata id præstat. De qvâ nunc experimentum à sapientissimo & August. Rege nostro *Divo Friderico Tertio* sæpe iteratum fidem faciet. Jussit is [qvod & *Amplisſ. Joeli Langelotto* in elegantissimâ Epist. observatum video] aurum purissimum in bracteas diductum tam diu in mortario vitreo, pistillo vitreo subigi, [tandem in aureo præstitit idem] donec in pulverem subnigrum fatisceret, qvem cùm postea ex retortâ vitreâ calore excitatiori evocare institueret, prodiit aliqvid liqvoris rubicundissimi, in sp. vini facile dissolvendum, & poculenti auri nomen non injuriâ impleturum. Neqve reliqviæ iteratò tritæ, expositæqve umbris negabant iteratum liqvorem, adeo ut vel hac vix tenuiter calente triturâ ipsa auri com-

compages solvatur, licet violentissimâ ignis attritione nihil corporis sui deperdat. Non sequitur ergo, *ea quæ flammeo igni non cedunt, non etiam cedere quandoque molliori*, sed continuato, qualis est animalium calor. Succedit & operatio eadem in bracteis argenti, & quidem promptiùs, nec experientem decipit unquam. 2. Illustris Franciscus Jos. Burrhus aurum oppidò candens in vino, liquoribusque aliis frequenter restinxit, & liquores illos palpitationibus cordis, aliisque malis feliciter opposuit, de quo ipse disertè in Epist. ad Amplist. *Thomam Bartholinum* de Arific. ocul. hum. rest. Certè hac viâ decedere sensim aliquid substantiæ auri, & in liquorem illum poculentum deponi palam est, notavique illud inter alia, in massâ quadam purissimi, & per antimonium sæpe perpurgati auri, quâ contra adversam valetudinem Waldemari Christophori Weihe depugnavit. 3. Cl. *Malachias Geiger*, auri in foliola attenuati virtutes opportunè vindicat apud *Zwelferum* in Pharm. & *Antonius de Pozis* auri tenuissimè elimati. 4. *Petrus Poterius*, Medicus felicissimus, Gallus sangvine, practicus quondam Bononiensis aurum, argentumque aliter recluſit, de quo monumenta ejus testantur, usurpavitque in morbis variis adeo prosperè, ut non modò locupletaverit honestissimè familiam, sed & eandem medicandi felicitatem filio reliquerit, quâ eundem nuper admodum, ad invidiam usque Romæ inclaruisse refert oculatus testis Clar. *Laurentius Fossius*. 5. Ad summam, ut aurum vires suas distribuat inter ægros, conandum id duntaxat, ut particulæ ejus minutissimè priùs à se se invicem divellantur, quod utrum fiat triturâ, an liquoribus convenientibus, an alio modo innoxio, nihil adeo refert. Folia quidem ut nonnihil divulsis partibus hiantia præstant aliquid, efficaciùs autem operantur, si ulteriùs triturâ longâ in pulviſculum pæne nigricantem migraverint. *Locatellus* non improvidè addidit auri purissimi unciæ uni uncias aliquot [quo plures, hoc rectiùs] reguli Antimonii præparati, & subitâ fusione [ne descenderet nimis aurum] interque fluendum agitatione permiscuit, misturæque mox effusæ, & in-

pollinem accuratissimè tenuem longo tritu comminutæ menstrua alia atqve alia, sed benigna & innocentia affudit, qvo pacto nobile medicamentum ex discerptis ita auri particulis elicuit. In aqvâ Regis eqvidem divellitur etiam qvodammodo, sed qvod damnosum est, coit iterum, anteqvam menstruum illud corrodens separari commodè possit. Ego nullo igne adhibito, solo aceti communis phlegmate, levi duntaxat circumstantiâ præviâ, ex auro purgatissimo tincturam viridiusculam elicio, qvæ si in patulo vitro aliqvandiu æstivo tempore relinqvatur, exhalante sensim liqvore, in salem hinc inde subviridem abit, versatqve se interea in vitro miris modis, deorsum qvidem corporeos radios spargens, sed longos & tenuissimos, orientis solis radiis non dissimiles, nisi qvòd inalbescant, sursum autem virides exporrigens ramos graminei coloris, qvod lætum curiosis spectaculum soleo nonnunqvam ventitantibus ad me ostendere, durat enim fabrica constanter, nec nisi per injuriam violentam dissolvitur. Similia plura cùm gloriosæ memoriæ Regi *Divo Friderico* identidem offerrem, enarrari vix potest, qvo is gaudio ad illam ludentis, etiam in invictissimis, ut vulgò fingitur, metallis, naturæ varietatem assurrexerit. Ex argento eadem methodo surgit tinctura subflava, nam cæruleam illam, qvæ in pharmacopoliis prostat, non esse veram, sed hospitantis in Lunâ Veneris sobolem alibi demonstratum. Verùm non modò hac viâ tincturæ eliciuntur ex metallis sine igne, sine corrosivo alio qvàm eduli, sed dum instituitur operatio, separatur aliud adhuc corpus ex corpore auri, aliud ex argenti; ex auro qvidem subsidit pulvis nigerrimus, fixus, insipidus, qvem nullo hactenus igne in aurum iterum reducere licuit. Ex argento secernitur pulvis subniger, ad cinereum declinans. Cætera metalla adhuc obedientiora sunt, parent enim soli aqvæ communi stillatitiæ, cujus ministerio dividuntur; sedimentum Jovis nigricat, auri sedimento simillimum, Veneris tandem flavet, Saturni albescit, & qvasi in cretam candentem vertitur. Parent & Sol atqve Luna aqvæ communi, sed

tardis-

tardissimè. Sed de his posteà disertiùs. Eò duntaxat hæc tendunt, ut doceatur, posse ea, qvæ vehementissimus ignis solvere nescit, aliâ viâ faciliori, sine corrosivis, si ingenium accedat, dissolvi, & verum esse illud *Hippocratis* in Lege: Ἡ ἀνειμένη καλὸς ἡσσονες, καὶ κακὸν κεκμήλιον τῶν ἔχουσιν αὐτέων.

VII. Perseverat in instituto Conringius, &, *Inest*, inqvit, *omnibus metallicis eximia qvædam exsiccandi facultas. Multum qvoq; immissum est iis ignea substantiæ, ceu rectè observatum Galeno Prius ut probem non videtur esse necessarium. Posterius itidem collectu facile est ex eo, qvòd tantùm non omnia illa remedia vim habeant dissolvendi & colliqvandi humores viscidos, qviq; per frigidam aliqvam intemperiem concreverunt. Neqve verò obstat, qvòd aceta metallica, qvæ appellantur, æstum corporis domare sint idonea, idem enim & acetum omne aliud potest, qvod omnino tamen est calidum.* Differit ita *Galenus* de metallicis nondum legitimè præparatis, sed agnoscit idem proximè, *pleraqve metallicorum medicamentorum, alia semel aut bis, alia verò freqventiùs lota, facultatum esse sine morsu desiccantium.* Et l. IX. de simpl. med. fac. c. LXII. de chalcitide, Μεμάθηκας, inqvit, καὶ ὅτι πάντως τὰ κεκαυμένα πλυνόμενα, μετελόπεϛ τι καὶ ἀδηκινόπεϛ γίγνεται. Neqve verò tradit *Galenus* aliud, qvàm ἐν τῇς μεταλλευτῇς πολὺ τῆς πυρώδες ἐγκείσθαι, qvod docet tantùm immiscri metallicis igneum qviddam, sed id ad substantiam eorundem pertinere non docet, ut fugax & loturâ freqventi castigandum. Ut adeoq; non oporteat trahi *Galenum* ad illud propositum, ac si medicamentis metallicis omnibus, jam curiosè & sollicitè præparatis vim igneam & διαπλῶ, & eximiè desiccantem is attribueret. Id qvod nunqvam in mentem veniisse *Galeno* certissimum est. Utq; venisset, inclaruere à tempore ejus in Europâ operationes illæ Chemicæ, qvarum beneficio temperamentum convenientius humano corpori, metallicis accedit. Πυρῶδες qviddam, inqvies, adhæret metallicis. At si qvod illud est, tollitur ablutionibus, aliisqve viis. Et qvid de sulphure censendum? qvod licet non tam πυρῶδες sit, qvàm pæne πῦρ ipsum, nihilominus cum fructu

etiam non ablutum propinatur ſuſpirioſis, & purulenta ſcreatu rejicientibus, ex Dioſcor. l. v. c. CXXIV. admoveturqve utiliſſimè venenatorum ictibus, ex *Galeno* de ſimpl. med. fac. l. IX. c. XXXVII. His adjice, qvòd aliis metallicis ſapientes Chemici uſum aſſignent externum, ubi πυρῶδες illud ſæpe neceſſarium eſt, aliis internum, ubi, ſi opus, tollitur dextrâ præparatione. Sed qvomodo probat *Conringius* igneam illam in metallicis plerisqve remediis ſubſtantiam? *colliqvant*, inqvit, *humores viſcidos, qvique per frigidam aliqvam intemperiem concreverunt.* Illud ſi præſtent, tanto erunt ſcorbuticis plerisqve utiliora. Deſignentur tamen nomine, qvæ id efficiant, ut innocentia eorundem demonſtretur. Præſagit autem reſponſuros Chemicos, aceta metallica id etiam præſtare utcunqve frigidæ ſint naturæ; ideoqve anteverteus reſponſa ſubjicit, *acetum omne aliud domare æſtum corporis, qvod omnino tamen eſt calidum.* Qvod qvemadmodum conveniat adſtruendo illius inſtituto, ipſe viderit. Interea acetum commune *omnino calidum eſſe* vix permiſerit *Galenus*, cujus illa ſunt de ſimpl. med. fac. l. I. c. XXI. *Ex qvibus conſtat*, inqvit, *omnino qvidem frigidum eſſe acetum, ſed qvendam etiam obtinere calorem, qvi acrimoniæ ratione per accidens ſpatio temporis mediocriter corpora excalfaciat, tametſi id non ubiqve, ſed in qvibusdam duntaxat poſſit efficere. Nam in laxis & doloris expertibus tumoribus, neqve protinus, neqve poſtea caloris ſenſum aceti uſus commovet.* Et mox: *Itaqve nec primario, neqve proprio ordine excalfacere videri acetum poteſt, ſed acrimoniæ morſu irritare.* Tandem cap. XXVI. in hæc verba concludit. *Sat igitur fuerit, tenue, refrigeratorium, exſiccatoriumq; acetum dixiſſe.* Spiritûs qvidem inflammabilis tantillum ex aceto vulgati uſûs colligi poſſe certum eſt, ſed is in aceto tot aliis partibus refrigerantibus ſuffocatur, ut vincat omnino, qvod probè *Galenus* monet, vis frigefactans. Aut ſi *Gellium* audire libet, l. XVII. *Acetum*, inqvit, *omnium maximè frigorificum eſt.* Sed ſi *Gellio* levior fides, accedat *Hippocratis* oraculum l. II. de diæt. οἱ ὀξύτατοι οἶνοι ψύχουσι. Et mox: ὄξος ψυχρὸν, διὸ τῆκον τὸ ὑγρὸν ἐν τῷ σώματι καταναλίσκει.

i. e.

i. e. *Vina acida frigefaciunt. Acetum frigefacit, qvia colliqvans humiditatem in corpore consumit.* Fac tamen acetum commune calidum esse, qvid hoc ad aceta metallica? Exsculpat spiritum ardentem ex nitri, aluminis, salisve marini acido *Conringius* [qvemadmodum ex aceto communi licet] ut credamus similitudini exemplorum. Qvod cùm neqveat omnino, labascit adducta machina.

VIII. Ut porrò exemplis doceat inesse metallicis substantiam igneam, *Hydrargyro*, inqvit, *igneam naturam esse, à qvàm multis viris doctissimis est demonstratum. Inter qvos satis est legisse unum Nicolaum Massam l. de lue Venerea tr. 4. c. 1. Hydrargyri autem naturam qvodammodo habet plumbum. Nolo hanc controversiam heic agitare: sufficit si in confesso ponatur, saltim pæne omnia metallica remedia vim habere colliqvantem & dissolventem.* Superiùs ex *Galeno* ostendere laboravit, multum igneæ substantiæ omnibus metallicis immistum esse, nunc igneam hydrargyri naturam agnoscit. Sed non persvadent *Massæ* argumenta; hydrargyron incidere pituitam, liqvare humores, tenuissimarum esse partium fatemur omnes, sed verè igneas in eo esse particulas, qvis hactenus demonstravit? Si igneæ est naturæ, *refrigerare potenter*, hydrargyros certè igneæ erit. Justiùs id de metallis cæteris ignobilioribus aliqvis statuerit, ut ex qvibus sulphur ardens exprimi posse ab ingeniosâ manu nolim pernegare, tantillum tamen id erit, qvod dum immistum plumbo est, frigidis partibus ejus ita involvitur, ut exserere vires suas nesciat. De qvo si qvis dubitet, advocetur experientia qvotidiana, advocentur *Dioscorides*, *Plinius*, *Galenus*, alii, & refrigerare plumbum omnes uno ore fatebuntur. Cætera metallica remedia, dummodo bene præparata, vim habere colliqvantem nondum monstravit *Conringius*; ubi monstraverit, in promptu erit responsio. Neqve juverit inculcâsse, *si non omnibus, ferè tamen omnibus metallicis commune esse videtur, qvòd vis, naturaq; eorum non posit à corpore nostro vinci omnino, atqve commutari, ideoq; qvàm diu detinentur intra nos, vis*

qvoq; illorum ſuperſtes maneat. Indicat illud conſtans & indomita ſubſtantia illorum in igne flammeo. Nec enim fieri poteſt, ut mollis animantium ignis id immutet, qvod flammeus vel omnino non poteſt, vel admodum difficulter. Qvid opus, ut pharmaca omnia à corpore noſtro vincantur? ſatis eſt aliqvando vinci alimenta. Perficere autem dextram præparationem, ut qvæ flammeus ignis neſcit immutare, immutentur longè feliciori viâ, jam ante diſputatum. His adde, qvòd pleraqve metallica flammeus ignis evidenter immutet, æs, ſtannum, ferrum, plumbum, vitriolum, antimonium, ſulphur, alumen, ſalia, & ferè qvid non?

IX. Sed inſurgit Conringius: *Hinc verò*, inqvit, *conſeqvens eſt, temere non eſſe metallicis remediis utendum, qvandocunqve periculum eſt, ſive ab exſiccatione, ſive à colliqvatione aliqvâ. Eſt autem ejusmodi in omnibus, qvi in hecticam, aliamq; præternaturalem ſiccitatem, aut exulcerationem corporis partium nobiliorum ſunt proclives.* Prætexit ergo, hecticæ & exulcerationi partium nobiliorum non convenire metallica. Verùm jam ante docuimus ex *Marco Marci* ſimilia mala qvandoqve curari ſpiritu vitrioli inſipido; docuimus fiſtularum ulcera tolli longo antimonii bene præparati uſu. Nunc id adjiciendum, non tantùm *Petrum Poterium* felici ſucceſſu ad hecticam & phthiſin propinare Chemicè paratum ex antimonio, ſtannoqve pulviſculum, ſed in plerisqve hodie pharmacopoliis exſtare pulverem ex iisdem ingredientibus antihecticum, & illum metallicum, qvo paſſim Medentes fructuoſè utuntur, interq; eos *Clar. D. D. Clauſenius*, Kilonienſium decus, & à ſalutari, qvam ægris affert, ope Medicâ commendatiſſimus, item *D. D. Binningerus* in Obſervat. Medic. & alii. Audiendus & Clar. *Chriſtianus Langius* in Miſcell. Med. *Terra Vitrioli*, inqvit, *poſt ſalem relicta, hæmorrhoïdes & ulcera ſanat, immò vulnera; qvin ſi internè detur* [*eſt enim vera vitrioli dulcedo*] *febres, arthritin, hydropem, phthiſin, viſcerum exulcerationes, & profluvia interna divino modo curat, ſicut ejus etiam tinctura.* Neqve experimentis ſua deeſt ratio, enimvero clauſis benignâ illâ, & clementi exſiccatione metallicorum ulceri-

ceribus, & internis viscerum correptorum hiatibus, ab alimentis postea satis liqvoris suggeritur ad recreandum, humectandumque corpus. Neqve adeo necesse est, ex auro pharmaca in hanc medelam advocare, qvando ignobiliora metallica dextrè, accurateqve parata partibus his ex voto defunguntur, immò vincunt ferè hac parte vegetabilium efficaciam. Ipse *Angelus Sala*, [cujus judicio tantum tribuit *Conringius*] adeo non agnoscit omnia metallica bene præparata exsiccare, ut etiam radicale humidum, qvod utiqve expetendum hecticis, rore vitrioli restaurari scribat in Anat. Vitriol. tract. 1. c. 1. Ecce verba! *Ros Vitrioli*, inqvit, *valet adversus ardentes capitis dolores sumptus, prorsus natâ duabus drachmis continuatus aliqvot dies stomacho jejuno, adustionem sanguinis mitigat, omnia item viscera corroborat, cerebrum superfluo calore & siccitate debilitatum confirmat, humidum etiam radicale restaurat diuturniore usu, verno tempore stomacho priùs aliqvantulum purgato sumptus.* Qvibus qvid evidentius ad enervandam *Conringii* opinionem?

X. Medicamenta porrò metallica accusat *Conringius* etiam hoc nomine, *qvòd magnis sumptibus, & facili lapsu comparentur*; sed adeo locuples est metallicorum pharmacorum copia, ut facile parabilibus contenti esse qveamus. Et si bene ineatur ratio, cùm parva dosi propinentur, cùm ætatem ferant, cùm citius ferè ægritudines vel tollant, vel mitigent, plerumqve cariùs medicamur vegetabilibus, qvàm metallicis. Lapsus præparationum non pharmacis, sed malæ fidei ministris adscribendi, qvi utinam non freqventer etiam & periculosè committantur in vegetabilibus. Neqve dubium est, plures ab orbe condito vegetabilium cathartícorum, emeticorum, opiatorumqve sinistrâ tum præparatione, tum usu periisse, qvàm sinistrâ vel præparatione, vel usu metallicorum. Ad summam: vitia in qvavis professione erunt, dum homines.

XI. Nondum parcit metallicis *Conringius*, sed: *Porrò*, inqvit, *in metallicis optimæ aliàs notæ commendandis modum vehementer excedere*

cedere Paracelsicos sole est clarius. Et verò paulò ante audivimus ampullas Quercetani de Antimonio & Vitriolo, de purgantibus item remediis ex Mercurio, ex Antimonio paratis. Aliorum ostentationes inanes auscultavimus jam tum capite duodecimo. Si per Paracelsicos, agyrtas impostores intelligit, veniam meretur; sed & illi sæpe oleo alicui vegetabili, & radici plebejæ immensas itidem, quæ vanitas gentis est, admetiuntur laudes; si autem viros bonos, doctosque, & rerum naturalium peritos, prudentiùs loquendum. Unus forsan, alterque modum laudando excesserit, cur hoc redundabit in ludibrium omnium? Dixerit Quercetanus, *integram pharmacopœi officinam in Vitriolo exquisitè dissecto comperire licere*, dixerit, *latere in Antimonio universalem medicinam*, quis spondebit *Conringio*, aliud voluisse *Quercetanum*, quàm pharmaceuticam officinam minorem, & itineribus opportunam? quàm universalem medicinam, plerisque morbis vel curandis, vel leniendis convenientem? Utque aliter senserit, habuit jam ante *Paracelsum*, quem sequeretur. Sanè *Basilius Valentinus* idem de *Antimonio* sustinuit scribere libro, cui nomen, *Triumphalis currus Antimonii*, indidit; idem de *Vitriolo* in *Explicat. XII. clavium*, ut si peccatum in hoc ullum deprehendatur, *Basilianis* id justiùs impingendum sit, quàm *Paracelsicis*. Sed neq; *Basilium* hic adeo deliquisse, ut alii jam plures antè, ita nuper etiam eruditè, scienterque docuit *Amplis. Kerckringius* Commentar. in Curr. Triumph. Basilii, qui consuli meretur. Et cur vitio vertetur id Chemicis, quod à Dogmaticis didicisse videri possunt? Certè enim invenies Medicos etiam sapientes, qui excussâ accuratè unius plantæ salutiferæ virtute, adeo latè patere efficaciam ejus medicatricem notavere, ut omnibus pæne morbis eandem judicaverint convenire. Testis jam olim *Antonius Musa*, felicissimus ille Machaon, qui docente *Plinio*, non modò Augustum Cæsarem gravi periculo ope medicâ exemit, sed & cùm insanabilia incidisset hulcera, viperas ægris edendas dedit, atque ita mirâ celeritate persanavit; is l. de *Betonicâ* adeò laudavit simplex hoc germen, ut non dubitaverit illud plusquam XL. morborum

borum generibus opponere. Nostro seculo universalem pæne medicinam ex *sambuco* deduxit *Martinus Blochwitius*. Nè nunc de *junipero Becheri*, de *absinthio* & *scorzonerâ Febrii*, de *carduo benedicto Georg. Chr. Petri*, de *vite Sachsii*, de *veronicâ Simonis Paulli*, de *croco Hertodti*, aliisqve polychrestis, & qvibusdam ferè panchrestis simplicibus vegetabilibus qvicqvam adjungam. Romani totis sexcentis annis in brassicâ integrum reperere pharmacopolium, ex *Plinio*; anne justiùs idem in *antimonio*, *vitriolo*, invenire liceat, sapientum esto judicium; etiam *Angeli Sala*, qvi præclara multa de utriusqve viribus medicis reliqvit posteritati, ut ut intacta reliqverit plura. Neqve de vulgatis illis vitrioli præparationibus tam magnificè sensit vel *Qvercetanus*, vel *Paracelsus*, sed de secretioribus. Ipse *Theophrastus Paracelsus* l. de Vitriol. *Vitriolo*, inqvit, *qvarta pars morborum tolli potest, & illud qvartam pharmacopolii partem absolvere!* Sed & erant id temporis jejuniora in pharmacopoliis omnia, nunc Chemiæ beneficio splendidiora sunt.

Similiter errant illi, qvi cùm audierint *Paracelsum* commendâsse vitriolum ad epilepsiam, mox in spiritu vulgari vitrioli, vel oleo ejus opem qværunt, & non inventâ illâ deceptos se vociferantur. Conferenda enim erunt *Paracelsi* varia loca, expendendumque illud imprimis, qvod l. de Caducis paragr. 4. adducit: *Volatilitas*, inqvit, *vitrioli medetur caduco*, non oleum ejus; & qvod adjicit in Defension. *Si dicturi estis*, inqvit, *vitriolum esse corrosivum, eò rediqi debet, ut corrosivum non sit. Si ad corrosivum reduci potest, potest & in dulcedinem verti.* Nec laudibus illis sibi gloriam qværunt Medentes, sed magno Naturæ Architecto, ut cujus inæstimabilis bonitas non in metallicis minùs, qvàm plantarum genere elucet. Qvod subjicit *Conringius*: *Aliorum ostentationes inanes auscultavimus jam tum capite duodecimo*, id agnosco me non capere. Si secundi libri caput XII intelligit, ubi Paracelsum flagellat, qvomodo potest capite qvinto ejusdem libri dici *auscultâsse id*, qvod demum *duodecimo* dicturus est? si libri primi caput

XII intelligit, ubi fugillat Ægyptios, in eo de metallicis nè verbum qvidem proponitur.

XII. Multus est in eo *Conringius*, ut doceat metallica non nutrire, cùm sint corpora gravia, in qvibus densitas, durities, & siccitas inemendabilis. Tandem: *Et vero*, inqvit, *qvid verbis opus est? cùm constet nullum animal vesci metallico qvopiam, nisi rarissimè, & fortè in condimentum, aut morbi remedium: nullum qvoqve ex metallici alicujus putredine generari: à nullo deniqve animali solidos lapides, metalla, & metallicos succos corrodi ceu ligna solent à teredine.* Paracelso alimenti vocabulum laxiùs acceptum fuisse ex ipso *Paracelso* jam antè ostendimus. Metallica densitatem, duritiem, & siccitatem, qvam falsò inemendabilem vocat, deponere, si in periti artificis manus incidant, vel id docuerit, qvod de auro allatum à nobis est superiùs; mures aliqvando vesci metallis non fulè tantùm docet *Jul. Obsequens*, sed & *Clar. Borellus*, vas stanneum sibi à muribus corrosum fatetur. Idem Hist. & Obs. Med. Cent. III. Observat. LXXXXV. *Dominus la Pierre*, inqvit, *nobilis Castrensis dum machinarum bellicarum custos esset, & director, narrat mures supra centum libras globulorum plumbeorum, pro tormentis bellicis destruxisse & vorâsse.* Qvod ferrum libenter voret, ejusq; superficiem subigat tandem struthio Bruxellis & Florentiæ spectatum. Cæterùm an bestiæ metallica illa expetant subinde in nutrimentum, an condimentum, an deniqve remedium, in medio relinqvo, expeti tantùm ostendo, corrodiqve: neqve illa *Obsequentis* exempla in miraculis habenda [qvemadmodum & ipsi familiare est, alia in ostentis numerare, qvæ naturæ vires, moresqve non excedunt] qvòd alibi idem sine ostento contingat. Prætexes, *at non corroduntur ut ligna à teredine.* Hoc vero est, in scirpo nodum qværere; qvid refert, qvâ demum foraminum id pertundant figurâ, dum pertundant, corrodantqve? Teredines rotundo capite terebrant, qvis id reqviret à murium dentibus, à struthionis ventriculo, à corvorum, monedularumqve rostro? nam testimonium *Borelli*, viri Clarissimi, & publico bono scribentis liqvidò fabulo-

buloſum proclamare, qvod *Conringius* audet in Apolog. cùm vidiſſe ipſi non contigerit, crudæ pertinaciæ eſt. Salem à muribus lingi non diffitetur *Ariſtoteles* l. Hiſt. Anim. VI. c. XXXVII. At metalla ſalis *Plinius* agnoſcit. Plumbum templorum, armamentariorum, canaliumqve publicorum à muribus ſæpe & allambi, & arrodi narrant paſſim æditui noſtri, & tormentorum militarium præfecti, oculati edulii hujus teſtes. Nuper mihi obtulit *Paulus Hagenius* plumbi tabulam, à mure majori hoc menſe rotundo foramine croſam in navi Regiâ, cui nomen *Venator*. Qvin & viſum ſibi narrat venerabilis apud nos ſacrorum myſtes, H. Buechius, murem feneſtrarum plumbum avidè rodentem. Qvid qvod jam olim docuerit *Ariſtoteles* de Hiſtor. Anim l. V. c. XIX. animalia qvædam pennata in æreariis fornacibus, ubi chalcitis uritur, in ipſo igne naſci. Similia *Plinius*, qvi & l. XI. c. XXXVI. beſtiolas illas pyralides vocat & pyrauſtas. Pluribus idem confirmat *Pomponatius* l. IV. Meteor. Utqve in eo deceptus ſit *Ariſtoteles*, qvòd ſcripſerit γίνεσθαι ἐν τῷ πυρὶ, ſimillimum tamen vero eſt, non procul ab igne natas, inter metallorum ramenta. Ut vel hinc conſtet qvantopere gaudeant metallicis qvædam animalia. Ariſtoteles [ſi tamen illius eſt id ſcriptum] in Mirabil. Auſcult. Ἐν Κύπρῳ τῇ νήσῳ, inqvit, λέγεται τὰς μέτας τὸν σίδηρον ἐσθίειν. Qvod ſi verus *Strabo* l. XV. & *Plinius* l. XI. delectantur oppidò auro formicæ Indicæ, erutoqve à ſe ſe inſidiantibus hoſtiliter adverſantur. Qvas autem delitias facit *Conringius* de auro in Danis à muribus tuto, qvos ſarcasmos fabricatur, hic non attingam; illud tantùm mirabor, vacare ſeni grandævo rhinocerotis naſum induere, & ad buſti marginem Attellanos imitari.

XIII. Minoris illud momenti eſt, qvod urget Conringius, *Remediorum Chemicorum inventionem non tam arti tribuendam, qvam caſui & fortunæ.* Utcunqve enim conſtet, non minùs artificem, dædaleumqve genium ad invenienda cum ratione nova Chemicis eſſe, qvàm Galenicis, certè & Galenicorum plurima inventa caſui debentur, qvod ex *Plinio*, *aliisq;* oſtendere proclive eſt.

est. Et verò nobilem illam elephantiasis curam cui attribuit *Galenus* nisi casui? immò qvæ totâ substantiâ agere *Pergameno* dicuntur, haud aliter emanavere, qvàm fortuitò. Gravius id est qvod subjicit: *Omne illud de qvintâ corporum sublunarium essentiâ meram fabulam esse, & inane commentum.* Id qvòd cùm alibi liqvidò se demonstraturum spondeat, ad id loci pausa esto. Interea non oportuisset toties, qvod facit, sententiam hanc inter febrilia referre commenta, nisi ante confutatam. Qvàm autem in illâ postea convellendâ dum occupatur, mentem *Paracelsi* vel non assecutus sit, vel studio perverterit, illic clarissimè, ut spero, ostendetur. Neqve illud Conringii laudabile est: *Fiunt autem præparationes metallicæ tantùm non omnes vi ignis vehementis.* Enimvero optimæ qvæqve & curiosissimæ leni igne perficiuntur. Tincturas metallicorum evocat svavis calor; Antimonialia sulphura & balsama evocat svavis calor; spiritum vitrioli insipidum, [qvi *Paracelso* manna vocatur] sed effectûs generosi evocat svavis calor; ex omnibus metallorum mineris acidulum rorem evocat svavis calor; ex omnibus metallis patienti tritu in verum alcohol redactis essentias nobiles evocat svavis calor; sed desino pluribus rem notam perseqvi. Neqve est qvòd excipiat qvisqvam, Paracelsicos ista nescire; etenim plura omnino scivit *Paracelsus*, qvàm publicavit, & sectatores Magistri genium hac parte imitantur. Sed nec in Paracelsicos solos tela sua dirigere *Conringium*, verùm in alios qvoqve Chemicos ipsa frons operis hujus Conringiani disertè profitetur.

XIV. *Plerosq; Paracelsicos Chemicè paratorum vires æstimare ex naturâ eorum metallicorum, qvæ vim istam passa non sunt*, tradit prolixè *Conringius*, sed non probat, immò qvæ adducit omnia, probant contrarium. Idem docent omnes Chemicæ præparationes à Paracelsicis allatæ. Qvantum intersit inter vires mercurii vivi, & sublimati, & præcipitati; qvantum inter antimonium crudum, ejusqve vitrum, & sulphur; qvantum inter aurum crudum & fulminans, notum etiam tyronibus, & loqvuntur Paracelsi-

celsicorum scripta uberrimè. Sed pergit: *Qvàm manifestum est ignis vestigium in metallis ustis, in chalcitide ustâ, in mercurio calcinato, in croco martis, in spiritu & oleo vitrioli, sulphuris, salis, & similibus qvàm multis!* Ignis vestigia appellat *Conringius*, qvæ sunt salium pungentium acumina. Sed sint vestigia ignium, qvid inde periculi? nonne chalcitidem theriacæ interunt *Galenici* sine noxâ? nonne Mercurio, qvo qvo modo calcinato, sed additione crudi Mercurii sublimato iterum, & à salibus suis perpurgato utimur qvotidie in lue Venereâ, summo ægrotorum emolumento? nonne croco Martis utroqve felicirer utuntur Medentes? Et à spiritibus acidis nullum periculum, dum administrat eos prudens Medicus, salvis pulmonibus, dum parcâ manu propinat, & convenienti vehiculo probè remistos, inprimis dum connubio jungit priùs cum purissimo vini spiritu, & acrimoniam ita temperat. Qvin & sine connubio illo agnoscit *Mindererus* ad malignorum morborum efferveseentium curam accessurum se se inermem nisi spiritu vitrioli comitatum. Sed ad aurum regreditur, &: *Etenim*, inqvit, *tantùm non in cœlum vulgò efferunt sua ex auro parata, & tamen hactenus nemo aurum paravit sine corrosivis. Non fieri etiam aliter posse, qvicqvid vulgò jactitant nugatores, præclarè ostendit Angelus Sala in Chrysologiâ suâ.* Hic qvàm decipiatur cum *Sala* suo patet ex superioribus liqvidò. Accidit id genus negabundis, qvod apud *Lucianum* imperito Æthiopi, qvi qvòd albos homines vidisset nunqvam, præfractè contendit tales in rerum naturâ nusqvam reperiri.

XV. Tandem in aceta, qvæ vocat, metallica acerbè invehitur. Sed omnes illæ criminationes cessant, ubi spiritus ejusmodi acidi in circumspecti Medici inciderint manus. Occiderint centum ægros temerè propinati, certè plures occiderunt temerè propinata Galenicorum cathartica. Ferunt illos præsertim spiritibus aliis roborantibus providè temperatos, qvibus integris pulmonibus pituita molesta est, qvibus ardet febriculosus sangvis, qvibus hepar bile tumet. *Chalcanthi spiritus*, [inqvit

Clar. Raymundus Fortis, Prof. Patav. l. de Febribus.] *celeberrimus habetur ad vermes enecandos, nec unqvam fallit.* Subit hîc opportunè, qvòd Lugduni ad confluentem Araris & Rhodani convenerim honoratum virum octogenario majorem, sed tum adhuc vegetum *Dn. Buſenaſium* centurionem, qvi à qvadraginta jam annis qvotidie octo ſpiritus ſulphuris acidi guttas in craſſiuſculo carnium jûſculo hauſerat, manifeſto virium incremento. Cæterùm, ut à vino imprudenter & alieno tempore poto manifeſta proficiſcitur calamitas, ita ab acidis metallicorum ſpiritibus, ſuapte qvidem naturâ innoxiis, ſed inconſultè aliqvando hauſtis ſimilia contingere qvis dubitabit?

Cap. III.

I. Lapides in Medico uſu fuiſſe apud veteres Hermeticos. II Arabibus illud inventum non deberi. Gemmas & lapides nobiliſſimis eſſe in medendo viribus. III. Non eſſe Paracelſicum torqvere gemmas cum vitriolo & ſalibus, viâ commodiori elici ex iis virtutes. IV. Conchylia, corallia, & margaritas certo experimento ægris prodeſſe. Notum id Hermeticis fuiſſe, anteqvam Arabibus. Dari veram coralliorum tincturam. V. Facili methodo ſine corroſivis prolectari ex gemmis coloratis, coralliis, lapidibusqve tincturas, & vera ſalia, qvantumvis id perneget Conringius.

UT lapidum in medendo auctoritatem, gloriamq; elevet Conringius, & irritos eſſe Chemicorum circa hunc naturæ articulum conatus Orbi perſvadeat, ita auſpicatur:

I. *Lapi-*

I. *Lapidum igitur, qvo nunc nomine & gemmas appellamus, qvis in Medicinâ apud veteres Hermeticos fuerit usus haud facile dictu est, nisi qvod certum sit varias imagines iis olim insculptas ex Nechepsi disciplinâ.* De qvibus strictim. 1. Lapidum usum in Medicinâ celebrem fuisse apud veteres Ægyptios, sive Hermeticos facile dictu est, facilius futurum, si monumenta veterum Ægyptiorum, qvæ tempus edax consumpsit, fortuna benignior humano generi indulsisset. Facilitatem autem hodiernam permittunt, ut aliis nunc parcam, *Plinius*, *Aëtius*, *Dioscorides*. Vox *Plinii* l. XXXVII. c. IX. *Est & alia iris* [species jaspidis illa est] *cereæ similis, prædura: qvam Horus* [qvem vel ipsa nomenclatura Ægyptium designat] *crematam, tusamq; ad ichneumonum morsus remedio esse, nasci autem in Perside tradit.* *Aëtius* autem tetrab. I. Serm. II. c. XIX. *Lapis tecolithus, seu judaicus, confringit calculos in renibus natos, dilutus in cote, & ex aqvâ calidâ potus: verùm in vesicæ lapidibus nihil eximii præstat. Nechepsus* [Ægyptius] *tradit hæc verba: tecolithum lapidem, cum aqvâ terito ad sordium strigmentorum tenuium crassitudinem, & derasis circa vesicam ac pubem pilis illinito, & confringet ac liqvefaciet calculos in vesicâ.* Hujus ego propinati vim singularem cum *Dioscoride* [licet id *Galeno* non observatum, aut *Aëtio*] expertus sum in atterendis vesicæ calculis, de qvo alibi. Iterum *Aëtius* tetr. I. Serm. II. c. XLVII. *Nechepsus*, inqvit, *de Armeniaco pictorum sic tradit: Armenium, qvo pictores utuntur, duodecimâ drachmæ parte melancholicis & crassum sanguinem habentibus dato* &c. *Dioscorides* l. V. c. CLII. tradit morochtum Ægyptium convenire sanguinem excreantibus, cœliacis, & vesicæ dolore vexatis. Idem l. V. c. CLVIII. addit, lapide Memphite Ægyptio trito, & illito partes, qvæ urendæ, secandæve sunt, citra periculum ita obstupescere, ut non sentiant cruciatum. 2. Nè id qvidem certum est, lapidibus varias olim imagines inscriptas ex *Nechepsi* disciplinâ; neqve enim hoc fieri debere docuit usqvam *Nechepsus*. *Galenus* qvidem de simpl. med fac. l. IX. c. XXVI. ita tradit de jaspide viridi: Ἐνιοθέασιν τι καὶ δακτυλίῳ αὐτὸν ἔνιοι, καὶ γλύφουσιν ἐν αὐτῷ τὴν τὰς ἀκτῖνας ἔχοντα δράκοντα, καθεδ-

καθάπερ καὶ ὁ βασιλεὺς Νεχεψὼς ἔγραψεν. Ubi ostenditur, hæc loqvi ex personâ suâ Nechepsum? tradit qvosdam id agere, sed nè actum laudat qvidem, multò minùs disciplinam illam suam esse profitetur. Perstringit potiùs hìc vanitatem Babyloniorum, Chaldæorum, Persicorum, Parthicorumqve, Zoroastris, Sotaci, Zachaliæ, qvi auctore *Plinio* l. xxxvii. passim dira de gemmis & figuris iisdem insculptis sparserant mendacia. Juverit audisse *Plinium* de Jaspidibus l. xxxvii. c. ix. *Magorum vanitas* [non adjicit, Ægyptiorum] inqvit, *resistere ebrietati eas promittit, & inde appellatas: præterea si lunæ nomen ac solis scribatur in iis, atqve ita suspendantur è collo capillis cynocephali, vel plumis hirundinis, resistere veneficiis: jam verò qvoqvo modo adesse Reges adituris: grandinem qvoqve avertere ac similia; & locustas precatione additâ, qvam demonstrant; nam è smaragdis qvoqve similia promisere, si aqvilæ scalperentur, aut scarabæi: qvæ qvidem scripsisse eos non sine contemptu & irrisu generis humani arbitror.* Deniqve & paullò liberalius est illud Conringii: *Varias imagines lapidibus insculptas ex disciplinâ Nechepsi;* Nechepsus enim solius adducit radiati Draconis imaginem, neqvaqvam varias. Sed seqvamur progredientem *Conringium.*

II. *Paracelsici autem*, ait, *Arabum Medicorum doctrinam secuti, gemmarum pulverem propinatum præcipuè ad cordis affectus solent commendare: aût Chemico more factâ elaboratione, qvod Arabum Medicis fuisse usitatum, non est vero simile. Cæterùm posse id præstare rudes gemmas, qvod existimârunt Arabes, hactenus sanè nullo constat experimento.* Mirum hìc ita scribere *Conringium*, qvem qvotidiana Medentium redarguunt experimenta. *Initiò* autem, ante notos Arabas vetustissimus *Orpheus* [qvi apud Eusseb. Pamph. de Præp. Evang. l. i. c. vi. memoratur primùm translata secum Ægyptiorum mysteria cum Græcis hominibus communicâsse] de gemmarum viribus medicis & alexipharmacis qviddam commentatus est, qvem prius consuli oportuit, qvàm Arabibus recentioribus gloriam inventi saluberrimi resignare. Utqv; constet Orphea Hermeticum fuisse, ecce proœmium Orpheos περὶ λίθων!

Δῶρον

Δῶρον ἀλεξιπάκοιο Διὸς θυγατρὸς ὀπάσσαι
Κεκλόμεθ᾽ Μαίης ἐριάνῃ᾽ ἦλθε κομίζων
Τιὸς, ὅπως ἀνέχωμεν οἰζύος᾽ ἀτρεκὲς ἄλκαρ.

Laudat autem *Orpheus achatem* ad lethales febres, & qvartanam, atqve venenatum scorpii ictum, immò morborum ferè omne genus; *nevriten* adversus morsum aspidis; *ostriten* adversus viperas & serpentes. Post *Orphea* de gemmarum virtutibus qviddam attigere *Dioscorides*, *Plinius*, *Galenus*. Et qvidem *Plinius*. l. XXXVII. c. IV. *Adamas*, inqvit, *& venena irrita facit, & lymphationes abigit, metusq; vanos expellit à mente.* Dioscorides l. V. c. CLVII. Αἷμα ὄφεως δοκεῖ ὠφελεῖν σκορπιοπλήκτους πινόμενον. *Idem* l. V. c. CLXII. *Ophites alligatus morsis à serpente, & caput dolentibus auxiliatur.* Idem *Galeni* judicium est de simpl. med. fac. l. IX. c. XXVII. Iterum Dioscor. l. V. c. CLX. Omnes, inqvit, jaspidum species, etiam qvæ smaragdum imitantur, pro amuletis gestari traduntur. Certè *venena irrita facere, scorpionum & serpentum mederi ictibus, pro amuletis gestari*, non est nisi eorum, qvæ cor roborant, & adversus malignitatem tuentur. Verùm, ut & hos Scriptores, & *Psellum* qvoqve de virtutibus lapidum mittam, fac, primùm commendâsse Arabas gemmarum pulverem ad cordis affectus, gratiæ sanè publico nomine ipsis debebuntur ob inventi tam illustris utilitatem, præsertim cùm adeò prosperè ad nostra qvoqve tempora in malignis, venenatisqve morbis ad usum freqventissimum totâ nunc Europâ vocentur. Ita in confectione diahyacinthi, *hyacinthos, smaragdos, sapphiros, topazios*; in Elect. de gemm. frig. *hyacinthos, smaragdos, sapphiros, sardas, granatos*; in pulvere Bezoardico compos. Sennerti, *smaragdos, hyacinthos, rubinos*; in pulvere rubeo Pannonico *smaragdos, rubinos, sapphiros, hyacinthos*; in antidoto Matthioli *smaragdos, hyacinthosq;* qvotidie salutari experimento ægris propinamus. Sed & privatim de smaragdo *Helideus Padoanus* in Curat. Med. *Recipe*, inqvit, *pulveris smaragdi scrupul. sem. detur in cochleari vini, & syrupo de pomis: talis pulvis in malitiis malignis, & pulsu intercepto est præstantissimus, & statim*

vires reficit. Et *Jo. Crato* de peſtilent. febris curat. *Omnes prope Medici*, inqvit, *poſt theriacam, & Mithridatium, ſmaragdum laudant.* De *topazio* apud Ambroſinum *Michael Mercatus* narrat, *temporibus Gregorii XI. Pont. Max. fuiſſe Medicum Romæ, qvi peſte correptos ſolo tactu topazii curabat.* Facile hîc eſſet auctoritates qvoqve *Alberti Magni, Anſelmi Boëtii, Ambroſini, Cæſii, Ruei, Camilli Leonardi, Loniceri, Alardi, Baccii, Mylii, Mercati*, aliorum longo numero advocare, ſed non viſum operæ pretium ſupervacuâ recenſione ſoli lumen fœnerari. Ipſæ pro ſe gemmæ facundiſſimè perorant, qvotiescunqve in tenuiſſimum, & ſub dentibus nullo modo ſtridulum comminutæ pollinem venis concipiuntur, ita enim particulæ earundem ſubtiliſſimæ, qvæ in corpore craſſiuſculo pæne intermortuæ apparent, ſui juris factæ cum magno ægrotantium fructu expergiſcuntur, & partim fibras langveſcentis cordis firmando, partim fermentationem ſangvinis malignam compeſcendo qvietem humoribus pacatam inducunt. Nec mirum, ſi neglectâ accuratiori illâ [qvod in pharmacopoliis ſæpe fieri dolemus] triturâ, in qvâ totum negotium volvitur, fruſtretur perfunctoriè medentem eventus. Præclarè *Galenus* de ſimpl. med. fac. l. IX. c. XIII. Κεκόφθαι γὰρ χρὴ λελεῖῶθαι πάνυ σφόδρα χρὴ τὰς λίθους ἅπαντας, ὅταν εἰς χρῆσιν ἄγωνται, παραπλησίως τοῖς εἰς τὰς ὀφθαλμικὰς δυνάμεις μιγνυμένοις· ἐὰ μὴ γὰρ γνοώδεις γεννηθείεν ὡς εἰς τὸ βάθος καταδύεσθαι τῶν σωμάτων, οἷς ἐπιτρέφονται, παραπλήσιοι μενοῦσι πάντως τοῖς ψαλαιστίαις τὴ, καὶ πταμίαις ψάμμοις. Hac viâ ſi procedatur, operantur in corpore humano gemmæ κατὰ τὴν ἰδιότητα τῆς ὅλης οὐσίας, alioqvin non niſi κατὰ τὰς δραστικὰς ποιότητας, qvod diſcrimen paullo ante inter pharmaca graviter conſtituit ſapientiſſimus ille *Pergamenus.* Sed de trituræ illius accuratiſſimæ viribus poſtea diſertiùs. De viribus autem lapidum, gemmarumqve luculentè nuper commentatus eſt illuſtris *Rob. Boyle*, qvi conſuli meretur.

III. Audiendus nunc iterum *Conringius: Adhuc minùs ferendi*, inqvit, *videntur Paracelſicorum Chemici conatus. Ut enim aliàs, ita & hîc ſperaverunt qvintam gemmarum eſſentiam, penu ſcilicet virium*

virium omnium à crassiore corpore separare. Id verò ut efficerent, solent gemmas vehementissimo igne, cum sulphure, nitro, aliisq; salibus stratificatas, ut loqvuntur Chemici, calcinare; mox illius calcis partem separare, aut in liqvorem deducere: qvodq; ita separatum solutumq; est, olei, salis, essentiæ gemmarum nomine insignire. Est autem totum illud de qvintâ essentiâ corporum, adeoqve etiam gemmarum, nihil nisi febrile commentum. Ineptum qvoqve est ex calce corporum combustorum essentiam eorum genuinam educere velle: perinde enim fuerit, atqve si in cineribus combustæ domus qvæsieris essentiam domûs integram. Sed salva res est. Chemici enim, qvi cum nitro & salibus aliis gemmas in violento igne exercent, produnt se hac parte non esse Paracelsicos, omnia enim alia Germanus ille *Theophrastus*, legatur Archidox. l. IV. ubi ex professo de v. essentiâ commentatur: *Recipe lapides, gemmásve*, inqvit, *aut margaritas crassiusculè tritas, iisq; in vitro affunde acetum radicis, ut qvinqve digitis superemineat, digerantur ad mensem unum, ut materia tota liqvida evadat. Postea materiam illam novo aceto radicato permisce, & colorabitur acetum juxta naturam soluti lapidis, qvo colorato liqvore effuso, plus affunde dicti aceti, idqve continua, donec acetum nullo amplius tingatur colore. Ita in coloribus illis hæret qvinta essentia, corpus autem manet in residuo. Hos coloratos liqvores sensim decoqve ad siccitatem, & postea toties aqvam destillatam inde abstrahe, donec materia evadat dulcis sive insipida. Pulviculum hunc insipidum relinqve in marmoreâ tabulâ, ut in liqvorem dissolvatur. Ita habes qvintam essentiam gemmarum & margaritarum. Attende autem qvomodo segerant margaritæ cum suis coloribus: dissolutæ illæ fatiscunt in crassum qvendam & lacteum liqvorem, corpore eorundem arenoso & viscoso in fundo relicto. Ita & cum crystallis res se habet, tota illarum qvinta essentia ascendit, remanetq; in fundo viscidum qviddam, & glutinosum.* Nulla hîc violentæ calcinationis argumenta; solum *acetum radicis*, qvod vocat, viscera gemmarum profundè ingreditur, & particulas ita à se se invicem dividit, ut subtiliores & essentiæ nomen emerentes per alembicum postea ascendant.

Insistant alii suæ cum salibus calcinationi, nihil evincent aliud, qvàm se Paracelsum non imitari. Desideratur nimirum hodie cognitio exactior *radicis* illius, qvod appellat, *aceti*, hinc à variis varia analysis geminarum qværitur, *Paracelso* intentata. Menstruo illi Paracelsico, qvod in occultis reservavit, promptum fuit etiam crassiusculum gemmarum pulverem in minutias exiguissimas partiri; nobis, qvibus non licuit esse tam beatis, id relictum, ut freqventissimâ partium triturâ viscera gemmarum qvodammodo recludamus, & prodeamus tenùs, cùm ultra ascendere non permiserit causaria forsan Paracelsi taciturnitas. Non esse autem qvintam rerum essentiam, qvalem Paracelsus depingit, febrile commentum, posthac demonstrabitur. Interea plenum inficetiarum deprehenditur illud *Conringii: Ex calce corporum combustorum essentiam eorum genuinam educere velle, perinde esse, atqve in cineribus integram combustæ domus qværere essentiam.* Qvid enim artificialia cum naturalibus? Ut taceam nihil certius esse, qvàm è cinere, & calce omnium ferè metallorum posse ipsa iterum in scenam produci metalla; neqve verò cineribus plantarum omnem vim mixtorum suorum adimendam existimamus, qvemadmodum de lixivis plantarum salibus nobis alio loco disputatum est, neqve fluviatilibus cancris in cinerem artificiosè combustis eam subtraxit *Galenus* de simpl. med. fac. l. xi. c. xxx. Sed nec probandum illud Conringianum: *Ne qvidem*, inqvit, *ipse Paracelsus potuit aliqvando acrimoniam illam gemmarum magisterii dissimulare. Ne timeas* [scribit l. v. Archidox.] *exhibere, qvia acre est, ac naturæ calcis particeps: nam acrimoniâ suâ tantùm agit in resistentia.* Vidimus enim superiùs acria qvidem, ut acetum radicatum, adhiberi à *Paracelso* ad dissolutiones varias, sed unà ex iisdem notamus, eadem non propinari ægris nisi acrimoniâ jam ante per crebras destillationes sublatâ. Taceo deceptum citando *Conringium*, neqve enim qvicquam horum, qvæ tradit exstare Archidox. l. v. apparet ibi usqvam.

IV. Sed pergit more suo *Conringius: Par studium, nec minus infelix*

infelix successus eorundem Paracelsicorum hactenus fuit in conchyliis, corallis & margaritis. Itidem nimirum omnium horum in rem Medicam laus prima videtur Arabibus deberi; certo destituta experimento pariter, ac ratione, qvæ id persvadeat. Conchylia [si qvidem testas ipsas intelligit *Conringius*] rarò propinant hodie Chemici; *Anwaldus* fortassis febricitantibus calcem eorundem ingessit, placuit & id *Gabelkovero*, *Crollio*, paucisqve adeo Medentum aliis; Conchas margariti feras ad tuendum cor laudat *Serapio* & *Strobelbergerus*; qvi præterea calcem earundem ad drachmam unam in tertianis sæpe & fructuosè propinavit; in externis conchylia laudat ipse *Dioscorides* addentes extergendos, luxuriantes carnes compescendas, ulcera purganda, alia. Corallia verò ad usum Medicum commendavit jam olim ante Arabas *Dioscorides* l. v. c. cxxxix. & *Plinius* l. xxxii. c. ii. *Surculi coralliorum*, inqvit, *infantiæ adalligati tutelam habere creduntur: contraq; torminum, ac vesicæ & calculorum mala in pulverem igne redacti, potiq; cum aqvâ auxiliantur: similè modo ex vino poti, aut si febris sit, ex aqvâ somnum afferunt. Ignibus diu repugnant. Sed eodem medicamine sæpius poto tradunt lienem qvoqve absumi: sanguinem rejicientibus, exscreantibusve medentur. Cinis eorum miscetur oculorum medicamentis, spissat enim ac refrigerat: hulcerum cava explet: cicatrices extenuat.* Et nè qvis effugio locus, laudavit diu ante hos omnes vetustissimus *Orpheus* adversus venena *Carm. de coralliis*:

Ἰσθι δ' ἀμαλδύνειν σκορπίια κέντρα δύναιθαι,
Καὶ Περσηΐδαο μέν Θ· μέγα κηρὸν ἀλίοιο
Ἠδὲ παλαμναίην ἀνεμώλιον ἀπτίδα θεῖναι. &c.

Cæterùm, ut ulteriùs medicæ vires coralliis ad tuendum etiam cor asserantur, non libet nunc Medentium totâ Europâ consensum, & practicorum experimenta qvotidiana huc advocare; sit instar omnium *Anselmus Boëtius*, Imperatorius ille Machaon, cujus vel sola, ut sapientissimi hominis, vox *Conringio* hîc opponenda: *Ego certè*, inqvit, Histor. Gemm. & lap. l. ii. c. cliv. *testari*

possum, me, cùm extremè febre pestilenti decumberem, animiq; deliqvia singulis momentis haberem, qvatuorq; dies & noctes absqve omni somno habuissem, omnesq; astantes de meâ salute desperarent, me sex guttulis tinctura [coralliorum] *cum decoctione violarum ex cochleari propinatis extemplo, & qvasi miraculosè fuisse liberatum. Qvamprimum enim duo cochlearia tinctura sumpseram, cordis spiritus ita recreari, & naturæ gratissimum qvippiam accessisse, ac omnia præcordia subiisse sensi, ut illico, qvasi luce depulsis tenebris morbi vim medicaminis efficaciâ manifestè abigi perciperem. Sudorem enim & crisin (cujus tamen nulla indicia præcesserant) movebat, maculasq; qvàm plurimas purpureas ad cutim pellebat. Qvibus sudore continuato deletis brevi pristinam valetudinem recuperabam.* Margaritarum vires in tuendo corde experrectas non minùs freqventer deprehendunt praxi medicæ assveti. Testatur idem salutifero usu diamargariton frigidum, manus Christi, qvas vocant, perlatæ, diamosch. dulce, confectio hyacinthina, electuarium de gemm. frigid. species cordial. temperatæ, puluis rubeus Pannonicus, pulvis *Marchionis*, pulvis Bezoardicus *Sennerti*, qvibus ut margaritarum pulvere fœtis dira malignitas cordi humano insidiosa qvotidie feliciter expugnatur. Ut qværere non sit alienum, utrum seriò unqvam praxin Medicam exercuisse videri is possit, qvi tam evidentes lapidum generosiorum vires non observârit. Sed persequitur institutum *Conringius: Jam verò*, inqvit, *omnia hæc (secus qvàm gemmæ) ignis aperti violentiâ aliqvantillum liqvoris, aqvæ & olei qvidem præbent, calce qvadam insipidâ superstite: at hæc nihil ad Medicum usum faciunt. Tantum abest, ut contineant aliqvid qvintæ essentiæ, aut eximiarum virtutum.* Si legitimâ patientiâ in hâc destillatione procedatur, etiam sine ignis aperti violentiâ aqva & oleum proliciuntur, eximiarum in medicando virium. Primus hoc, qvod sciam, illustri *Gobelinio* in Parlamento Parisiensi gravissimo non ita pridem Præsidi, *San-Simonio*, mihiqve ostendit *Regius Flander*, arreptâ, opinor, ex libr. *Ganssii de Corall.* occasione, qvi aqvam hac viâ ex redactis in pulverem coralliis destillando evocat, oleum

non

non nisi adjecto acido, & præmissâ digestione. *Regius* autem ex coralliis non in pulverem, sed in mediocria frustilla comminutis eduxit ex retortâ vitrea igne arenæ & aqvam & olei empyreuma tantillum redolentis aliqvid, sed plus olei crassioris retortæ naso adhærens; qvod diffracto vitro abluit spiritu vini generoso, & in tincturam ita deduxit, apprimè roborando cordi efficacem, cujus tum ut veræ Coralliorum tincturæ experimenta tum in corpore nostro, tum in aliorum varia & fructuosa notavimus. Hodie pharmacopœus Hafnienſis *Johannes Kirckhoff* eandem secutus methodum exqvisitiùs tincturam illam coralliorum præparat, & odore, colore, sapore gratam, & efficaciâ salutarem, cujus usum freqventissimè experior, ut in tuendis lassi cordis viribus, ita in hæmorrhagiâ uteri, renumqve præstantissimum, & propemodum omnibus aliis remediis, qvæ tentare mihi contigit, hac parte anteferendum, id qvod pluribus viventium adhuc exemplis ostendere in proclivi esset, si res opem poscceret. Tacebo hîc curiosissimam methodum Amplis. *Joelis Langelotti*, cujus beneficio, per simplex oleum stillatitium eò redigit sensim corallia, ut nobilem tincturam in spiritum vini deponant. Sed iterum ad *Conringium: Vulgò*, inqvit, *corpora hæc destillati aceti beneficio in pulverem salsum commutant, qvem salem appellitant, corporum integrorum sinceris virtutibus ipsi attributis. Verùm salsedo illa omnis ab aceto est, ceu rectè monuit Angelus Sala: neqve tutò illum pulverem exhiberi posse arguit acrimonia* &c. Et mox: *Eximios ejus usus haud ignoro: sed non tam coralliis, & margaritis, aliisq; videtur adscribendus, qvàm acetosi spiritûs reliqviis.* Et illa parum circumspectè. 1. enim corpora beneficio aceti non in pulverem salsum migrant sed acidum, nec salsedo ab aceto est, sed acor. Probè *Hippocrates* discriminat utrumqve l. de Vet. Med. Ἐν ἀνθρώπῳ, inqvit, καὶ πικρὸν, καὶ ἁλμυρὸν, καὶ γλυκὺ, καὶ ὀξὺ, καὶ στυφνὸν, καὶ παλαδαιόν. 2. saporem illum omnem non ab aceto proficisci ostendet facilè sal coralliorum etiam sine omni acido prolectus, de qvo mox experimentis certabitur. 3. pugnantia illa sunt: *esse eximios salis*

vulgati

vulgati Coralliorum usus, & tamen *non tutò exhiberi posse*, neqve enim ab externo ejus admotu ullum præsidium. 4. si usus salis illius corallini tam eximius aceti duntaxat reliqviis adscribendus est, cur aliæ aceti reliqviæ id neqveunt præstare? Interjectis paucis iterum *Conringius: Ego sanè non dubito si non anteferre, saltim æqviparare coralliorum illi Magisterio, eorundem syrupum ex succo berberum confectum, qvem princeps laudavit Langius.* Sed corallinus ille *Langii* syrupus affuso etiam vitrioli spiritu perficitur, qvemadmodum clarissimè docet *Gansius* in Histor. Corall. qvò cur deterior sit præparatio affuso aceti innoxii spiritu elaborata, neqveo hariolari. Qvæ ex *Helmontio* advocat *Conringius*, cùm nec iis ipse satis fidat, & experimentis confutentur Medentium, pluribus attingere supervacuum est.

V. Mox rursus in scenâ *Conringius: Non exagitabo nunc*, inqvit, *reliqvos Paracelsicorum circa istiusmodi corpora Chemico modo præparanda, inanes conatus. Qvibus nimirum tentant ex illis & calcinatis & integris olea, spiritus, essentias, qvintas essentias, tincturas mirabilium virtutum elicere.* Ergo priores exagitavit, sed ánne simul ipsum se exagitaverit, eruditorum esto judicium. Posse autem ex conchyliis, margaritis, coralliisqve elici spiritus, olea, essentiasqve ad medendum efficaces, nulli dubium nisi elegantiarum Chemicarum imperito. Enimvero, si qvis corpora illa cruda in pollinem exqvisitissimè tenuem, & ad dentium fidem nullo modo stridulum comminuerit, facilè parebunt sine calcinatione, sine violenti ignis tormento. Sola tum destillatio moderata ex retortâ vitreâ balnei etiam sed continuato usu, additâ cohobationum patientiâ, multa & egregia præstabit. Sola aqva communissimi usus, sed destillationibus aliqvot à fecibus suis perpurgata, non modò coralliis, sed & gemmis coloratis tum salia, tum tincturas verissimas extrahet, ut appareat cordato lectori, qvàm levi & ferè perfunctorio experimentorum apparatu *Conringius* ad evertendam sacræ Chemiæ majestatem accesserit, cùm hic à solâ aqvæ vulgatissimæ in eliciendis rerum virtutibus effica-

efficaciâ confutetur. Patet simul, qvàm parum satisfaciant illa ejusdem, qvæ seqvuntur: *Et verò nullâ pæne in re*, inqvit, *æqve sudare illos videas, atqve circa tincturam coralliorum. Qvam tamen veram & genuinam apud neminem sibi visam fatetur Crollius, longo usu edoctus: Sala negat reperiri, idemq; contra Laurembergium strenuè defendit noster Billichius.* Esto, vel non viderint, vel negaverint *Sala*, *Crollius*, *Billichius*, qvid illud naturæ latifundio derogat? Etiam post plura secula, ut illud *Senecæ* huc traham, non præcludetur occasio aliqvid adhuc adjiciendi. Neqve prudentius negat qvanqvam operosè *Conringius*, salia inesse coralliis, gemmisqve l. II. c. X. Utrumqve enim qvàm facile demonstratu sit, nunc clarissimè liqvebit. Affundatur libræ uni pollinis coralliorum crudorum tenuissimi [tenuissimi inqvam, nè incassum opereris] aqvæ communis stillatitiæ recentis, & puræ tantum, ut ad digitorum aliqvot latitudinem emineat, decoqvantur illa simul, ferveantqve in cucurbitâ, vel retortâ vitreâ biduo, vase interea sæpius, vel polline agitato, qvassatoq;. Pòst subsidente pulvere, frigidisqve jam omnibus, si exemptum vitrum oculo admoveatur ad solem, aqva, qvæ ante nullo tingebatur colore, levi jam flavedine imbuta notabitur, argumento lympham illam jam corpuscula vegetiora coralliorum gremio suo complecti. Qvo conspecto, percolata aqva in vitro alio patulo leni evaporatione exhalet, pæne ad siccitatem, in his reliqviis, & verus coralliorum sal adest gustu facillimè cognoscendus, & vera, rubensqve tinctura. Verùm qvia fæces qvædam unà adhæresount fundo, affundatur magmati huic tantillum iterum prioris stillatitiæ aqvæ & post lenem fotum trajiciatur liqvor per bibulam chartam, rursusqve lenissimo balnei calore exhalet liqvor eo usqve, ut tinctura legitimæ & consistentiæ, & coloris in reliqvo permaneat. Qvæ si in vase ampli oris, chartâ tantùm bibulâ occluso reponatur æstivo tempore in aliqvo musèi angulo à solis vehementiâ libero, evanescit sensim aqva, colligiturqve in fundo hinc inde sal crystallinus pulcherrimus figuræ prorsus cubicæ, sapore acri,

neqvaqvam tamen lixivo. Inter hos cubos translucidos, & nullo colore tinctos spissamentum interjacet rubicundissimum, succi ribium crassiusculi colore æmulum, & iterum affusâ aqvâ stillatitiâ, qvoties libet, in tincturam excitandum. Parva qvidem copia & salis, & tincturæ corallinæ hac viâ emergit, sufficiura tamen demonstrationi, cui destinata est. Nec dubium, plus elici posse, si trituræ sollicitiùs insistatur; qvando enim particulæ coralliorum ita attritione longâ divulsæ in verum alkohol seceſſere, hærent aliqvantulum in affusâ aqvâ stillatitiâ anteqvam fundum petant, & mutuâ illâ collisione exhaustæ nobiliores suos thesauros promptè satis in eandem deponunt. Qvæ autem de coralliis hîc disputata præcipuè sunt, trahi eodem modo possunt ad lapidum nobiliorum, gemmarumqve tincturas & salia elicienda; neqve enim vel crystalli nativæ ita exercitæ salem suum acrem mihi negavere, nec vel salem, vel tincturam granati: unde spes non vana est succeſſurum in rubinis, immò adamantibus idem, si qvis trituræ diuturnæ non impatiens eandem viam sedulus insistat; sed opulentiorum erit hæc ulteriùs experimentis firmare. Interea non repugnabo, plures esse & forsan promptiores modos, qvibus utiliter lapides, gemmæqve eviscerentur, de qvibus feliciores animæ disertiùs.

Cap. IV.

I. Olea ex pingvedine animalium expulsa penetrare altiùs, qvàm simplicia, nec ab eorum usu medico abstinendum. II. Oleum cranii humani epilepticis, convulsis, hysstericis, convenienter propinari. III. Salia volatilia ex animalibus peruta efficaciſſimi & laudatiſſimi usus esse in plurimis

mis morbis. IV. Salia volatilia convenire apoplecticis, comatosis, scorbuticis, aliis; salem cranii humani comitialibus. V. Spiritum sangvinis porcini non æqvare spiritum humani sangvinis, esse qvoqve in cæterorum animantium sangvine discrimen virtutum. VI. Falsum esse illud *Conringii:* veteres Hermeticos sangvine humano non nisi inter Magica usos esse.

A lapidibus transit *Conringius* ad animalia, eo præcipuè instituto, ut doceat Paracelsicos [ita invidioso nomine in Chemicos etiam alios obliqvus est,] pæne operam & sumptum omnem in hac materiâ perdidisse.

I. *Ex pingvedine*, inqvit, *& axungiis olea produxerunt vehementer calida atqve tenuia, adeoqve non referentia temperatam pingvedinis naturam: Adhoc sqvalore & nidore ita horrida, ut meliorum copia jubeat nos ab omni illorum usu abstinere, & impostorum sumptibus parcere.* Certum est olea ex pingvedine animalium vi ignis expulsa calida esse, sed hoc ipso descendunt altiùs in corpus humanum, qvàm superficiem lambens pingvedo naturalis, efficiuntqve, ut, qvod aliis pharmacis expediri commodè neqvit, his salubriter transigatur. Ita *Schröderus*, diligentissimus Scriptor, *in Pharmac.* oleum stillatitium axungiæ cervinæ *summum in podagrâ mitigativum* appellat. Stillatitium *pingvedinis humanæ oleum* in dolore artuum chronico, & paralysi experimur sæpe præsentissimæ virtutis, si pro re natâ aliis atqve aliis temperetur ungventis. Certè oleo isti sanitatem brachii sui acceptam refert *illustrissimus Comes Schackius*, summus apud nos rerum bellicarum præfectus, qvi cùm XV mensium tormentis divexatum illud in Galliâ circumferret, in stillatitiâ tandem hac pingvedine auxilium constans invenit, in mille ante remediis frustra qvæsitum, id

qvod freqventi & gratâ bene meriti olei recordatione identidem mihi referre ſolet. Neqve nidor ejus tantopere faſtidiendus, cùm & caſtoreum, & aza fœtida, & galbanum, qvotidianæ illæ delicatularum ægrarum delitiæ, nihilo ſvaviori ſe ſe odore commendent. Qvod ad ſumptum, mediocris ille eſt, ſi bene calculum ponas, & plebejis etiam non difficulter ferendus.

II. Sed inſtat: *Par omnino eſt ratio oleorum ex oſſibus & cornibus elicitorum. Oleum cranii humani eſt multum calidum, inqvit ipſe Sala, facultatis detergentis, empyreuma graviter redolens. Qvi id in epilepſiâ adhibent, vanâ potiùs opinione, (qvaſi nempe cranium poſſit mederi affectibus capitis, qvod verè eſt delirium) qvàm certâ, immotaq; ratione impelluntur. Par eſt de aliis qvoqve oſſibus judicium.* Non videtur *Conringius* adhuc experimentis certis deductus eſſe in cognitionem olei cranii humani. Practicis certè nonnullis, & mihi ita probatur, ut cui maximè. Neqve enim in pacandâ nervorum inqvietudine, & convulſivis motibus qvicqvam temerè illo potentius animadverto, expertus ſæpe vires ejus in epilepſiâ infantum, & adultorum ſupra pœoniam, hirundineamqve aqvam valentiſſimas. Spiritum cranii humani adhibent Medici freqventiùs, ſed ſi oleoſæ illi particulæ & nonnihil fœtentes adimantur, langveſcit virtus ejus. Neqve eſt, qvòd ob empyreuma ægris in iſto corporis perturbati tumultu propinandum vel oleum vel ſpiritum non ſvadeamus, qvi enim illi mente qvaſi moti & exanimatis ſimiles abhorrebuut non obſervatum tum nidorem? gaudebunt potiùs ſe ejus ope feliciter ſanitati reſtitutos, & odoris facilè oblivifcentur. Proliciuntur & ex humanis oſſibus, cornibusqve cervinis olea, graveolentia qvidem illa, ſed ad externos uſus viribus efficaciſſimis. Sola odoris gravitas caſtigatur facilè, ſi qvis velit, iteratis deſtillationibus, aut ſi à colcothare vitrioli, aut cornu cervi uſto iteratis vicibus evocentur, immò aliis atqve aliis modis; præitqve viam *Cl. Graba* in Deſcr. cervi, ex *Schellhammero*, *Mœbio*, *Refeldo*, qvemadmodum in malignis morbis, hydrope, calculo uſurpari commodè poſſint interiùs;

ex-

ex *Cl. Rolfincio* etiam qvemadmodum in frigidis artuum molestiis, frigidisqve cerebri affectibus externè. Accedit & illud *Grabæi*: *Qvam maximè verò*, inqvit, *in colicâ* [oleum Cornu Cervi] *ceu insigne carminativum umbilici regioni affrictum in intestinis dolores excitantes flatus dispellit, uti qvoqve exsecando verme saltem illitum mira præstat.* Obtendit *Conringius* vulgatum illud suum: *meliorum copia jubet nos ab omni illorum usu abstinere.* Profectò in malis incitatissimis sæpe omnia illa alia delicatiora hebescunt, ut necesse sit huc tanqvam ad sacram anchoram confugere. Notavi id freqventer in convulsis, notavi in hystericis illustribus, plebejisqve; ubi cùm alia pharmaca etiam usu longo probatissima nihil opis sponderent, nihil afferrent, ex oleo, & spiritu cranii humani, cum sale suo remisto, propinatoqve ex vino præsentissimum sensi auxilium, neqve, qvod sciam, hactenus me unqvam, divinâ gratiâ accedente, fefellit. Rationem, si qvis exqvirat, hanc ferè puto: in affectibus prænarratis nervosæ partes, membranæqve ab humore acri, &, si bene rem assequor, acidiusculo punguntur, sollicitanturqve ad contractionem; ingesto autem cum spiritu oleo hoc tenuiori, & ad locum affectum ope salium comitantium propagato, partes antè hinc inde compunctæ, vellicatæqve ita oblinuntur, mitiganturqve, ut acidi peccantis aculeos minùs sentiant. Observatum certè volatilia salia, qvò candidiora sunt, & ab oleis liberiora [cùm ita adhuc in sangvine viscido incidendo, colorandoqve efficaciam suam laudabiliter ostendant] hoc minus præstare in similibus affectibus; eò majori autem solatio propinari, qvò sunt oleosis suis particulis, ut ut graveolentibus, comitatiora. Neqve forsan licebit commodiùs explicare notissimas castorei virtutes, qvas cùm nemo hactenus ob fœtorem comitem rejecerit, iniqvum erit, si oleum cranii humani, cervinive cornu ob commune crimen extra pomœria Medentium proscribatur. Qvin ipse *Conringius* vi adactus veritatis l. II. c. VIII. ita scribit: *Verùm qvis prudens abjiciat, qvæ ori displicent, si tutò procurent sanitatem?*

III. Neqve feliciùs se expedit *Conringius* in historiâ salium, qvæ ex animalibus proliciuntur, de qvibus ita: *Qvæ*, inqvit, *ex animalium partibus conficiuntur salia, sive volatilia, sive fixa, vegetabilium salibus qvùm nihilo sint meliora, ecqvid necessum fuerit, tanto fœtore, & illætabili operâ, hæc ex animalibus petere?* Eqvidem cùm 1. Conringius in Apolog. profiteatur se salia [plantarum] à XL annis laudâsse ægrotis, & mille experimentis cognita sibi absinthii, centaurii, carduibenedicti, aliarumqve stirpium salia, qvæ omnia tamen fœtore sqvalere illætabili diffiteri neqvit, nihil est, cur illætabilem odorem in salibus animalium fastidiat. 2. Alibi immemor sui *Conringius*, & abreptus vi veritatis, longè præclariùs sentit de sale animalium. Vox ejus l. II. c. V. *Felicem*, inqvit, *salis Armoniaci aliqvot granorum usum freqventissimè expertus sum in febribus pituitosis, aliisq; putridis: nec ignarus huic deberi laudem falsò à nonnullis prædicati salis viperini.* Nobilissimas autem salis Armoniaci vires ab urinâ animalium proficisci, qvis nisi rerum ignarus inficiari sustinebit? 3. Salia animalium volatilia, ut Cornu Cervi, cranii humani, eboris, monocerotis Grönlandici, [ut nunc de salibus cornuum aliorum, viperarum, aliarumqve bestiarum nihil commemorem] hoc ipso meliora sunt salibus plantarum, qvòd potentiùs incidant viscida, penetrentqve in corpus humanum tenuitate partium suarum altiùs omnino, qvàm fixa vegetabilium salia, qvibus obtusiora acumina, & ad motum ignaviora; ideoqve & sangvinem subtiliorem, & vivaciorem reddunt, adqve circulum suum absolvendum instigant acriùs, de qvo dubitare nemo potest, nisi qvi vim eorundem in corpore humano expertus non est. Hac ipsâ particularum tenuitate sopitos in deliqviis animi sensus excitant vel naribus admota, qvod admotis vulgatis plantarum salibus fieri nescit: hac ipsâ sangvinem humanum recens è venâ effusum, calentemq; admistione suâ, rubore pulcherrimo & durabili perfundunt, cùm accedentibus salibus plantarum fixis, dilutiori nonnihil colore, & sedimento sangvis idem crassiusculo infuscetur.

IV. Sa-

IV. Salia volatilia ex partibus animalium prolecta Medici hodie cum insigni sanitatis humanæ emolumento passim usurpant in epilepticis, apoplecticis, comatosis, scorbuticis, hypochondriacis, calculosis, aliis, de qvo videantur Practici hodierni, & in iis illustre qvondam Lugduno-Batavæ Academiæ decus *Franc. Sylvius*, mihi ob svavissimam biennii conversationem sincerè dilectus, qvi præclaram in medendo laudem legitimo salium horum in spiritus attenuatorum usu consecutus, in praxi suâ vix iis qvicqvam freqventiùs commendat. Non hic advocare decretum est, qvæ sive ex *Cl. Grabæ* Elaphogr. de sale ex membris cervinis polychresto, sive ex aliis Scriptoribus in hanc sententiam afferri poterant, id optabo potiùs, ut *Conringius* ex vertigine illâ convalescat, qvâ in illo Hermeticæ Medicinæ laborans scripto salia ex animalibus prolecta jam damnat ob fœtorem, jam salem Armoniacum ob remistam animalium urinam, levi operâ æqvè fœtentem ad febres exqvisitè commendat. Nihil mihi certius est, qvàm ipsum alia omnia ab optimo Præceptore *Sennerto* olim didicisse, ut qvi hinc inde in scriptis suis salia ejusmodi collaudat, & l. de Epilepsiâ sapienter tradit: *Salem cranii humani volatilem ita adversari epilepsiæ, ut in omnibus caulis locum habeat.* Gratiorem se se, attentioremqve monitorum ostendit *Vir Amplissimus D. D. Simon Paulli*, qvi haustum olim ab ore Præceptoris *Sennerti* antepilepticum hodieqve magnâ laude usurpat, & illum è sp. cranii humani sale suo prægnantis magnam partem confectum, qvo ut variis aliis jam totis XL annis prosperè succurrit, ita desperatam propemodum nobilis Sveci epilepsiam jam ante plusculos annos percuravit, eâ felicitate, ut ægro inde diuturna & optata sanitas, Medico CCCC unciales nummi argentei redierint. Qvod de fœtore ejus prætexitur, tanti non est, neqve enim is intolerabilis, & mitigatur, si qvis velit, viis diversis, qvod & servitiis hodie pharmacopœorum innotescit. His adjiciantur, si vacat, qvæ de salibus volatilibus disseruit in *Act. Medic. Hafniens.* De salibus animalium verè fixis, ut re nondum planè à Medicis attactâ silere

hic

hic libet, de qvibus alibi forsan disertiùs. Interea salem viperarum fixum laudavit *Galenus*, ut palam est, sed aliis remistum.

V. Reliqvum est, ut paucis moneatur de scito illo Conringiano: *Unicus sangvinis spiritus, Arnoldi Villanovani inventum, aliqvod pretium facit impensæ operæ. Superstitiosè tamen ille qværitur ex homine: qvùm cervinum, porcinum, immò vitulinum iisdem esse viribus experientia multiplex & alios, & me docuerit.* Laudo hic multiplicem Conringii experientiam, sed laudabo disertiùs, ubi cognovero ipsum spiritu illo cruoris suilli epilepsiam debellâsse; nam eas vires sangvinis humani spiritui attribuunt clarissimi Scriptores, inqve iis diligentissimus *Becherus* in Microcosmo, *Poppius*, *Faber*, alii. Qvòd si autem spiritus humani sangvinis nihil potest supra vires spiritûs sangvinis bestiarum, offerat alius, cui volupe est, epileptico spiritum suilli, aut viperini sangvinis, aut aspidis, aut basilisci, aut rubetæ, ego intra humanitatis terminos me continens, propinabo eum, qvem ex cruore hominis sani prolectat sollicita Chemici industria, & de felicitate eventuum certabimus. Interea cùm ex *Sennerto*, *Bartoleto*, aliisqve constet in sangvine asinino vires esse maniæ violentæ cum fructu opponendas; cùm constet ex *VVeinrichio* inesse ælurorum sangvini vires transformandi mores humanos in felinos, velim ex illâ diversitate sangvinis bestiarum & hominum de diversitate qvoqve spirituum inde pullulantium sincerè judicari. Qvam naturæ sangvineæ varietatem priscis jam olim cognitam fuisse vel solus confecerit Plinius l. XXVIII. XXIX. XXX. cujus illa sunt: *strumis exulceratis admoveri sangvinem mustelæ; vespertilionum sangvinem vim habere psilothri; hircino sangvine sanari nyctalopas, canino sangvine contra toxica nihil putari præstantius; bubulum sangvinem efficacem rejicientibus sangvinem; noxium taurinum; elephantinum sistere rhevmatismos; crocodilinum claritatem oculis donare.* Hodie sangvis anatis, anseris, & testudinis inter alexipharmaca numeratur; sangvis rupicapræ laudatur ad vertiginem, talpæ ad cæcitium, taxi ad lepram, angvillæ ad colicam, columbæ ad dolorem oculo-

oculorum, hirundinis & perdicis ad suffusiones, leporis & vulpis ad calculum, felis ad herpetem. Hircino sangvine ad plevritim nihil adeo hodie freqventius, viamqve jam olim præiit apud Galenum *Xenocrates*. Ex tot discrepantibus & sæpe oppositis sibi naturis unius duntaxat virtutis exsurgere spiritus incredibile est.

VI. Sed confidentior iterum *Conringius*: *Veteres Hermetici*, inqvit, *sangvine humano non nisi inter Magica usi sunt, cùm ad alia, tum ad elephantiasis curationem spiritu illo ignorato.* Utrum spiritus ille humani sangvinis Ægyptiis olim ignoratus fuerit, novit *Conringius* juxta cum ignarissimis, ob illam librorum Ægyptiorum penuriam; veteres autem Hermeticos sangvine humano non nisi inter magica usos esse falsum est; enimvero usi eo sunt etiam ad anginam, & comitiales morbos sine ullo crimine. Plinius l. XXVIII. c. IV. *Sangvine ipsius hominis*, inqvit, *ex qvacunqve parte emisso efficacissimè anginam illini tradunt Orpheus & Archelaus: item ora comitiali morbo lapsorum.* Qvid hic magicum? & tamen *Orpheus* Hermeticus, & Ægypti diuturnus incola ita scripsit. Sed qvi evincet *Conringius* Hermeticos unqvam ad magica usurpasse? id verò conatur l. I. c. XI. *Omnino certè*, inqvit, *Magica fuit curatio elephantiasis per sangvinem humanum.* Qva de re Plinius l. XVI. c. I. *Ægypti peculiare hoc malum, & cum in Reges incidisset, populis funebre; qvippe in balneis folia temperabantur humano sangvine ad medicinam eam.* Transibo *Conringium* citare librum Plinii XVI. qvi est XXVI, & *folia* scribere, ubi legendum monent castigati codices *folia*, certè nihil ego in hoc loco magicum deprehendo. Insedisse Reges elephantiacos balneo ex sangvine humano & foliis medentibus parato crudele fortassis videri potest, magicum non magis potest, qvàm magicum erat illud Israelitarum, assidere olim in Ægypto vestibulis sangvine agni Paschalis respersis. Notum superiùs ex Orpheo, valere humanum sangvinem ad anginas, ad comitiales, qvidni licuit Regibus experiri, anne etiam ad lepram? præsertim cùm hodieq; aliis balneis utantur freqventissimè Ægyp-

tii magno sanitatis emolumento, ut apud *Prosp. Alpin.* de Med. Ægypt. videre est. Tentantur omnia in deplorato malo. Quid si casus eò impegit primos Ægyptios, qvemadmodum viperæ adversus elephantiasin vires, casu innotuere, docente *Galeno*? Fuit & Parisiis ante hos octo annos, qvi balneis ex calente bubulo sangvine ægros recreavit, auctoritate publicâ munitus. Ergóne magus ille? Scilicet nodos in scirpo qværit *Conringius*. Abusos esse qvandoqve humano sangvine idololatras nemini dubium, abusos autem esse Ægyptios, ex Pliniano illo loco neqvaqvam conficitur.

Cap. V.

I. Non tradere Paracelsicos, integras plantarum virtutes in aqvis stillatitiis residere II. Purgantium aliqvas vires catharticas cum aqvis stillatitiis transire. III. Item adstringentium. IV. Plus adhuc attenuantium. V. Conringium parum circumspectè oblitum esse destillationum per descensum. VI. Salem plantarum ante Paracelsum jam olim luculentè cognitum fuisse. VII. A Paracelso tamen usum ejus glorioſè amplificatum. VIII. Salia lixiva rectè tractata non esse prope iisdem viribus; id ex aliis passim, sed & ex resuscitatione plantarum è cineribus ostendi. IX. Nulla esse hactenus usurpata salia plantarum lixiva, qvæ urinam non redoleant, & sint insvavia. X. Spiritus plantis inesse ante fermentationem. XI. In spiritibus vegetabilium non esse idem tempera-

peramentum. XII. Olea plantarum graveolentia non esse fastidienda. XIII. Dari olea refrigerantia. XIV. Extracta pellucida esse egregia, turbida fæces vehere. XV. Purgantia facilè in extracta cogi. XVI. Paracelsicos non collocare integras plantarum vires in Tincturis. XVII. Stirpium qvarundam vires ex signaturâ colligi, & jam olim collectas fuisse.

SEd ut ad plantas tandem lustrandas demigremus, iterum confidentiùs, qvàm par est, de stillatitiis illarum aqvis pronunciat *Conringius* l. II. c. VII. *Paracelsici*, inqvit, *laudaverunt qvoqve vulgo eas, tanqvam in iis virtus plantarum sincera & integra contineatur: attamen infra istam qvidem laudem reapse aqvas illas esse usqve adeo certum, notumq;, ut prudentissimi qviqve Paracelsicæ scholæ idem confiteantur. Et verò plerisq; saltem aqvis & saporem & odorem deesse suarum stirpium, & proinde purgantium, adstringentium, attenuantium vires non transire in aqvas sensu & experientiâ docemur. Solæ illæ stirpes, qvarum virtus & odor, saporq; in mediocriter tenui residet, & volatili substantiâ, nonnihil deponunt in aqvas suas. Nonnihil inqvam. Multum enim abest ut isthoc modo vis melior & fortior omnis qveat prolici; ceu manifestò probant sensibus nostris stirpes ita macerata.* Et mox: *In plerarumqve igitur stirpium aqvis parandis operam ludere vulgus Paracelsicorum, non est qvod qvis dubitet.* In qvibus paucis variè delinqvitur.

I. Apertè decipitur *Conringius*, cùm tradit Paracelsicos integras plantarum virtutes in aqvis stillatitiis collocâsse. Aut demonstret *Paracelsicos*, qvi ita censuerint, aut porrò illâ objurgandi liberalitate abstineat. Ipse eqvidem *Paracelsus* laudavit hinc inde stillatitias *chelidonii, cyclaminis, flor. fabarum, lavendulæ, pulegii, raphani majoris, rutæ* aqvas, sed tam absurdas iis admensum

esse laudes nusqvam observamus. Neqve in *Crollio*, *Hartmanno*, *Severino*, *Dornæo*, *Bodenstcinio*, cæterisqve de genere hoc simile qvicqvam offendas. Si tamen qvenqvam, qvod creditu difficile, istæ agitaverint intemperiæ, hoc ipso prodiderit se non esse *Paracelsicum*, sed fatuum & inexpertum.

II. Purgantium vires non transire cum aqvis stillatitiis tralatitium est, vulgoqve occentatum, de qvo tamen ita securè in universum pronunciare, ante experimenta plura, nimium est. Hinc *Clariss. Pechlinus* Exercit. de Purgant. magno experimentorum recentium apparatu se communiit, anteqvam sententiæ huic auderet in publico accedere. Sed nè sic qvidem omnis scrupulus exemptus est, qvòd ad subtiliores destillandi vias non descenderit. Certè pertendit vehementer *Qvercetanus* in Pharm. Dogm. Restit. tum stillatitiam seminum sambuci, & ebuli aqvam certis legibus præparatam, tum aliam ex dictis seminibus & aloe, scammonioqve Balnei evocatam calore insigni purgandi efficaciâ pollere. Neqve verò experientiss. *Zwelferus* in Pharm. Reg. de stillatitiâ hellebori aqvâ diversum judicare sustinet. *Cum enim aqva*, inqvit, *ab helleboro nigro destillatione abstracta acredinem linguæ veluti mordacem impertiat, signo est manifesto, in hac acredine spiritum salinum hellebori, ita virium bonam partem subjectam esse & latere.* *Libavius* L. II. Alchem. tract. II. *Qvædam ex his aqvis*, inqvit, *purgantem vim retinent, ut ex rosis pallidis prior exiens: item qvæ ex floribus persici, floribus pruni, herbâ & floribus ebuli, & floribus sambuci, radice esulæ, & similibus.* Qvod sanè non est de nihilo, inprimis si prima omnino foliorum & florum germina capiantur, in qvibus sæpe vis cathartica residet, licet aliqvando in provectioribus nulla, qvod vel primi sambuci asparagi ostenderint. Rem extra omne dubium constituit *Aqva purgans Zwelferi* Pharm. Reg. p. 206. qvippe illa ex purgantibus destillando leniter evocata alvum laxat, & humores peccantes promiscuè, svaviterqve educit. Eqvidem surgens vulgò è catharticis inutile phlegma in purgando hebescere nemini eruditorum hodie ignotum, cogitanti vim pur-

purgantem in resinosâ potissimùm & compactâ substantiâ residere, neqve tamen propterea temerè inficiandum destillationibus ingeniosè aptatis aliqvid saltem facultatis purgatricis evocari. Ego superiori mense Octobri ex hellebori nigri substantiâ totâ per se aqvam copiosam elicui calore Balnei continuato, qvam cùm ad cochlearia qvatuor sorbendam adolescenti offerrem, nihil qvidem præstitit, ad cochlearia octo ingentia ipsi tormina ventris excitavit, ut erat oppidò acris, ulteriùs ascendere non ausus sum metuens convulsionum, alioqvin oppidò verisimile est purgationes secuturas fuisse. Cùm autem cani duodecim obtulissem cohlearia, intra horas qvatuor qvater copiosè vomuit, bis copiosè per alvum excrevit.

III. Adstringentium vires nullas transire in aqvas stillatitias asserere minùs securum est; qvanqvam enim non omnes transeant, [qvis enim id postularet?] nihil tamen certius ostendit indies praxis Medica, qvàm delicatiores illas, & subtilioris texturæ transcendere. Hinc aqvam acaciæ, bursæ pastoritiæ, centinodii, consolidæ majoris, millefolii, plantaginis, qvinqvefolii, & præcipuè tormentillæ, atqve foliorum qvercûs experimenta qvotidiana nonnihil adstringere docent, & in dysenteriis, diarrhœis, hypercatharsi cum fructu adhiberi. Sed hic adstringentium ascensus, in metallicis corporibus evidentior est, neqve satis scio, an in rerum naturâ aliqvid potentiùs adstringat, qvàm Martis crocus inter nimbos armoniaci salis promptissimè in alembicum assurgens, & sponte postea in aqvam deliqvescens.

IV. Non transire in aqvas vires attenuantium plantarum adhuc à vero alienius; qvis rerum gnarus negabit anisi, calaminthæ, chamæpityos, chamædryos, cichorii, cinnamomi, chærefolii, cuscutæ, eupatorii, fæniculi, fumariæ, marrubii, pulegii aqvas attenuare? utqve id negare qvisqvam instituerit, qvis tergiversationi locus, si aqvam becabungæ, cochleariæ, nasturtiorum, sisymbriorum, raphanorumqve intueamur, qvæ ferè qvod agunt totum, attenuando humores lentos, & tenaces exsequun-

tur. Apparet eo deceptum *Conringium*, qvòd furnis peritorum Chemicorum rarus adstiterit, rariùs ipse manum admoverit operi, cæteroqvin haud dubiè omnia alia pronunciâsset. Id ergo custodiendum, non ideo infamandas stillatitias plantarum aqvas, qvòd perperam sæpe ab imperitis, & lucro sordido inhiantibus parentur, qvòd lymphâ vulgari affusâ in vappam degenerent; addendum destillationi ingenium; aliæ plantæ nullam deposcunt, aliæ mediocrem, aliæ diuturnam macerationem; aliis aqvis convenientior alembicus, aliis retorta, aliis cinerum calor & arenæ, aliis balnei, & roris, qvo discrimine observato nobilissimæ evadunt aqvæ stillatitiæ, etiam qvæ in pharmacopoliis ferè insipidæ notantur. Ita ego qvandoqve animi gratiâ, aqvam carduibenedicti, majoranæ, & similes paro, qvæ cùm in officinis non rarò vix perceptibili gustu sensum feriant, apud me, etiam ad primam lingvæ fidem efficacissimæ deprehenduntur, qvòd nihil communis lymphæ adjiciam, qvòd ex retortâ vitreâ per balneum roris longæ & patientis operæ liqvorem evocem, qvòd, si res poposcat, cohobando insistam. Itaqve si qvi minùs providè destillationum arcana versant, non vertendum id in artis ludibrium, sed in artificum vel inscitiam, vel ignaviam.

V. Et hæc qvidem de destillatione per ascensum, qvam vocant. In eo autem hic etiam à Conringio peccatum est, qvòd non attenderit plantarum vires etiam in aqvas transire posse beneficio destillationis per descensum. Fingamus, nullam aqvam stillatitiam ascendentem virium purgantium, adstringentiúmve, vel tantillum secum attollere, non hoc efficiet, qvò minùs facultas & purgans & adstringens transeat in aqvas per descensum exstillantes. Qvam & efficacissimam qvidem illam destillandi methodum qvod vel hìc ignoraverit, vel præterierit *Conringius*, qvi in aqvas stillatitias universim paratus est animadvertere, minùs deliqvit excusatè, præcipuè cùm illam ex *Gebri* summ. perf. l. 1. ex *Sennert.* sui Instit. l. v. ex Chemicorum scriptis, immò ex vulgatâ rosarum per mulierc ularum pelves destillatione passim licuisset

isset addiscere, atqve adeo circumspectâ distinctione utriqve viæ suos assignare terminos. Hæc per descensum destillatio tenacioribus & adstrictioribus plantarum convenit particulis, qvæ cùm ægræ ascendant, descendunt promptissimè. Ita purgantia, & adstringentia vires suas in aqvas deponunt liberaliùs, qvod experientibus manifestum.

VI. In tradendo sale plantarum lixivo parciores sunt Antiqvi, non tamen omnino muti. Kalli herba [propter salem, ut conjicimus, Chemicis artificiis idoneum, qvem largitur, hodie mutuatâ ab Arabibus voce, alchali dictum] prophetis olim Ægyptiis βασίλειον, & Ἑρμῆ βάσις, & ἡλίου σφραγίς, Pythagoræ ἱερὸν κλάδος appellari meruit, si credimus *Neophyto* Scriptori Græco, apud *Salmasium in Plinian. Exercitat.* Aristoteles l. II. Meteor. c. III. *Huic simile qviddam fit in Umbriâ: est enim ibi locus harundine & juncis freqvens, qvos exurunt, cineremq; in aqvâ decoqvunt, donec parum superst humoris, qvi ubi refrixit, in salem abit copiosum.* Credibile, ad condimenta ciborum. Eadem Umbrorum solertia *Theophrasto Eresio* qvoqve observata est, si verus *Plinius* l. XXXI. c. VII. *Varro* l. I. de Re Rust. c. VII. tradit accolas qvosdam Rheni suo ævo, nec maritimum habuisse salem, nec fossitium, sed usos pro eo carbonibus salsis ex lignis qvibusdam combustis. *Plinius* l. XXXII. c. VII. *Qvercus per se cinere sincero vim salis reddit.* Græci jam olim, ut ex antiqvo in *Nub. Aristophan. Scholiaste* constat, ad vitra conficienda salem chali adhibebant, qvam hodieqve retinent consvetudinem Muranenses, & qvicunqve alii subtiliùs in hoc artificio versantur. Chinenses montani regionis Chinyven, cùm sale careant, loco ejus utuntur cinere herbæ Kivæ, ut est apud *Martinium* in *Hist. Chinensi.* In Regione Tuniâ novæ Granatæ salem elici è cinere palmarum refert *Boterus.* Qvin & apud nos passim Oceani accolæ, ex algâ combustâ lixivium parant, ex lixivio decocto salem, qvo sine dispendio sanitatis hactenus in ciborum condimentis vescuntur. Feroënses nostri sale lixivo ex algâ marinâ ustione prolecto condiunt in epulas hybernas

bernas balænarum carnem, ut in Feroëa Reserat. docet *Lucas Debesius.* Sed intueamur hîc euntem in diversa *Conringium Apolog. contr. Borrichium*: *Umbros olim*, inqvit, *talibus* [i. e. salibus lixivis] *usos in ciborum condimentum qui probaverit? Rheni accolis carbones salsos, non sal fuisse in usu diserte scribit Varro.* Cùm autem scribat ibi Varro, Rheni qvosdam accolas *pro sale maritimo & fossitio uti carbonibus salsis, ex qvibusdam lignis combustis*, nemo tam hebes est, qvi non intelligat usos eos esse sale lixivo, sed impuriori, & cum carbonibus misto. Qvod Umbros spectat, nollem videre *Conringium* ita pugnantem secum, suiqve immemorem; recognoscat illa sua l. de Hermet. Med. II. c. VII. *Sal plantarum*, inqvit, *magis proprium est Paracelsicæ inventum Scholæ. Nec enim qviqvam ante illos, praeter paucos Chemicos in usum Medicum salia isthæc laudaverunt. Etsi in qvotidianum cibi condimentum Umbros ex harundinis & junci cineribus sal copiosum confecisse, jam tum Aristoteli fuerit memoratum* l. II. Meteor. c. III. Eadem verba in indice repetit. Sed condonabimus ista oblivioso seni, & intuebimur propiùs, qvàm falsa sint illa: *Nec qviqvam ante illos, praeter paucos Chemicos, in usum Medicum salia isthæc laudaverunt.* Contrariam se hîc Conringio ostendit melior Antiqvitas. *Hippocrates* l. II. de Morb. ad medendum capiti ulceribus fœdato commendat salem tartari, seu, qvod idem est, fæces vini combustas, in aqvâ dissolutas, & cum aliis paucis in smegmatis speciem reformatas. Ἢν ὴ ἡ κεφαλὴ ἕλκωται, τεύχε καταπλάσιον οἰνηρὲὺ, καὶ σμῆγμα πιῶν σύμμισγε τῆς βαλάνου τὸ ἔκλεμμα λεῖον τρίβων, λίτρου συμμίσγων ἴσον δοτὸ σμήχας τάπασι, λάσθω πολλῷ θερμῷ. *Dioscorides* l. V. c. XXXV. *Sarmentorum cinis vim causticam habet. Cum axungiâ, oleóve illitus nervorum contusionibus, articulorum contorsionibus, ac nervorum collectionibus, nodisq; prodest.* Et postea: *Fit ex illo cinere lixivium ad casus, & ad fungorum venena. Plinius* l. XXXVI. c. XXVII. ex M. Varrone ita scribit: *Lix cinis est foci: inde enim cinis lixivus potus medetur: ut licet videre gladiatores, cùm deluserint, hac juvari potione. Qvin & carbunculum, genus morbi, qvo duos Consulares*

nuper

nuper absumptos indicavimus, qverneus carbo tritus cum melle sanat: adeo in rebus damnatis qvoqve, ac jam nullis, sunt aliqva remedia, ut in carbone, fœce, & cinere. *Corn. Celsus* l. v. c. viii. fœcem vini combustam inter adurentia medicamenta recensuit. Succedit testimonium *Galeni* l. ix. de simpl. medic. facult. c. xli. *Abluto cinere*, inqvit, *fit lixivium. cinerem autem* [τέφραν] *ustorum corporum reliqvias Græci vocant, sive naturæ sint lapideæ, sive arborum, aut animalium particulæ. Fit ergo lixivium, secundum ejus, qvod eluitur, naturam: ejus qvidem qvod empyreuma, seu acerrimam habet naturam igneam, lixivium qvoqve acerrimum est; ejus qvod tale non est, etiam moderatius. Qvare & septicis vocatis facultatibus commiscetur, utpote possidens calorem causticum, sed propter substantiæ tenuitatem citra dolorem adurens.* Galenus ipse: καυστικὴν ἔχουσι θερμότητα, τῷ λεπτομερῆ τῆς οὐσίας ἀνωδύνως καίουσα. *Idem* l. vii. de Medic. simpl. facult. c. xli. *Lixivium omnium maximè abstersorium, & exsiccatorium illud est, qvod ex cinere siculneo, & tithymallorum paratur; fereq; septicæ seu putrefacientis est facultatis.* Sed illustrissimus *Galeni* locus exstat l. de simpl. med. facult. viii. c. cxxxiii. *Cinis*, inqvit, *combustorum lignorum, aut aliarum materierum reliqviæ sic nuncupantur, compositæ ex contrariis tum qvalitatibus, tum substantiis. Habet enim in se cinis partim terrenum qviddam, partim qviddam fuliginosum, seu* ἀτμωλῶδες, *seu qvomodocunq; vocare libet; atqve hæ sanè partes* [sc. lixivæ salsæ] *sunt tenues, & maceratis aqvâ cineribus unà asportantur, atqve secedunt. Qvod verò reliqvum est, terreum illud est, & infirmum, post jam depositam calidam illam cinerum facultatem. Sed non omnis cinis eandem crasin habet præcisè, verùm pro combustæ materiæ diversitate variatur. At nescio qvo pacto Dioscorides omnes cineres adstringendi vim habere prodidit, cùm siculneus cinis omnis ejusmodi facultatis expers sit, utpote cùm & ipsa arbor nullâ sui parte acerbè adstringentem qvalitatem possideat, qvemadmodum aliàs qvercus, & ilex, & arbutus, & fagus, & lentiscus, & hedera, & hoc genus aliæ, verùm tota plena est succo valido, eoq; acri & calido. Ex acerbis eqvidem lignis factus cinis non parum adstringit* [ἐκ μὲν δὴ τῶν στυφνῶν ξύλων

ξύλων ἡ τέφρα συμβλητὸν οὐκ ὀλίγον ἔχει] *meminiq́ me aliqvando, cùm aliud ad manum non esset medicamentum, hoc ipso cinere hæmorrhagiam suppressisse. Verùm nemo unqvam ad tale uti siculneo cinere audeat, cùm hic atrimoniæ multum, adurentisq́ obtineat facultatis, mistæ absterſioni*, &c: Neqve aliter ferè intelligenda, qvæ de viribus medicis variorum cinerum è plantis elicitorum scripsere antiqvi, qvàm de sale eorundem lixivo, unde præcipuè vis illa medica pependit. Hinc cùm cinis sarmentorum, vitium, vinaceorum condylomatis, & sedis vitiis mederi traditur cum aceto; item cùm lienis tumori, cùm igni sacro opitulari scribitur; cùm fistulas purgare, nervorum dolores ex frigore ortos & contractiones tollere, qvæ omnia tradit *Plinius* l. xxiii proœmio, intelligitur potissimùm vis illa salis lixivi in cinere delitescens, qvo remoto reliqvus ille & pæne emortuus cinis hebesceret. Neqve duntaxat laudavere antiqvi τὸ ἀφροδῶδες cinerum, ad externa corporum humanorum vitia, sed & interioribus qvibusdam ita obviam iere. Plinius l. xxiii proœmio: *Dant & bibendum*, inqvit, *cinerem sarmentorum ad lienis vitia aceto conspersum.* Idem l. xxiii. c. ii. *Crematio fæci vini multum virium adjicit: utilissima est ad compescendas lichenas, furfuresq́ cum fico decocta: Sed & lepris & hulceribus manantibus imponitur. Fungorum naturæ contraria est pota, sed magis cruda. Oculorum medicamentis cocta & lota miscetur. Medetur illita & testibus, & genitalibus; in vino autem adversus strangurias bibitur. Cùm exspiraverit qvoqve, lavandis corporibus & vestibus utilis.* Idem l. xxiii. c. iii. *Ipsius oleæ cinis cum axungia tumores sanat: extrahitq́ fistulis vitia, & ipsas sanat.* Idem. l. xxiii. c. v. *Cinis palmæ ad tormina potus in vino albo in vulvarum vitiis efficacissimus. Dioscorides* reliqvis disertiùs l. i. c. clxxxvi. *Fit & è crematorum tam sylvestrium, qvàm sativæ ficus cauliculorum cinere lixivium. Sed cinerem plurimum, diuq́ macerari oportet. Utile porro est ad medicamenta caustica, & partibus prodest gangrenâ tentatis. Nam expurgat & consumit qvæ excrescunt. Usus verò hic est, ut eo imbuta subinde spongia superponatur. Interdum & infunditur, qvemadmodum*

dum dysentericis, & in vetustis fluxionibus, nec non & sinubus cuniculatim depascentibus, iisq; magnis. Etenim purgat, glutinat, carne replet, & oras committit, atqve ac emplastra, qvæ cruentis vulneribus imponuntur. Propinatur & ad sangvinem in grumos concretum: itemq; contra præcipitationes, rupta, atqve convulsa cum aqvæ cyatho recens percolatum, admisto olei exiguo. Cæliacis, ac dysentericis per se cyathi mensurâ datum auxiliatur. Nervorum vitiis & convulsis ex oleo convenienter illinitur: qvippe qvòd sudores moveat. Bibitur & adversus gypsi potum, phalangiorumq; morsus. Eosdem porrò effectus exhibent lixivia reliqva, præsertim qvernum: omnia verò adstringendi vi pollent. Sed non vacat nunc omnes antiqvorum cineres medicos convasare; id certum, in plerisqve τὸ ἀιθαλῶδες, i. e. salem lixivum prævaluisse. Hinc cùm, ut memoravimus, tradit *Plinius, cinerem lixivum potum mederi;* cùm *Dioscorides, lixivium sarmentorum valere ad fungorum venena; lixivium siculneum adversus gypsi potum, & dysentericorum mala;* cùm Galenus, *lixivium tithymallorum esse fere septicæ facultatis;* cùm iterum Plinius *bibendum dat cinerem sarmentorum ad lienis vitia,* ubiqve τὸ ἀιθαλῶδες, relictâ in fundo terreâ fæce, utramqve facit paginam. Qvid qvòd sales theriaci apud *Galenum* magnam virium suarum partem debuerint salibus plantarum unâ combustarum? urebatur enim simul cum viperis & gentiana Cretica, & aristolochia rotunda, & centaurium tenue, & cardamomi semen, & marrubium, & scordium, & apium, & chamædrys, & ruta, & scylla, qvarum utiqve salia in cineribus latitantia vires nobilis alioqvin medicaminis intenderunt, de qvo pharmaco videndus *Galenus* l. de theriac. ad Pisonem, & l. XIV. Meth. Med. Ex qvibus omnibus non potest non liqvere, antiqvos & cognovisse plantarum salia, seu τὸ ἀιθαλῶδες cinerum, & ad usum Medicum sæpe accommodâsse. Esto, non viderint omnes salia ista in formâ solidâ, satis est in liqvidâ explorâsse, præsertim cùm hodieqve in formâ solidâ Medentibus ferè nisi ad cauteria non usurpentur, sed cum aqvis convenientibus redacta in lixivium. Ergo veteres nulla adeo necessitas eò adige-

bat, ut lixivia evaporando in salem cogerent, qvippe qvibus ignorari non potuit, salia non agere, nisi dissoluta qvodammodo. Viderunt tamen, qvibus ea cura fuit, salia lixiva solidescere umbri, ut ex *Aristotele* & *Theophrasto* deduximus: viderunt Romani, qvemadmodum disertè Plinius l. xxx. c. vii. *Qvercus per se cinere sincero vim salis reddit.* Idem l. xxxi. c. x. tradit *ex qvercu crematâ fieri nitrum*, ita salem illum lixivum appellat. Idem l. xvi. c. viii. *cremati roboris cinerem nitrosum esse certum est.*

VII. Qvamvis itaqve ex superioribus apertissimum sit, invito licet *Conringio*, salia lixiva vetustioribus Medentium in usu fuisse, liqvidiorem tamen, & accuratiorem eorundem cognitionem *Paracelso*, ejusqve asseclis meritò adscribendam censemus; ut profectò, si nullo alio beneficio posteritatem sibi devinxisset *Germanus* ille *Theophrastus*, vel uno hoc nomine meruisset hecatomben. Qvòd enim propè infinitæ febrium intermittentium catervæ nostro hoc seculo feliciter coërceantur, *Paracelsi* salibus lixivis præcipuè acceptum referimus, tacente hanc medicandi rationem universâ, qvantum constat, antiqvitate. Qvòd lixivis hodie cauteriis, damnato igniti ferri Hippocratici horrore, tot morbos profperè avertimus, *Paracelsicorum* salium est. Præiisse tamen hic qvodammodo antiqvos verisimile reddunt illa *Plinii* l. xxviii. c. viii. *Corii utriusqve* [crocodili] *cinis ex aceto illitus his partibus, qvas secari opus sit, aut nidor cremati sensum omnem scalpelli aufert.* Qvòd sale genistæ, stipitum fabarum, juniperi, insidiantes vitæ humanæ calculos exigimus; qvòd lixivio fraxini, gentianæ, ononidis hydropem eliminamus; qvòd sale alio, atqve alio tardas urinæ vias aperimus, alio hypochondriorum amurcam vel expellimus, vel emendamus, alio acidum ubi ubi in corpore præter naturam hærens exarmamus, totum id *Paracelsicæ schola* inventum est. Is *nobilis Helvetius*, qvantum liqvet, pomœria salium lixivorum masculo & felici ausu primus luculentè ampliavit: *primus is* hyposarcam ex qvartanâ oriundam sale absinthii oppugnavit, *Schol. in libr. de gradib. & compos.: primus is* qvartanâ afflictis

salem

salem commendavit absinthii, sicut ex *Comment.* ejus *in Aphorism. Hippocrat.* liqvidum est: primus is docuit alchalia [i. e. salia lixiva] putrefactiones corporum internas tollere, crassos humores incidere, adeoqve corpus humanum qvodammodo renovare *libr. de Restaurationes: primus is* historiam tartari explanavit, morbisqve tartareis salem lixivum visci qverni, & alchali aqvilegiæ spinosæ opposuit, qvemadmodum ex *libr.* ejus *de morbis tartareis* percipimus: *primus is* observavit sale absinthii morbos qvatuordecim perfectè posse sanari, idqve expertum se se tradit *libr: de Pestilitate: primus is* salem parthenii, serpentinæ, bryoniæ ad pustulas gallicas *libr.* x. de morb Gallic. c. 1. laudare cœpit, & *tract. de Correct. lign. Guajac.* ad Veneream luem alchali guajacinum. Esto, in aliis non paucis dormitaverit *Paracelsus*, ut est rarò magnum ingenium sine mixturâ magnæ alicujus imbecillitatis, certè qvòd hîc Medicis veternum excusserit, atqve ad lixivorum salium imperium latiùs porrigendum eos excitaverit, id verò, si qva meritorum magnorum in Orbe memoria est, grata posteritas æternùm prædicabit. Neqve universi hactenus *Paracelsi* hostes tanto sibi munere obstrinxerunt tum ægros, tum Medentes, qvanto ille propagatâ vel ad febres duntaxat salium plantarum historiâ. Qvàm glorioſum id ipsi, & supra invidiam magnificum contingit, qvòd jam integro, & qvod superat, à morte suâ seculo, pæne qvotidie febricitantes vel morti, vel diuturnis ægritudinibus, & tutò, & citò, feliciterqve eripiat. Neqve putandum eum fortuito qvodam casu febribus opposuisse lixiva salia; recta ratio id svasit, & explorata pugnantium in corpore febriente humorum natura. Neqve diversum svasisset *Hippocrates*, si cognitæ sibi aliqvatenus salium lixivorum naturæ paullò diutius institisset. Vox enim ejus l. de Vet. Medic. text. XXX. Ὁκόσα δὲ ἀφὰ τὸ θερμὸν ἀπλῶς πυρεταίνουσι ὀι ἄνθρωποι, ἐόντα τῶν εἴη τὸ ἄιλιον τῆς κακώσιος μέγιστον· ἀλλ' ἔστι καὶ πικρὸν, καὶ θερμὸν τὸ αὐτό. καὶ θερμὸν, καὶ ἐξύ. καὶ ἁλμυρὸν καὶ θερμόν· καὶ ἄλλα μυρία· καὶ πάλιν ψυχρὸν μετὰ δυνάμιων ἑτέρων· τὰ μὲν δὴ λυμαινόμενα ταῦτά ἐστι. Neqve diversum se ostendisset *Plato*, ut qvi in *Timæo*

agnoscit φλέγμα ὀξὺ καὶ ἁλμυρὸν πλὴν εἶναι πυρ]ῶν νοσημάτων. Vidit ergo *Paracelsus* illud ὀξὺ in febribus intermittentibus cum amaro salsoqve confligere, gnarusqve ex qvotidianis exercitiis Chemicis acidum à salibus lixivis exarmari, ad experiundum in humano corpore progressus est fausto eventu. Enimvero acidum illud febrile, propinato tempori lixivo sale, præcipitatur, & viribus suis exuitur, succedente largo sudore. Cessat ergo febris sublato adversariorum altero, & interqviescit amarum, cùm non adsit amplius, à qvo ad effervescendum instigetur, acidum. Verùm qvia non in solis febribus acidum corpori hostile deprehenditur, sed & alias invehit calamitates, hinc non injuria ad salia lixiva in aliis qvoqve morbis provocatur. In hanc rem *Helmontius l. de Plevr. fur. Etenim*, inqvit, *ut acor in stomacho est gratus & ordinarius sapor: sic extra stomachum omnis acidutas est præter naturam, & hostilis. Qvod hactenus nescitum in scholis. Sic nempe tormina ab acido intestinorum, in lotio stranguria, in ulceribus corrosio, in pelle scabies, in artubus podagra* &c. Intelligendum autem hostile illud acidum non de adventitio, qvod ad castigandum bilis fervorem propinari solet, sed de innascente, & ex impeditâ humorum circulatione hinc inde in mæandris corporum genito, qvod inimicum naturæ, eoqve profligandum. De primo graviter *Hippocrates* l. de Victu Acutorum, text. xxix. Αἱ δὲ ὀξέες ὀξύτητες πικροχόλοισι μᾶλλον, ἢ μελαγχολικοῖσι ξυμφέρουσι. Secundum autem, ut noxium, [recte enim iterum *Hippocrates* l. de Vet. Medicin. docet ὀξὺν χυμὸν ἀνεπιτήδειον σφόδρα λοιπῶν μᾶλλον εἶναι] assumpto opportunè & prudenter vel lixivo sale, vel volatili, vel alchali, ut vocant, volatilisato tollitur, aut mitigatur. Qvin & ad urinæ vias penetrat sal lixivus, ut mirum sit *Helmontium l. de lithiasi.* c. III. scribere. *Nunqvam ex urinâ mihi apparuit alchali, aut lixivio simile. Etenim si aliqvid lixiviale intro assumptum fuerit: id statim acidis saturatur, ut lixivialem indolem deponat.* Et mox: *Cùm igitur non sit alchali in lotio, errorem duxi, alchali potare pro saxifragio, cùm non perveniat ad loca urinæ.* Immò verò in scorbutico-

rum

rum urinis, post liqvorem in vapores attenuatum, & combustum restans sedimentum, semper alchali verum, sed paucum deprehendi, idemqve in puerorum urinis observatum *H. Martinio* in Anat. Urinæ, & *Beckero* in Microcosmo. Et salia juniperi, genistæ, sambuci, ononidis sæpe ingesta pervadere ad vias urinarias dubitare nemo potest, nisi qvi non vidit qvotidie hydropicorum, & calculosorum aqvas his remediis potenter per vesicam amandari foras. Idqve adeo verum est, ut sola salis tartari tinctura liberaliùs hausta vias urinarias expediat, licet paucis adeo salis tartari aculeis comitata, qvòd freqventior usus acidum in primis viis hærens jam ante saturaverit.

VIII. Sed pergit Conringius l. de Herm. Med. II. c. VII. *Nimii*, inqvit, *in alchalium laudibus vulgò sunt Paracelsici, promittentes integras in salibus stirpium vires.* Si qvi ista promisere, eo ipso ostendunt se non esse Paracelsicos, nusqvam enim ista promisit *Paracelsus.* Sed progreditur *Conringius*: *Immò*, inqvit, *usqve adeo parum ejus* [proprietatis stirpium] *superat, ut omnia plantarum salia iisdem prope sint viribus, & gradu tantùm differant, sintq; adeo omnia acria, calida, sicca, & planè talia, pro ut Dioscorides de sale communi pronunciat* l. V. c. CXXVI. *qvantumvis nonnulla ex plantis non perinde calidis, & siccis sint educta.* In qvibus paucis bis peccatur. 1. Non planè talia sunt lixiva salia qvalis est ille communis: sal communis, teste ibidem *Dioscoride*, δύναμιν ἔχει συπλικὴν, sal lixivus, qvalis in pharmacopoliis venditur, è contrario aperit, laxatqve, aut certè si unus aliqvis tantillum adstringere deprehenditur, sexcenta alia referant, & incidunt: sal communis non frangit acidum, sal lixivus frangit, & præcipitat: sal communis nil possidet verè oleosum, sal lixivus usqve adeo oleosi genii est, ut vel abluendo manus ejus lixivio, videamur merum oleum tractare; usqve adeo oleosi genii, ut sulphur vulgare promptissimè dissolvat, qvod sali communi neqvaqvam concessum: sal communis facilè attollitur in spiritum, eumqve acidum, sal lixivus difficillimè tenuatur in spiritum, eumqve alio planè modo, qvàm acida vul-

vulgaria agentem: sal communis præcipitat Mercurium dissolutum, in pulverem albissimum, sal lixivus in pulverem vel rubrum, vel flavum: sal communis statim & semper abit in cubos, sal lixivus rarò, nec nisi post longas ustiones: sal communis non medetur febribus, sal lixivus medetur. Alterum *Conringii* delictum est: *Salia omnia plantarum iisdem propè esse viribus, & gradu tantùm differre.* Eqvidem 1. non inficiandum, lixiva plantarum salia [de volatilibus & essentialibus nullus hic sermo] in universum acria esse, incidere, dissolvere pituitam, dissolvere sulphur, reluctari acidis, fusionibus, & præcipitationibus metallicorum inservire, inde tamen non conficitur, eadem non nisi gradu differre. Eodem sanè argumento ostenderetur, plantarum spiritus non nisi gradu differre, cùm omnes incendi se patiantur, omnes inebrient liberaliùs hausti, omnes tincturis eliciendis inserviant, omnes putredinem arceant. Sic in multis conspirant plantarum olea, & tamen plusqvam gradu discrepant. 2. Non inficiandum, multum perire virium plantarum inter comburendum, recedit enim pæne totum id, qvod volatile est, spiritus, aqva, oleum tenuius, hinc vires soporiferarum, catharticarum, emeticarum plantarum in cineribus qvasi emortuæ deprehenduntur; neqve enim vel sal lixivus hellebori, vel jalappæ, vel hermodactylorum propriè purgat; nec asari sal ciet vomitiones, qvod & eruditissimo *Pechlino* l. de Purgant. Medic. Facult. c. IX. observatum. Vox ejus: *Prolectum veratro salem nihil ad purgationem ampliùs, qvàm aut absinthii illum, aut tartari conducere experimenta ostendunt.* Et mox: *Eadem asari fortuna fuit, in sale destituentis compositi naturam.* Enimvero vis tum narcotica, tum cathartica in resinosa & mediocriter fugaci præcipuè substantiâ residet, eoqve ad primum violenti ignis occursum faceßit. Hinc ubi è scammonio & jalappâ beneficio spiritûs vini resina omnis prolecta est, reliqvum corpus hebescit ignavum. 3. Non inficiandum cineres plantarum, & salia lixiva, ubi iterum, iterumqve extremos ignis flammei labores persenserint, ubi cum sulphure communi, more phar-

re pharmaceutico, deflagraverint, ubi furentes Vulcani aperti injurias diu toleraverint, tandem ad idem pæne redigi ingenium, cùm non modò constet ex observatione *Clariss. Francisci Redi, salia plantarum lixiva post plures, violentasq; ustiones, & purgationes denique omnia abire in cubos*, sed & freqventibus mihi experimentis cognitum sit, omnia noviſſimè, si crebrò ustulentur, crebrò dissolvantur, iterumqve repetatur is labor, abire in terram albam, insipidamqve, retusis ad ultimum omnibus eorum salinis aculeis, à creberrimo illo ignis impulsu, adeo ut & de lixivo sale ingeminari possit illud Salvatoris Marc. IX. Ἐὰν τὸ ἅλας ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε. Proinde supervacuo, immò pernicioso labore se se fatigant Pharmacopœi, cùm, ut albore & nitore salium lixivorum blandiantur ægrorum oculis, eadem vel diuturnâ cruciant flammâ, vel cum sulphure communi iterum, iterumqve incendunt; his enim tormentis specificæ virtutes, non illæ qvidem fugaciſſimæ, qvæ qvovis igne violentiori dissipantur, sed paullò constantiores, qvæ in cinere perfunctoriè usto adhuc residunt, ad fugam impelluntur, itaqve si ita cruciata salia artemisiæ, euphragiæ, tormentillæ, plantaginis, satyrii, papaveris, betonicæ parum admodum in medendo discrepare videantur, mirum non erit, qvanqvam nè sic qvidem omnis specifica vis in solidum videatur expulsa, de qvo postea. Veniendum nunc ad rem propiùs, ut ostendatur salium lixivorum moderatè ustorum diversitas.

1. Observavit *Galenus* l. VIII. de simpl. medic. facult. c. CXXXIII. [qvem locum ante descripsimus] qvernum cinerem adstringere, ficulneum contrà adurere & abstergere, argumento, remanere specificas qvasdam in adusto cinere compositi vires. Neq; verò illud discrimen parti cinerum terreæ, sive capiti mortuo adscribi in solidum potest, ut qvod, judice hîc *Galeno*, ἀδενὲς est, & virium infirmarum, sed sali sulphureis suis partibus constantioribus adhuc gaudenti. Neqve enim à cinere vulgariter usto recessisse omnes partes sulphureas, facilè docuerint tum ipsa,

qvæ inde statim proliciuntur, salia, utpote coloris subrubri, tum ipsum lixivium primum rubellum.

2. Experiuntur Chirurgorum curiosiores opportunum esse cauteriis seu fonticulis erigendis salem corticis fraxini, in salibus aliis nonnullis frustra hanc dexteritatem exspectari. De eodem sale ita diligentissimus *Schröderus* in Pharmac. *Sal ex ligno fraxini incinerato vulneribus intus & extus cum felici successu usurpatum vidi.* Qvod qvis exspectet à sale hellebori? Ita *Cl. Raym. Fortis* l. de Febr. ad ventriculum roborandum commendat salem menthæ, qvam virtutem qvis à sale laureolæ sibi spondebit?

3. Notant vitrarii promiscuè, à sale filicis vitra sua infuscari, & subviridi colore sqvalescere, contrà, à sale chali nitorem perspicuum, & clarissimam translucendi vivacitatem mutuari: ut propterea Muranensium artificum curiosiores salem chali ad opera delicatiora præferant. Audiendus & hic Clariss. *Merettus* in Comment. ad Anton. Neri de Art. Vitrar. *Qverni*, inqvit, *cineres vitrioli naturam induentes vitrum obscurius reddunt; cineres fraxini, vel oxyacanthæ, qvorum sal ad nitri naturam accedit, metallum*, [i. e. vitrum] *reddunt candidius.* Videatur & ibidem de discrimine salis cardui, rubi, genistæ spinosæ, tabaci &c. Qvin & ipse *Neri* l. 1. c. v. agnoscit ex sale filicis factum vitrum in tenuia fila duci posse, & supra crystalli naturam flexile esse, qvod de aliis salibus prædicare non sustinuit.

4. Observant tinctores, fullones, saponis Magistri, qvibus vita inter hæc sacra transigitur, evidentissimum inter salia plantarum lixiva discrimen, ab aliis colores inqvinari, vires corrumpi, opera reddi fragilia, ab aliis omnia evenire contraria, qvod & *Plinio* de sapone olim visum l. XXVIII. c. XII. Observavit *Petrus Poterius* Med. insignis in Consil. suis Med. sale rubiæ tinctorum icterum feliciter expugnari, id qvod à sale fagino vix exspectandum.

5. Nec omittenda hic *Ottonis Tachenii* experimenta in *Hippocr. Chemic.* c. XVI. docet enim vitriolum Martis in aqvâ limpidâ solutum

solutum à variis salibus lixivis variè omnino affici, à sale tartari infuso præcipitari in colcothar obscurè virens, à sale stipitum fabarum migrare in ochram flavam, à sale lavendulæ in viridem, à sale communi in nullam.

Ita, qvemadmodum tradit c. VII. Mercurius sublimatus in aqvâ fontanâ dissolutus, affuso sale tartari præcipitatur obscurè rubens, affuso sale plantarum cephalicarum, rorismarini, aut lavendulæ evadit lucidè rubens, injecto sale chelidoniæ Mercurius redditur omnium rubicundissimus, immisso sale volatili niveus, sale communi nulla seqvitur præcipitatio. His adjicit *Tackenius* omnia herbarum diureticarum salia, ut stipitum fabarum, genistæ, hyperici, herniariæ, urticæ esse acido-salsa [nisi ultimam ignis vim experiantur] & proinde Mercurium in dictâ solutione non præcipitare; vulnerariarum autem plantarum salia, ut betonicæ, veronicæ, agrimoniæ, pyrolæ, alchimillæ &c. esse planè salsa, neqvaqvam acidula. Et qvanqvam invenerit hîc *Zwelferus* in *Apolog.* qvod responderet, certum tamen est, in his ipsis salibus modestè ustulatis evidens discrimen reperiri. Certum est, non omne acidum statim ab igne exterminari, vel exemplo calcis vivæ, in qvâ, si aqvam affuderis, acidum & salsum manifestâ ebullitione confligent, de qvo Cl. *VVillis*, aliiqve.

6. *Conringium* apertissimè confutant experimenta Hetrusca. Cùm ante hos octo annos, illustri Domino *Laurentio Magalotti* comitatus laboratorium [ceu vocant] secretius Magni Ducis Hetruriæ, qvod in palatio Pithi visitur, curiosiùs perlustrarem, magnus inter alia salium lixivorum ibidem & apparatus, & diversitas oculis se se objecere. Jusserat jam ante sapientissimus Princeps sollicitè in salium lixivorum naturam, figurasqve inqviri, ideoqve qvi magisterio illic Chemico præerant, ex infinitis prope plantis lixiva elicuerant salia, qvæ omnia pulcherrimâ facie, & diversissimâ figurarum varietate naturæ suæ diversitatem testabantur. Videre enim ibi licuit cylindros, qvadras, pyramides, rhombos, prismata, trigonos, cruces, cuneos, cubos rudio-

res, & innumera varii generis trapezia. Meretur & hic legi illud *Marci Marci* in Idear. Operatr. ideâ: *Sal*, inqvit, *ex urticis paratus in trigonas teſſellas cogitur, ubi in cryſtallos coit, ſed ejus lixivium frigore brumali abit in faciem urticarum.* Mihi tamen ſal lixivus urticarum partim abiit in figuras adamantum, partim in octaedra compoſita è duabus pyramidibus qvadrilateris; qvæ diverſitas ex diverſi generis urticis, ex diverſâ uſtione, ex aliis atqve aliis circumſtantiis haud dubiè pependit. Sed ut in Florentinum Vulcani ergaſterium revertamur, libet, qvæ oculis ibi uſurpavi, etiam ex alterius Viri Clariſſ. fide recognoſcere. Is eſt Piſanus Profeſſor, *Antonius Oliva*, cujus, ut teſtis qvoqve oculati mentem ex *Car. Fracaſſati* Epiſt. de Lingvâ ſubjicere viſum: *Endivia*, inqvit, *ſale ſuo duas retuſas cuſpides hexagonas medium complectentes, prisma baſis pariter hexagonalis imitatur: occurrit tamen in eodem ſale prisma illud ſeorſim: eodem modo ſal citrulli, eſulæ ac ſcorzoneræ conformatur, ſed medium prisma in his duabus altius eſt; parietaria cuſpides baſibus invicem nexas, ſed conum non abſolventes ac ſectas æmulatur: ita & abſinthium, & in parietariâ ad baſin, qvà plana in angulum coëunt; rhomboicæ hederæ reſultant. Braſſicæ, cucumis, euphraſia, laurus, lactuca, roſmarinus, bugloſſa, roſa, mechoacanna, helleborus albus, acetoſa ſalibus ſuis pyramides, ſed improprias, hexagonas nempe, utrinqve prismati hexagono incumbentes referunt: hoc ſolùm diſcrimine, ut in aliqvibus altius, in aliqvibus depreſſius ſit ipſum prisma. Pyramides pariter hexagonas duas baſibus ſuis implicitas dabunt malicorium, piper nigrum, capreoli vitium, acetoſa ac helleborus niger; octaedricus eſt ſal meliſſæ, fœniculi, regulari nempe figurâ, qvam paucis in ſalibus herbarum reperies: cubicus gingiberis, liqviritiæ, capilli-veneris, rurſus & braſſicæ eſt ſal: non eadem tamen eſt hic figuræ conſtantia, ac in ſalibus primigeniis; ideo & lactucæ ſal non idem ſemper ſervat ſimulacrum, ſed & in verum prisma coit, cujus duo latera ſint æqvalia, reliqvum, ac adverſum parallelogramma. Saccharum ac colocynthis qvadrata videntur, & in menſas extenſæ latas; ſed verius ſegmenta verarum pyramidum utrimq; ad baſin*

dicendo

dicendo explicueris: pariter ita indigitari posset helleborus albus, ni irregularitate aliqvâ mensularum distaret. Qvercus suo sale hexagona, sicuti & piper rubrum. Qvòd vel solum experimentum sufficit retundendæ *Conringii* opinioni, qvâ statuuntur *lixiva salia non nisi gradu differre.* Enimvero verisimile est, esse singulis salium alchalium speciebus certas & determinatas figuras, dummodo specificæ sulphuris nativi particulæ nondum omnes expulsæ sunt violentiâ ignium, & dummodo unâ, eademqve methodo præcisè utitur artifex. Neqve enim mirum, si aliqvando variet, exempl. gr. salis lactucæ simulacrum; varietatis enim culpa jam in ignis varietate, jam in lactucæ truncatâ radice, jam in corticis recentis, effœtive conditione residet; notatumqve providè Cl. *Francisco Redi* [qvemadmodum mihi coràm significavit] *ex ejusdem plantæ foliis in cinerem perustis aliam salis figuram exsurgere, ex radice aliam; qvin immò salem ex cortice piperis eductum aliter figurari, aliter ex grani piperis pulpâ.* Proinde ut certa exspectetur figurarum specificarum in salibus lixivis constantia, integra semper experiunti capienda vel planta, vel arbuscula est, eaqve sola modestè urenda, & in circumstantiis mutandum nihil. Neqve officit, esse qvædam etiam diversissimarum plantarum salia sibi in speciem similia, qværendum enim lynceï oculi smicroscopio firmati acumen, & in illâ similitudine evidens observabitur varietas. Sed à qvo artifice pendent illæ salium figuræ? à formâ adhuc remanente, excipiet Peripateticus. *Du Hamel* autem de Consens. Vet. & Nov. Philos. l. II. c. IV. *Constantes illas figuras*, inqvit, *designatione qvadam divinâ impressas esse omnino fatendum videtur.* Illustris *Boyle* existimat primigenias qvasdam esse texturas, qvibus entia differant, easqve se diu & mordicus in igne tueri; *Cl. VVillis* l. de Ferment. c. XII. *Si in hujus*, inqvit, *rationem inqviratur, dicimus qvod hujusmodi sales non sunt elementa simplicia, sed corpora ex sale copioso cum reliqvis principiis in exiguâ qvantitate varie permixtis conflata; qvæ perinde ac alia naturæ concreta, juxta salis ac spiritus* [addo sulphuris constantioris] *præpollentiam, & cum*

cæteris mixtionem peculiares figurationum modos à primo conditore sunt sortita. &c. Nobis hîc pro instituti ratione satis est in diversis salibus lixivis, nondum ultimo flammarum supplicio cruciatis, diversas esse figuras, naturæ adhuc aliqvod discrimen specificum demonstrantes.

7. Prærogativa salis tiliæ in curandis vulneribus præ aliis plerisqve salibus iterum evidentissimum inter salia lixiva indicat discrimen. In hanc rem *Helmontius* l. de Lithiasi. c. III. *Vidi*, inqvit, *rusticum, qvi vulnera ingentia curaret, potu lixivii è tiliâ parati.* Id verò à sale tithymalli, aut ficulneo, aut fagino exspectare, temeritatis esset. Credibile rusticum illum cineres tiliaceos non flagellâsse nimis vehementi flammarum acerbitate, ideoq; substitisse adhuc sulphur qvoddam paullò constantius, atqve adeo ab utrisqve profectam illam sanitatem. Qvid si in clauso crucibulo maximam ἐγχειρήσεως suæ partem absolverit. Certè non de nihilo est illud *Blasii Vigenerii* l. de igne & sale: *Le sel resté és cendres retient la nature & proprieté de la chose, dont il est extrait, si cela se fait en un vaisseau clos, & qve les esprits ne s'en evaporent point.* Scio in accuratissimè clauso tigillo nè carbonem qvidem abire in cinerem, sed & illi incommodo facilè obviam iri potest. Nam & ego freqventer per stillatitiam aqvam ex nigrâ illâ plantarum massâ in clauso duntaxat crucibulo perustâ salia fixa elicio eaqve rubicundula, & proinde omni sulphure suo non destituta. Interea nè cui alienum videatur, sulphureas aliqvas partes, immò & alias fugaces, in igne etiam vehementiori salvas qvandoqve remanere, expendat mecum, si vacat, genium sulphuris communis, qvod cum ex oleoso & acidô constet, utroqve volatili, in ardentissimis tamen flammarum complexibus se se aliqvandiu tuetur, nec evolat, si corpus ipsi ministraveris, in cujus poris, veluti latibulis occultare se possit, & à flammæ spiculis defendere. Expertus enim sum, æris laminas cum insperso hinc inde sulphure modico, in clauso sollicitè tigillo relictas, ita combibisse particulas sulphuris, sibiqve intimè conjunxisse, ut post alacrem

crem duodecim horarum flammam, redeuntibus ad pristinum frigus omnibus, exemptæ, & aqvæ forti immissæ, sulphur nihil immutatum, ardens, & aqvæ supernatans ostenderint, ære sensim dissoluto. Similia particulis qvibusdam alioqvin satis ad fugiendum expeditis, in cinere plantarum sapienter gubernato contingere posse qvis negaret? Qvia ergo Cl. *Redi l. de Viper* plantas suas vehementiùs ussit, immò perussit, non mirum discrimina alia, qvàm figurarum in salibus lixivis ipsi non fuisse notata. Qvæ tamen ipsa enervant qvoqve *Conringii* sententiam.

8. Accedit *Helmontii* testimonium l. de *Potest. Medicam.* qvanqvam enim videatur ibi lixivis salibus virtutes compositorum specificas detrahere, pressiùs tamen expensus contrarium docet. Ita ergo ille: *Salia*, inqvit, *qvæ sunt pars compositi, ut lixivia, & alchalia virtutibus seminalibus orbata sensi, solamq; habere absterssivam, saponariam, & resolutivam proprietatem; nisi sint volatilia, qvibus sensi inesse initia concreti radicalia, & balsamos seminales.* Scilicet qvamdiu salia illa fixa manent, videntur virtutibus orbata esse seminalibus, at si in volatilem reducantur statum, jam mox evigilant, & initia concreti radicalia, balsamumqve seminale inesse sibi apertè ostendunt. Profectò enim nisi in fixo illo sale hærerent adhuc qvædam concreti semina, licet qvodammodo dormitantia, πνευμάτωσις illa sola neqvaqvam ea introduceret, alioqvin qvidlibet hac viâ fieret ex qvolibet. Qvantum autem tribuat *Helmontius* illi salium πνευματώσει, disertiùs interpretatur eodem libro circa finem: *Fixa alchalia*, inqvit, *si volatilisentur, magnorum pharmacorum potestates adaqvant. Qvippe vi incisionis, resolutionis & absterssionis delata usqve ad limen qvartæ digestionis, tenacitatem coagulatorum in vasis fundamentaliter tollunt.* Qvod ex *Paracelso* mutuatus videri potest, namqve ille in Fragment. Med. *Virtus*, inqvit, *alkali in eo est, ut sublimetur, & volatile fiat.*

9. Veniendum nunc ad palmarium argumentum, hoc est ad curiosissimam illam controversiam, qvæ nobilia hactenus ingenia variè commisit, exercuitqve, de plantarum ex cineribus resuscita-

resuscitatione, unde salium diversitas fortassis clariùs elucebit. Eqvidem, si *Conringium* l. de Hermet. Med. II. c. VII. audimus, compendiò transigetur: *Qvæ Qvercetanus*, inqvit, *narrat de plantarum ex cineribus resuscitatione, vel commentitia sunt, vel magicis annumeranda. Et verò Polonus ille, cujus fide qvàm maximè utitur, magico*, Michaëlem autem Sendivogium intelligit, *scelere fuit infamis.* Sed ista plerumqve imperitorum carecta sunt, post qvæ delitescere svave est, qvoties inusitatius naturæ phænomenon occurrit. Ita de Gröningensis Academiæ Medico *Freitagio* scribit Clar. *Alb. Kyperus*, in Resp. Medicin. Nic. Fontani: *Nuper aurum fulminans fecimus, cujus si granum unum, aut duo carbone desuper lentè accendas, bombardam minorem sonitu certè æqvat, si non antecellit; ut meritò ridenda sit Freitagii socordia, & contradicendi studium, dum tale qvid fieri posse naturaliter pernegat, & si omnino effectûs evidentiâ convincatur, ad Dæmonem hujus causam refert. Dignum certè hac patellâ operculum, & hoc Philosopho hæc Philosophia.* Præstaret in re dubiâ nihil temerè definire, qvàm scientiæ suæ nimium tribuere, & naturæ latifundium intra unius cerebri concludere angustias. Ad rem Clar. *Sennertus* l. de Cons. & Diff. c. X. *Si nimirum*, inqvit, *Chemiæ osores, & ἐν βίβλῳ κυβερνήτῃ manum ipsi operibus Chemicis admoverent, viderent procul dubio multa, qvæ jam non credunt.* Ut taceam, indignum esse homine Christiano, ex inani vulgi rumore viro bono infamis magiæ crimen impingere. Qvin nobilissimus *Denoyaus* Reginæ Poloniæ à secretis, cùm Parisiis ante hos VIII annos memoraret *Sendivogium* uxorem duxisse viduam Alexandri Sidonii, ejusdemqve scriptum posthumum, qvasi hæreditario jure pro suo edidisse, de sinisteriori ejus famâ in Poloniâ nè verbum qvidem fecit. Et qvid ille *Adepti* viduæ supplicaret, si à maleferiato genio penderet totus? Qvid qvod ignotum hodieqve, an *Sendivogius* is fuerit, qvi *Qvercetano* resuscitationem illam demonstravit: *Qvercetanus* sanè agnoscit nomen scientissimi illius Medici Cracovienſis sibi excidisse, & *Conringius* sciret, qvi nec Gallias, nec Poloniam vidit unqvam!

Sed

Sed nos ad rem propiùs. Non urgent Chemici resuscitationem plantæ ita omnibus suis numeris absolutam, ut vel colores accuratè repræsentet, vel more seminis se se propaget, sed docent imaginem qvandam, & simulacrum qvandoqve plantarum visum sibi ex cineribus exsurgere. Ut proinde supersedere potuerit *Gothofredus Voigtius* in Curiosit. Phys. solenni illâ deductione, veráne an imaginaria ex cineribus planta resultet? Nemini enim Chemicorum stomachum movebit, dum scribit: *Concedo imaginem qvandam plantæ ex cinere combusto repræsentari posse; nego autem veram inde esse oriundam.* Eadem enim illis sententia est, si paucos excipias, qvi ne imaginem qvidem admittunt. Nemo, qvantum constat, veram ex cinere plantam, & speciei suæ propagatricem spopondit. Neqve vehementiùs feriunt Chemicos cætera, qvæ urget *Voigtius.* Adstruit qvidem contra *Paracelsum: In oleo & liqvore arboris cum cinere mistæ latere posse animam plantæ, eandemq; operosam novum domicilium sibi fabricare, sed plantam hoc modo resurgentem, non esse eam, qvæ in cinerem versa est, sed cujus anima beneficio olei cineri fuit communicata.* Cæterùm neqve *Cracovienſis* ille Medicus, neqve *Kirckerus*, illius resuscitationis imaginariæ artifices definierunt, solisne cineribus, an cum proprio oleo mistis usi sint. Pulchrum tamen esset, si posset ostendi etiam ex oleo plantarum illa speciosa resurrectio. Ingeniosè autem pergit *Voigtius: Plantas, qvæ hoc modo pullulant, ex principio seminali in cineribus delitescente oriri, adeoq; generationem potius salutandam esse, qvàm resurrectionem.* Nascentur sanè ex seminali principio, sed arte Chemicâ, viâ naturæ hactenus ante experimenta curiosorum planè incognitâ, idcirco novi generis, ut libet, generationem voces, voces & resuscitationis umbram, qvæ clariùs rem exprimit, dummodo de re constet.

Amant autem Chemici inventum hoc suum, non ut caput aliqvod fidei Christianæ hac παλιγγενεσία roborent, sed ut umbrâ qvoqve illâ animum rediviva olim gaudia exspectantem titillent, oblectentqve. Bene jam pridem Clar. *Franc. Redi* de Generat.

insectorum: *Sancta illa & profunda fidei mysteria non pari passu cum causis naturalibus ambulant, eoq; rectiùs illa & creduntur clausis oculis, & intelliguntur:*

I segreti del Ciel sol colui vede,
Che serra gli occhi, e crede.

Juverit tamen vestigia rei speratæ etiam in naturalibus contemplari, atqve adeo imitari curiositatem Principum, qvibus etiam transmissa sponsæ imago in deliciis est, illâ ipsâ procul spirante. Atqve abesse hanc speculandi voluptatem à crimine, vel ipse sanctissimus *Apostolus Paulus* 1. Corinth. XV. confecerit, ut qvem non piguerit à grano triciti in terrâ emortuo, & tandem redivivo παλιγγενεσίας humanæ argumenta in gratiam rudiorum mutuari. Esse autem inventum non commentitium persvadent testimonia gravissimorum hominum, qvibus omnibus derogare fidem iniqvum. Vidit eam παλιγγενεσίαν *Qvercetanus*, vir antiqvâ fide l. contr. Anon. Vidit *Kirckerus* nuperis annis, de qvo in Mund. subterran. l. XII. sect. IV. *Circa hoc experimentum*, inqvit, *sanè mirificum diu, multumq; versatum me esse affirmare ausim, donec tandem alium qvendam modum inveni, qvo plantam intra phialam oblongi colli hermeticè clausam ex suis cineribus excitavi, atqve in meo musèo decennium fere advenis cunctis spectandam exhibui, donec anno 1657, qvo Regina Sueciæ musèi mei visitatione me dignata, summâ animi voluptate artificium istiusmodi spectavit* &c. Haud credibile ausurum ista scribere *Kirckerum*, nisi verissima esse constaret, cùm alioqvin qvotidie à Regina ibidem præsente mendacissimæ vanitatis argui posset. Mihi certè in musèo suo Romæ idem constantissimè fassus est. Ut vel hinc constet, qvâ fide scribat *Conringius* l. II. c. VIII. *Non utiqve ausum affirmare Kirckerum experimento tale qvid sibi esse compertum.* Esto enim, non id ausus sit l. de Magnet. pòst tamen ausus est in *Mundo subterr.* qvod utiqve diu prodiit ante secundam editionem Conringiani hujus scripti. Qvin & vidisse *Lunkerum* Prof. Marpurg. eam apud *Kirckerum* παλιγγενεσίαν testis

est

est Cl. *Horstius.* Longum esset advocare in eam sententiam *Borellum*, *Gaffarellum*, *Sachsium*, *Vigenerium*, *Breßiæum*, *de Linga*, *Doberzensky*, *Grembsium*, *Zwelferum*, *Schottum*, *Harsdorfferum*, alios, & ante hos omnes *Theophrastum* illum *Helvetium* l. VI. de Nat. Rer. qvi omnes hanc in plantarum cineribus renascendi virtutem agnoverunt. Est, fateor, intellectu difficile, qvâ ratione sive animula, sive textura plantæ delicatior possit in cineribus se se ab interitu vindicare. Et hoc ipsum haud dubiè plures eruditos, etiam in harenâ Chemicâ non inexercitatos in diversa abstraxit. Sed antè omnia intuendum hîc, nec *Qvercetanum*, nec *Kirikerum* definiisse, qvò usq; cineres illi cremati fuerint. Qvid si sagax ille *Polonus*, Qvercetani præmonstrator, ex oleo, spiritu, & sale lixivo rosæ, artificiosè junctis clysmum, qvem vocant, formaverit, atq; ex illo, diuturno & patienti fotu, cineritium pulverem tandem produxerit, imaginem plantæ ad primum caloris occursum, repræsentantem? Qvid si ex rosæ volatili sale [esse enim talem Cl. *VVedelius* nuper clariùs fidem fecit] simulacrum illud fabricaverit? Qvid si cinis ille fuerit resinosior compositi portio? certè enim resinas lentâ evaporatione, & pòst triturâ in cinereum pulviculum redigimus facillimè. Et ex resinâ terebinthinâ nascentem subitò exqvisitissimam sive abietis, sive terebinthi figuram primus Orbi demonstravit *VVillielmus* d' *Avissonius*, publicavitqve anno hujus seculi XXXVto in Pyrotechn. Philosophicâ. Similem in gummi cerasino excocto vidit παλιγγενεσίαν illustris *Kenelmus Digby*, qvod profitetur l. de Vegetat. plantarum. Et hæc qvidem servient mitigandæ illorum pertinaciæ, qvi nil nisi perustos, & igne vehementi fatigatos intuentur cineres, & ad sterilitatem eorum ostendendam omnia tela convertunt. Libet tamen etiam fiduciâ causæ ad veros plantarum descendere cineres, & qvid in illis reliqvum esse voluerit focus moderatior, paucis scrutari.

Advocant hîc qvidem alii in hâc scenâ constituti, reviviscere ex cineribus qvædam animalia, in qvibus utiqve major apparatus membrorum, qvàm in plantâ ullâ. Et sanè ut *Borelli* ex-

perimenta taceam, illustris Reginæ Anglicanæ viduæ nuper Cancellarius *D. Kenelmus Digby*, [cujus humanitatem prolixam Londini expertus sum] in Dissert. de plantar. vegetat. cancros se etiam ex cineribus reverberio afflictis produxisse scribit, totamqve rei gestæ historiam disertè ibi prosequitur. Viderit etiam *Nicolaus Francimontius*, Medicus Pragensis, inter destillandum, surgentem in alembico fumum in accuratissimam colubri imaginem figurari. Viderint amici *Petri Borelli* in destillatione humani sanguinis, & in sublimatione salis volatilis ex tellure cœmeterii S. Innocentium Parisiis, nescio qvæ humanorum capitum in vitris Chemicis schemata; neqve his tamen, ut fugaci substantiâ, neqve illis, ut cineribus animalis, ad plantarum cineres exenterandos, explicandosqve uti decretum est. Alioqvin securiùs provocaretur ad regnum metallicum, in qvo perusti sexcentis ignibus cineres non simulacrum reddunt compositi, sed levi operâ in idem, qvod fuere, metallum redeunt. Mercurius toto anno variis ignium tormentis delassatus, inqve aqvam, turbith, cinerem detortus, attactu salis tartari inter flammarum complexus, vivacissimè in pristinum liqvorem renascitur. Venus Chemica, post XL. dierum flammam, qvod expertus loqvor, nondum deponit antiqvos mores, sed viridem adhuc tunicam suam ex igne secum refert in qvovis acido conspiciendam. Saturnus reverberetur in minium, fundatur in vitrum, flaccescat in cerussam, cremetur in lithargyrium, ad summam, excogitatissimis vulgò modis lacereturr, frangatur, ustuletur, momento tamen in germanum resurget plumbum, admoto, ex disciplinâ, lixivo sale. Qvin & aurum, argentum, æs, licet diu ignibus excocta, advocato ex arte Mercurio in arbusculas transeunt, tum in humidâ, ceu vocant, tum siccâ viâ; de qvâ germinatione, ut convenienter alii, ita operosiùs, ingeniosiusqve præcipit *Bartoletus* in Encyclop. Hermetico-dogmaticâ, & ante illum *Petrus Ribola*.

Sed nè argumentis ex alieno foro petitis videamur pugnare, ad experimenta ex lixivis plantarum salibus, ustisqve cineribus

neribus deprompta noviſſimè deſcendendum. Qvo in genere præmittendum meritò, qvod nobiliſſimus Scriptor *Qvercetanus* in Peſt. Alexic. obſervavit, nimirum: *In lixivio urticarum congelato mille urticarum figuras, cum radicibus, foliis, & truncis adeo perfectè deſcriptas, & adumbratas, ut qvi meliùs illas ad ungvem expreſſiſſet, figuraſſetq́, vix pictor ullus reperiretur.* Neq; hili eſt contradicentis *Conringii* exceptio: *Vim veritatis expreſſiſſe Helmontio, uti ſcriberet, qvod omnis glacies incipiens dentales cuſpides ad figuram folii urticæ faciat.* Facit enimvero dentatas cuſpides, ſed illæ neqvaqvam vel folium urticæ, vel truncum, vel radicem æmulantur, qvæ omnia in lixivio urticarum *Qvercetani* oculis ſubjecta. Eadem figura in lixivio urticarum ſpectata eſt *D. Digby*, Diſſert. de Veget. Plant. & *Marco Marci* in Idear. Operat. ideâ, & *Molthero* apud Schroder. Pharmaceut. l. v. & *Marcgravio* Lugdun. Batavorum.

2. *Hannibal Barlet*, Chemicus Pariſinus, mihi jam pridem, ut omnibus ibi curioſis notiſſimus, natam ſibi in tartaro Vitriolato arbuſculam pulcherrimam, juniperi æmulam pluribus aliis, interqve eos *P. Borello* coràm oſtendit, qvod ipſe *Borellus* in Hiſtor. Medico-Phyſ. profitetur.

3. *Feburius*, Regis Magnæ Britanniæ Chemicus, ante hos annos decem per aceti primùm, deinde & purgatiſſimum vini ſpiritum, eò usq; ſedecim & ultra menſium patientiâ ſalem tartari lixivum provexit, ut in vitreâ cucurbitâ ſublimando altè exſurgens germaniſſimam uvam, ſi colorem exceperis, mirâ ſimilitudine referret, cujus experimenti veſtigia ipſe in horto Regio Londinenſi, monſtrante *Harellio*, Feburii Collegâ his oculis contemplatus ſum. Cl. *Sebaſtianus Wirdig* in Med. ſpirit: ex ſale tartari botrum ſibi natum atteſtatur cono obtuſo, fundo phialæ inſiſtentem. Non admodum diſſimilia ex tartaro, in ergaſterio Chemico Holſatico conſpecta fuiſſe inter curioſos jam diu percrebuit, meminitqve ejus Ampliſſ. *Sachſius* in Ampelogr. & celeberr. *Langelottus* in Epiſt. ad curioſos. Huc referendum & illud *Marci*

Marci l. de Phil. vet. restitut. *Principium*, inqvit, *cujusqve essentiæ est in sale, à qvo suam palingenesin habent plantæ, uti manifestum est in sale tartari aceto vini impregnato, qvod terram foliatam vocant. Et calore qvidem qvovis, ut butyrum liqvescit, ab aëre verò frigido rursus coagulatur in folia, vitium foliis, si color adesset, similia.*

4. In sale absinthii vidit Cl. *Jo. Dan. Horstius* explicatam absinthii imaginem. Vox ejus apud *Schröderum* Pharmac. l. v. *Mihi est sal absinthii, cujus ope (vera loqvor) totum absinthium tibi ponam ob oculos.* Ego in lixivio fagino conglaciato lineamenta qvædam foliorum, & ramorum fagi ad latera vitri figurata conspexi.

5. *Petrus Servius*, Urbani VIII. Pont. Medicus *conspexit rosam ex cineribus ustis solerti & ingenioso artificio excultis & elaboratis XXIV horis natam, adultam, perfectamq;* in Tr. de Nat. & Art. mirac.

6. Et mihi Parisiis qviddam spectare datum est, non injuriâ hìc attexendum. Versabar in contemplatione salis tartari, si qvâ methodo, sine heterogeneorum mixturâ spiritus inde exsculpi posset, *Helmontio* tantopere celebratus. Cumqve in omnia me versâssem, subiit cogitare, prima fortassis, & nondum annua vitium germina cum flagellis, seu claviculis, ut vocat cum Cicerone *Plinius* [unde meritò primum cineribus clavellatis nomen] si in cinerem perfunctoriè redigerentur, & post explicationem solennem dierum aliqvot in pervio aëri loco, ex retortâ argillaceâ valido igne propelleretur inde liqvor, futurum, ut is plura salis illius lixivi ramenta secum in vas excipiens attolleret, qvòd in recenti & nondum solibus compacto germine omnia viderentur apertiora, & ignium acerbitati faciliùs cessura. Nec omnino fefellit augurium; enimvero facto iterum, iterumq; apud illustrem *Gobelinum* in Parlamento Parisiensi Præsidem, bienni familiaritate mihi devinctissimum, periculo, notavi uncias sex salis sarmentorum ejusmodi remisti cùm qvadruplo cineris proprii, & omni sale vacui, reddere XXIV horarum spatio per

retor-

retortam argillaceam robuſtam, ſpiritus ſalis lixivi unciam unam, ſaporis mediocriter acris, qvæ affuſa elimato æri effecit, ut bracteolæ qvædam iridis formâ liqvori innatarent. Qvem ipſum ſpiritum hoc nomine præferendum credidi tum *Polemanniano* illi noto, tum illi alteri, ex ſale tartari, & cap. mortuo aluminis oriundo, qvòd in his peregrinæ mixturæ commercium aliqvod intercederet, in meo nullum. His tamen omnibus palmam eripere videtur *VVepferianus* ille in Miſcell. curioſ. Acad. Nat. Cur. anni ſecundi deſcriptus, & *Helmontio* attributus, de qvo tamen, ut nullis mihi hactenus experimentis cognito judicium hic ſuſpendo. Prædicanda & hic Ampliſſ. Viri *Joëlis Langelotti* ingenuitas in electiſſimâ ad *Naturæ Curioſos* Epiſtolâ ſatis ſuperqve demonſtrata. Cæterùm, cùm ex ſale illo ſarmentorum viderer mihi anſam inveniſſe in aliis qvoqve tenerioribus arborum generibus ſimilia tentandi, ex recentiſſimis cupreſſi cymis cinerem qvoqve paravi, & ex illo ſalem, inqviſiturus anne vivacior ſpiritus ex ſale vivaciſſimæ arboris emanaret. Sed interpellavere hæc conantem negotia alia, ſale interea vitro excepto, cui aliqvot pòſt menſibus nonnihil phlegmatis Vitrioli admiſcui, ut figuras ſalis cupreſſini, qvæ ab acido promptiùs colliguntur, ediſcerem. Qvid fit? iterum exacto pæne menſe, dum vitrum ſollicitiùs intueor, obſervo latera ejus interiora infinitis chamæcypariſſi figuris diſtincta, pæne autem in medio vaſe erigi unam arbuſculam digiti minoris altitudine, albam illam qvidem, ſed ſantolinæ per omnia ſimillimam, qvam ut robuſtioris texturæ, & non intractabilem, multis qvotidie ad me ventitantibus Curioſis, interqve alios Cl. *Avzotio*, *Martello*, *Aggeratio* cupidiſſimè oſtendi. Neqve dubito fore, ut ſimilia aliis naturæ conſultis appareant, dummodo & in adurendis cineribus adhibeant modum, & langvidiuſculam alioqvin ſalis lixivi naturam acido convenienter excitent. Neqve qvenqvam abſterreat illa malè nata opinio: *Non poſſe fixa ſurgere, poſt illa flammarum ſupplicia.* Enimvero & aqva ſimplex à ſale qvovis lixivo per deſtillationem in alto vaſe evocata, ſaporem

porem qvendam lixivum sui generis secum in subjectum vitrum excipiens defert, ut cuivis experiunti patebit; & salia lixiva, si cum cineribus suis aëri, loco convenienti exponantur, tandem immutationis seu πτυματώσεως speciem qvandam subeunt, de qvo instituti ratio non patitur hic qvicqvam adjicere. Interea, qvò plus in veternum & experiundi segnitiem declinabit seculum, hòc confidentiùs posthac illi plantarum resuscitationi contraibitur, qvò plus exsurget laborioforum naturæ candidatorum, hòc illi plus lucis, evidentiæq; accedet.

IX. Tandem, anteqvam hac, salium lixivorum egrediamur scenâ, intuendum restat, qvàm cruda adhuc *Conringius* in hoc genere studia in publicum propellat. Verba ejus loco citato: *Porrò constat vix posse caveri, nè istae stirpium salia urinam redoleant, pauciſsima sane fœtoris hujus immunia esse. Illa verò qvur ægro dederis, cùm suppetant alia longè suaviora, viribus tamen iisdem? Illa certè qvæ calci sunt similia, & causticam vim referunt, non temerè esse ore assumenda constat. Ut proinde non etiam sit, qvare propter salium istorum inventum Paracelsicos multùm laudes.* Responderam Dissert. de Ort. & Progr. Chem. *Nititur hic contra torrentem Conringius; cur enim non illa assumenda ore, qvæ longo annorum lapsu Umbri & Rhenani homines ad qvotidiana cibi condimenta adhibuere sine ullo sanitatis dispendio? qvæ hodieq; Oceani accolæ passim ex algâ in cinerem exustâ conficiunt, & sine noxâ usurpant? qvæ ad febrium exacerbationes sistendas feliciter qvotidie propinant Medici?* &c. Sed qvàm modestè illa excipit in Apol. *Conringius? Perqvam injurius mihi est*, inqvit, *suis calumniis Borrichius, sicut fuerat jam pridem, circa salia plantarum, qvæ lixiva vocitant.* Et mox: *Borrichiana enim ita sonant, qvasi ego ἀπλῶς omnia stirpium lixiva salia ægris negaverim: qvum tamen mihi sermo fuerit de solis illis, qvæ urinam redolent, suntq; proinde insuavia. Perversè deinde etiam me oppugnavit Borrichius: cùm & qvæ de nonnullis salibus urinam redolentibus, tum qvæ de iis tantùm, qvæ calci sunt similia, & causticam vim referunt scripsi, ad salia lixiva in universum omnia transferens.*

Hac

Haec certè vis est, & injuria magna. Mihi enim salia stirpium omnia, insuavem urinæ odorem referre, aut calci similia & καυστικὰ esse, nunquam in mentem venit, vel per somnium. Postea: *Ad febres discutiendas ipse ego felice successu jam à quadraginta annis salia ægrotis laudavi.* Tandem: *Salia absinthii, centaurii, carduibenedicti, aliarumq; stirpium mille experimentis pridem mihi etiam innotuerunt, ut monitore Borrichio non egeam.* Accidit hic propemodum *Conringio*, quod seqvioris sexûs astutioribus apud *Juvenalem*,

— — — — — *nihil est audacius illis*
Deprênsis, iras, animosq; à crimine sumunt.

Videt se manifestè teneri; videt, si Chemicus est, nulla hactenus lixiva stirpium salia à Medicis propinata esse, qvæ urinam non referrent, essentqve insvavia; videt *Galenum* l. IX. de simpl. medic. facult. c. XLI. omni plantarum lixivio attribuere καυστικὴν δημότητα, & tamen, ut audaciâ armet imperitiam, scribere sustinet: *Mihi salia stirpium omnia insuavem urinæ odorem referre, aut calci similia & καυστικὰ esse, nunquam in mentem venit, vel per somnium.* Designet ergo *Conringius* vel unum plantæ salem lixivum usitatum, nomine, qvi dissolutus urinam non & resipiat, &, si probè agitetur, redoleat, & insvavis sit, referatqve vim causticam, [utcunqve in aliis nonnihil differant] ut paradoxo ipsius credatur; qvod cùm in *Apol. suâ* non potuerit, causam suam apertissimè destituit. *Ad febres*, inqvit, *discutiendas ipse ego felice successu jam à quadraginta annis salia ægrotis laudavi.* Hanc felicitatem, ingrate *Conringi*, Paracelsicis debes inventoribus, eoqve iniqvè scribis: *Ut proinde non etiam sit, qvare propter salium istorum inventum Paracelsicos multùm laudes.* Sed videamus qvænam sint illa *Conringii* salia urinam non redolentia, nec causticа, sed fœtoris hujus immunia, & longè svaviora! *Salia*, inqvit, *absinthii, centaurii, carduibenedicti, aliarumq; stirpium mille experimentis pridem mihi etiam innotuerunt.* Officiosè rogo Cordatos Lectores, ut sine studio partium judicent, anne absinthii, centaurii, & carduibenedicti salia [nam alia no-

minare ausus non est] qvalia in pharmacopoliis ubiq; prostant, urinam dissoluta referant, & κακοπλοῦ διαθέσεως, & sint insvavia. Qvod si illis ea vis vel sulphure, vel aliâ viâ eripiatur, degenerant, & nunqvam felici successu ad febres discutiendas usurpantur. Qvin deprehensum, qvò minùs exqvisitis salis absinthii purgationibus studetur, hoc rectiùs consuli ægrotis. Neqve formidandus ille vel odor, vel sapor, cùm prudentes passim Medici, dum ea ex arte propinant, admistione rerum aliarum fœtorem istum vel temperent, vel occultent. Audiatur ipse *Conringius* l. de Herm. Med. II. c. VIII. *Quis prudens*, inqvit, *abjiciat, qvæ ori displicent, si tutò procurent sanitatem?* Accedit mirifica Conringii oblivio: ante scripserat, *omnia plantarum salia iisdem prope esse viribus, & gradu tantùm differre*, nunc, cùm premi se videt, inficiatur *omnia urinæ odorem referre, aut calci similia esse, aut κακοπλοῦ*, ut virium, & naturæ ostendat dissimilitudinem. Ut taceam, si de similitudine substantiæ sermo est, tam similia esse calci vivæ salia lixiva, qvàm tauro est hircus. Ad summam, aut ostendat svaviora illa sua plantarum salia lixiva ægris propinata *Conringius*, qvæ nec caustica sint, nec referant urinam, qvod neqvit, aut posthac, qvòd ingenui est, fateatur se nescire, qvod nescit.

X. Paullò solertiorem se ostendit *Conringius* in spirituum, qvos Chemici ex plantis destillando evocant, cognitione, nisi qvòd hîc etiam bis impingat. Primus error ejus l. II. c. VII. *Integris*, inqvit, *stirpibus profectò, aut earum succis partibusq;, spiritus illi non insunt, sed demum post factam fermentationem.* Insunt enimvero, *Conringi*, antea, sed ita dispersi, aqveisqve & terreis particulis irretiti, ut sæpe non statim ascendant, qvod musto contingit; sæpe, etsi ascendant, phlegmatis copiâ obruti non nisi tenue sui indicium lingvæ offerunt. Pleræqve odoriferarum plantarum, earumqve partes, pleraqve aromatica primâ statim destillatione, nullâ fermentatione præviâ spirituum aliqvid simul cum aqvâ profundunt, si dextrè tractentur, ut *acori, angelicæ, raphani, pimpinellæ, levistici, enulæ, zingiberis, zedoariæ, costi, imperatoriæ radices,*

dices; aurantiorum, citriorumq; cortices, cardamomum, cinamomum, cubebæ, cariophyll. Ind. Juniperi, lauri baccæ, lil. convall. majorana, piper, mentha, nasturtium, cochlearia, pulegium, rosmarinus, salvia, jasminum, flores anthos, calendulæ, lavendulæ. lil. convall. rosar. semina ammios, anisi, carvi, chærefolii, citri, cochleariæ, cumini, dauci, fæniculi, petroselini, raphani, sinapios, &c. Obduces: *aqvas illas esse, non spiritus;* profectò aqvæ sunt, sed spiritibus suis, qvos vocant, non destitutæ; repetatur enim idem eodem die destillandi labor, & subsidentibus aqvæ particulis, spirituosæ, ut loqvuntur Chemici, confestim assurgent, etiam in flammam tandem, si jusseris, admoto igne abituræ. Placuit experimentis rem definire. Igitur ex contuso pipere, per retortam in B. M. svetâ viâ aqvam sed exiguâ copiâ prolicui, qvæ ab oleo suo unà ascendente beneficio chartæ bibulæ libera manifestissimâ acrimoniâ spirituum suorum fervorem primâ statim destillatione confessa est. Nulla hic præmissa fermentatio, nulla macerationum proœmia. Subiit, obtendi posse, aroma illud longâ in navigiis, in thecis negotiantium morâ, jam ante speciem fermentationis contraxisse. Qvod aliqvid licet nihil propè esse viderem, libuit tamen ad tentamenta qvoq; in plantis nostratibus recentissimis descendere. Commodùm obtulit se thlaspi acerrimum, qvòd raptim exemptum natali solo, ut erat viride, & jam in semina iturum, destillationi statim subjicitur, prodit intra horæ spatium ab evulsione plantæ liqvor stillatitius, acris is & vehemens, spirituumqve copiam primò mox lingvæ admotu promittens. Qvin & medio Martio evulsa nasturtii aqvatici folia, per B. M. statim aqvam mihi exhibuere acrem, qvam cùm eodem die ex eodem iterum evocarem balneo, surrexit spiritibus suis adeo fœta, ut vix qvisqvam præ acrimoniâ cochleare ejus vel unum simul ore toleraret. Neqve stetit hîc impetus, ventum ad crescentes lavendulæ flores, qvi celeri manu evulsi, suppositio balnei ferventis calore, in fragrantem mox & acrimoniæ plenum liqvorem desiere, eoqve eodem die novâ destillatione purgato, in spiritum ardentiorem,

Ubi hic ficta illa *Conringiana* fermentatio! tanti est sapere ex libris *Angeli Salæ*, propriive ingenii commentis, & experimentorum fidem non sollicitare!

XI. Sequitur alius *Conringii* error: *In omnibus*, inquit, *ejusmodi spiritibus, unum ferè, idemq; temperamentum deprehenditur; nisi quòd odore & sapore nonnihil differant.* Et mox: *Si omnes autem illi spiritus (de simplicibus loquor, non autem compositis) ejusdem prope sunt naturæ, consequens etiam est, sine causâ multis sumptibus, multâq; operâ in Medicum usum usque adeo variarum stirpium numerosos spiritus parare Paracelsicos; & posse propemodum illos cùm operæ impensis parcere, si ad manum fuerit spiritus aliquis vini probè confectus.* Ergóne spiritus cydoniorum exiget calculum, quia terebinthinæ spiritui id concessum? ergóne lolii spiritus fibras ventriculi roborabit, quia id præstat mastichinus? ergóne spiritus fragorum solabitur hystericas, cùm camphoratus id agat? ergo propemodum nihil interierit, spiritúmne hordei propinemus ad propulsandam epilepsiam, an liliorum convallium, tiliæque? an in morbis malignis spiritum offeramus avenæ, an etiam carduibenedicti, juniperi, scordiive, & angelicæ? an ad excludendos flatus adhibeatur plantaginis spiritus, an anisi, carvi, fœniculi? vertiginem edomat spiritus cerasorum nigrorum, ex *Sennerto*, & quotidianâ experientiâ, sed quis audebit spiritui siliginis illam attribuere facultatem? sambuci spiritus, ex eodem *Sennerto*, magnarum virium est in spasmo flatulento, quis id sibi spondebit à spiritu atriplicis, aut brassicæ? spiritus cochleariæ scorbutum exturbat, idémne propemodum sperandum à spiritu portulacæ? spiritus visci querni adversatur morbo comitiali, guajacinus mitigat veneream luem, crocatus, cinnamomæus, rosaceus cor firmat, sed quid tale sperandum à spiritu aut alsines, aut taxi, aut esulæ, & id genus aliis? nec enim inficiandum lege artis ex iisdem quoque spiritus posse tandem evocari. Spiritus tartari ex stirpium nascitur prosapiâ, sed quem illi viribus similem dabis ex reliquo plantarum grege, sive expugnandus hydrops,

drops, sive solvenda paralysis, sive exigenda urina, sive arthritici dolores expugnandi: spir. certè vini nihil hîc egregium præstabit. Hinc puto in confesso esse, licet spiritus plantarum in qvibusdam conveniant, specificis tamen virtutibus oppidò discrepare, de qvo & experimentis qvotidianis admonemur. Dices, *incenduntur omnes*, incenditur & sulphur rupium, & oleum petrarum, & pingvedines animalium, neqve tamen ideo non differunt: *inebriant omnes*, sed idem præstat ex apibus hydromeli, ex lacte eqvino potus Tartaricus, [ut ex *Joh. Lucæ* Relat. Tartaric. constat] neqve propterea non discrepant. Qvin immò, cùm postea: *Plantarum*, ait, *spiritus ab oleis non multùm differunt*, prostituit apertissimè causam suam, enimverò hoc pacto, cùm certum sit olea specificis dissidere viribus, necesse fuerit, discrepare iisdem spiritus. Tandem videtur etiam sensisse absurditatem thematis sui *Conringius*, cùm declinare studuerit distinctione inter spiritus simplices, & compositos, sed adeò non se expediit hâc via, ut implicuerit magis. Si enim omnes stirpium spiritus simplices ejusdem prope sunt naturæ, necesse est compositos esse pæne ejusdem; ecqvid demum constituet discrimen, *si in omnibus idem ferè temperamentum est?* ergo spiritus pectoralis erit hystericus! spiritus stomachicus antidotalis! spiritus cephalicus nephriticus! hoc est cœlum terræ miscebitur, terra cœlo. Qvid multis? ut ad simplices spiritus redeamus, si ejusdem illi prope naturæ sunt, cur drachma una spiritûs radicis *Addad* hominem intra horæ spatium enecat, ut est apud *Jo. Leon.* in Descr. Afric. & spir. hordei non præstat idem? Aut si hoc non sufficit, propinet *Conringius* suæ fidei commisso apoplectico spiritum vini, cui tantum tribuit; aut, si mavult, laureolæ, ego fl. tiliæ, aut ceraforum nigrorum; propinet scorbutico spiritum napelli, aut solani furiosi, ego cochleariæ; propinet vertiginoso spiritum cicutæ, aut nucis vomicæ, ego serpilli aut liliorum convallium, & docebit novissimè res ægri, utri se accommodet prosperior fortuna.

XII. Olea stirpium laudat *Conringius*, *qvæ citra combustionem*

nem parantur, ſolâ nempe qvadam ebullitione; cætera *ut grave ἐμπύρευμα redolentia, licet ſtudeas corrigere*, averſatur, ſvadetqve *ea ne ore qvidem delibanda, tum propter nidorem, tum propter aliorum, meliorumq; copiam*, qvin *vix ad uſus accommodanda externos, qvod unguinibus etiam aliis miſta puſtulas excitent & pruritu, cum tumore.* Cæterùm nè ſic qvidem Chemici ſiniſtro augurio olea illa graveolentia in ſcenam induxere. I. Velim ſcire qvis eorum, uſum oleorum ejusmodi fœtentium internum præfractè urſerit? II. Fac tamen univerſos urſiſſe, nihil decedet glorioſæ veritati: conveniunt enim, immò generoſiùs hoſtem adoriuntur, qvàm cætera illa fragrantiora, qvippe ſpiculis inſtructiora ſalinis altiùs penetrant, & agunt efficaciùs. Naſcantur odoratiora alia fortunæ filiis, hæc agricolas, nautasqve, & militare vulgus promptiùs graviſſimis ſæpe ægritudinibus expediunt. Notavi proletariorum calculos exigi aliqvando feliciùs viliſſimo & fœtido fraxini, juniperiqve oleo per deſcenſum expulſo, qvàm ditiorum aut lyncurii pulvere, aut Peruviano balſamo, aut reformato althææ ſyrupo, aut ſucco Ananas, aut decocto troglodytæ paſſeris. Putet galbani oleum, ſed hyſtericis propinatum mirè ſolatur. Fœtet oleum fuliginis, ſed ſupra margaritas & gemmas excitat cor ruſticæ deliqvio langvens. Vox *Schröderi* in Pharmac. *Spiritus ac oleum fuliginis confortativa inſignia ſunt, mirabiliter agoniſantes exhibita refocillant.* Liceat ergo egeno, liceat ſemianimi tam vili pretio reviviſcere, & in parabilibus adeo etiam plebeculæ medicamentis bonitatem Numinis venerari. III. Neqve tantopere exterreat qvenqvam ἐμπυρεύμα] & horror, ſubitâ deglutitione relegandus. Ut taceam, inter extremos morborum labores nè attendere qvidem ægrum qvid hauriat, ſed bonâ fide os patulum ingerentibus præſtare, adeoqve non illo temporis articulo faſtidienda ulli qvæ fœteant, dummodo proſint, & hoſtem expugnent. IV. Diverſis modis fœtor ille vel mitigatur, vel tollitur, repetitâ deſtillatione, longâ ſub dio morâ, affuſione cinerum, cohobatione ex aqvâ ſimplici, aliis viis, ſed interea diſſimulandum non eſt, qvo apparatiùs fœtori

tori illi tollendo obviam itur, hoc plerumqve nobiliorum virium plus unà exſtirpari. Nunc intueri libet, oleúmne illud nidoris ingrati ab uſu externo removendum. 1. Si ideo damnandum, *qvòd frequenti affrictu, puſtulas tandem & pruritus cum tumore excitet*, idem fatum erit oleorum delicatiſſimorum rorismarini, lavendulæ, gariophyllorum, ſalviæ, qvippe & hæc cutim tandem in tumorem & ſcabiem efferare ſolent, utcunqve olea alia mitiora ſollicitè admiſceas, qvod mihi in paralyticorum brachiis & pedibus non rarò obſervatum, qvibus non ſolùm ſpiritus qvivis, ſed & qvodvis oleum; immò & ſola ſimplex pingvedo humana longâ morâ affricta tandem pruritum & ſcabiem imprimit. Nè adjiciam, affricto diuturnâ qvotidie patientiâ parte alicui corporis ſive linteo aſperiori, ſive agiliori duntaxat manu, fieri noviſſimè evocato in cutim copioſiori, qvàm par eſt, calore, ut omnia latè ulcuſculis & furfuribus obſideantur. Id ergo temperamentum Medicus prudens in gubernando olei hujus uſu tenet, nè qvid inconſultò; id qvod niſi in oleorum qvoqve aromaticorum & ſvaveolentium inunctionibus proviſum ipſi, graviùs in his ut ardentioribus peccabit, qvàm in illis. 2. Præſtant id ſæpe olea fœtida, qvod aliis propemodum inconceſſum. Qvid tam potenter reſolvit nodos Venereos, qvàm affrictus olei gvajacini, utcunqve delicatulis odore faſtiditi? qvid tam evidenter maturat bubones, & anthraces, qvàm galbaneum? nè qvid nunc de ejusdem in hyſtericis, ſpaſmodicisqve uſu nobiliſſimo adjungam. Qvid adeo olivarum oleo è laterculis propulſo, eoqve in minutiora & agiliora ramenta ſed cum fœtore diſcerpto efficacius in paralyſi, ſpasmo cynico, iſchiade, aliis? oleum tartari fœtidum qvid præſtet ſupra vulgata illa pharmacopolarum emplaſtra, in diſſolvendis tumoribus duris, ſcirrhisqve, in vulneribus ad laudabilem ſuppurationem perducendis, utinam ſcirent Chirurgi omnes, feliciùs haud dubiè in ſuâ arte verſarentur. Cujus uſum ægris ſalutarem, & ſibi lucroſiſſimum [qvod ingredientia ungventorum ſuorum occultâſſet] multis mihi commendavit Argentinæ

tinæ vir experientiſſ. *D. D. Beza* ſenior, longâ & felice praxi celebris. Tacebo nunc graveolentis olei buxei, colurni, fraxineiq; vires, qvibus reſtituitur ſæpe egenus à mulierculâ, aliorum ope jam deſtitutus. Ipſe ego memini *VVilhelmum Legel* noſtratem, cùm ex longâ per tractus Coromandellæ peregrinatione redux in paralyſin incidiſſet, beriberi Indorum, de qvo *Tulpius* Obſerv. l. IV. c. V. perſimilem, in generoſiſſimis qvibusqve pharmacis, etiam in Sumatræ *miniac tennah* qvæſiſſe levamen, ſed in nullo evidentiùs, qvàm in nidore olei fraxinei inveniſſe. Ad ſummam, gratæ gratiæ debentur Chemicis, qvibus nè intacti qvidem fuere nidores, ut hac qvoqve parte ſervirent humano generi, & nidulantia in corpore mala tam leni, & egentiſſimis etiam parabili pharmaco exterminarent. Aliorum eſto pharmacorum medicari jucundè, dummodo hoc id efficiat citò, & tutò. Neqve verò deeſt via, qvà pro locupletioribus etiam ex eodem oleo cum ſale ſuo & ſpiritu diſſoluto medicamentum exſurgat, nec odore ingratum, & efficaciâ potentiſſimum. Qvemadmodum & facile proſpicitur, nè olea generoſiora propinata nimiùm æſtuent, qvod timet *Conringius*, qvippe momento temporis in ſpir. vini tartariſato diſſoluta, cuivis ſe liqvori promptè remiſcent, atqve ita pro arbitrio licebit, ſi libet, vel centeſimam ſaltem guttæ partem ſorbendam ſimul offerre, vel ſi qvid illâ minutius, qvâ viâ nimius æſtus opportunè prohibetur.

XIII. Sed dantúrne olea refrigerantia? ſi *Conringium* audimus, neqvaqvam. *Graviter*, ait, *peccat Qvercetanus, norunt, inqviens, Chymici arte ſuâ frigidas eſſentias educere, nec non olea: macerando ſcilicet in aqvâ qvatuor ſemina frigida, ex qvibus atqve ex ſeminibus papaveris, ea olea extrahunt, aut eſſentias, qvæ tu negare frigida non auſis. At profectò in tantum hæc abſunt à verò, ut olea illa ſint ipſi ignes vitales plantarum fixitatem qvandam viſcidâ olei ſubſtantiâ adepti.* Et mox: *Reapſe nimirum ignis plantarum nativi olea ejusmodi qvaſi aliqvod ſunt compendium.* Hæc ille. Non id ſeqvitur, Conringi, *ſi olea plantarum ſunt earundem ignes vitales, ergo*

eadem

eadem non refrigerabunt. Sint ignes plantis, non ideo ſtatim incendent homines; ſangvis piſcium viventium vehit eorundem ignem vitalem, & tamen manum hominis adeo non calefacit, ut refrigeret. Proinde non mirum, ſi oleum qvat. ſemin. frigid. expreſſione modeſtâ extractum, ſi oleum papaveris ſimile, *Qvercetano* exiſtimetur frigidum. Nihil adeo hîc peccatum. Inflammas abeant ad candelam, dummodo in corpore humano inflammationes ſiſtant, & interpellent. Nihil enim reſpectu noſtri calidum æſtimandum, niſi qvod ingeſtum calefaciat, niſi qvòd à calore noſtro accendi poſſit. Ideo butyrum pituitoſos non inflammat, licet ad ignem majorem, qvàm noſter eſt, totum ſit inflammabile. Præclarè *Galenus* de ſimpl. Medic. facult. l. 1. c. 11. *ſumendum maximè*, inqvit, *facultatis judicandæ experimentum ab eâ re ad qvam dicitur, ſiqvidem non protinus, ſi hominem refrigeret cicuta, & ſturnum refrigerabit, aut ſi ſturnum nutriat, nutriet & hominem. Eadem ratione, neqve ſi hominem purget veratrum, continuò purgabit & coturnices.* Et ibid. c. XI. adjicit, *multa eſſe facultate calida, & facile accendi, verùm nos haud facile excalfacere.* Iterum c. XIII. *Calami aridi & pili accenſi, tametſi promptiſſimè accendantur, nos tamen contactu ſuo non excalfaciunt, qvippe qvi à noſtro calore mutari ita neqveunt, ut recalfaciant.* Et hæc eſt vera & ſolida ratio, cur veteribus, inqve iis *Galeno* judicetur hyoſcyaminum, omphacinumqve oleum refrigerare, qvia licet inflammabili gaudeant ſimul naturâ, ab humano tamen calore ita incitari, moveriq; neqveunt, ut fervorem ullum cauſſentur, ſed potiùs viſcidioribus ſuis particulis qvietem corpori & frigus inducunt. Qvid ſi & idem propè judicium ſit de camphorâ, deqve opio, præſertim in corporibus pituitoſis? de qvo forſan alibi prolixiùs.

XIV. De Extractis. Sed invenit & Conringius, qvod *Extractis* Chemicorum opponeret. *Solent*, inqvit, *noſtri extracta longè rectiùs depurare, qvàm veteres. Verùm hoc, ut gratius qvidem eſt oculis, ita ſæpe conjunctum eſt cum magnâ virium diminutione.* Turbida nimirum vult extracta, ut efficaciora deprehendantur.

Ante tantopere cautum voluit naribus, nè oleorum ἐμπύρευμα olfacerent, nunc nihil dandum etiam oculis credit, utcunqve clara & limpida desiderantibus. Sed is, qvi jam turbida & fæculenta nobis obtrudit extracta, non advertit malè secum actum iri, si ex lege suâ, juberetur ipse turbidam perpetuò bibere cerevisiam, ut efficaciorem, neqve enim est qvicqvam aliud cerevisia, qvàm certo modo præparatum hordei & lupi salictarii extractum. Sint ergo vulgaria pharmacopœorum decocta qvandoqve turbida, certè extracta ut defæcatiores substantiæ ab immunditie illâ immunitatem sibi deposcunt, qvæ non propterea desinunt esse viribus incitatissimis, de qvo si qvis dubitet, experiatur absinthii, angelicæ, aristolochiæ, bryoniæ, centaurii, castorei, croci, enulæ, gentianæ, hyperici, myrrhæ, opii, zedoariæ vires in extractis pellucentibus eminentissimas. Aut si purgantia desideret, qvid extracto agarici, colocynthidos, hellebori nigri, esulæ, jalappæ, gratiolæ, gummi gotte, rhabarbari, fol. sennæ, scammonii, turbith, operatur efficaciùs? ut insigniter à verò deficiat *Conringius*, cùm scribit:

XV. *Jam dudum qvoqve usus, atqve experientia castigavit errorem Paracelsicorum, qvasi nihil non ejusmodi possit extractis contineri: purgantibus tantùm non omnibus exspectationi adversantibus.* Hoc enimvero est claro meridie caligare. Demonstet vel unum ex vegetabili regno germen purgans, qvod hac parte exspectationi adversetur, & credemus paradoxo. Paullò ante ex Scriptore aliqvo Chemico tradere potuit, *spiritu vini nihil ad resinosos succos solvendos aptius esse*, & tamen, cùm in resinosis partibus resideat potissimùm vis plantarum purgatrix, colligere non potuit, purgantia spiritui vini parere, & ejus beneficio facile in translucentia extracta facescere, qvod magnum utiqve inconsiderantiæ argumentum est. Sed videamus, cur purgantia tantùm non omnia *Conringio* existimentur in extracta cogi non posse. *Est autem*, inqvit, *hoc damnum commune omnium virium in tenui & valdè volatili substantiâ hærentium. Abeunt nimirum & exhalant illæ interim dum succus*

educi-

educitur & calore inspissatur. At 1, spirituosæ illæ vires in recentium plantarum succis non adsunt, sed post fermentationem demum accedunt, si credimus prioribus *Conringii* decretis, ergo vanus fugæ metus est, si qvi fugiat, adsit nullus. Deniqve ruminetur illud suum: *purgantium, adstringentium, attenuantium vires non transire in aqvas sensu & experientiâ docemur.* Si purgantium vires non ascendant in aqvas, qvò abibunt in confectione extractorum? non exhalant, nam in alembicum vulgari modo non assurgunt, ad latera non recedunt; clauduntur enim altiori vitro, nec poros penetrant, ergo remanent purgantium vires tum in extractis liqvidis, tum spissis, dummodo operatio in cucurbitâ vitreâ altiusculâ instituatur. Hæc qvidem ex *Conringio* contra *Conringium.* Ego autem, qvanqvam non is sim, qvi obstinatè negem viâ ingeniosiori posse ex catharticis aliqvid attolli, qvod purget, de qvo mihi ante disputatum, id tamen certum est, totas purgantium vires in valde volatili substantiâ non hærere, eoqve doctè & operosè per experimenta probatum est *Clar. Pechlino*, vulgari methodo nihil adeo catharticum assurgere, ut in resinosis & compactis particulis plerumqve defixum. Neqve in contrarium qvicqvam potest illud *Helmontii* à Conringio allatum: *Plus efficit una drachma rhabarbari crudi pulveretenus exhibiti, qvàm qvicqvidè sesqvidrachmâ extraxeris.* Enimvero Chemici non omnem virtutem sollicitè extrahunt, memores illius triti: *minima non curat Prætor.* Qvin nec infusum, nec decoctum trium drachmarum rhabarbari tantum præstare solet, qvantum drachma una pulveris. Deniqve fac, plus purgare drachmam unam rhabarbari, qvàm extractum sesqvidrachmæ, non ideo neqvit extrahi tota virtus cathartica, sed extractum illud resinosum, utcunqve per se satis efficax, jam ab acido ventriculi frænatur, qvò minus totas vires suas explicet, jam parietibus ventriculi lentâ pituitâ obliti agglutinatur, hæretqve ad aliqvot dies, & tandem, nisi advertas, arreptâ occasione hypercatharsin inducit. Proinde resinæ illæ prudentem reqvirunt Medicum, à qvo gubernentur. Reli-

qva extracta, qvæ aqvis eliciuntur, initio qvoqve sic satis pellucent, ut illa plantaginis, bellidis, cichorii, &c. qvia tamen in liqvidiori formâ situm tandem contraherent, commodius visum Chemicis eadem in spissum corpus coagulare, rejectis tamen excrementitiis fæcibus, nè non extracta censeantur, sed succi crudi spissati.

XVI. Sed nec Tincturas ab ungve suo *Conringius* intactas reliqvit: *Parum abest*, inqvit, *qvin πειρᾶν habenda sit omne Paracelsicorum studium in tincturis, qvas appellant, stirpium eliciendis. Est sanè illorum hac in re studium maximum; nitens illâ opinione, qvasi ita demum possideant ipsi integram omnem arcanam stirpium vim. Sed acceptum oculis colorem illum esse nemo negaverit. Ad medicum autem usum qvi juvet, haud perinde liqvet, cum coloris in medendo nulla sit efficacia.* 1. Demonstrandum erat, Paracelsicos in tincturis integram omnem vim arcanam stirpium agnoscere, & non nudè sine auctoritate affirmandum. Manus nostræ oculatæ sunt, credunt qvod vident. 2. Nobilissimas in tincturis delitescere vires facilè ostendent illæ coralliorum, hyperici, majoranæ, fl. pæoniæ, succini, aliorum tincturæ, qvibus feliciter qvotidie utuntur Medentes. 3. Colores etiam in medendo & offendendo non esse inefficaces persvaderi sibi facilè patientur, qvi conspiciunt mulceri & roborari oculos lippientes sapphirinâ & smaragdinâ tincturâ, offendi rubicundissimâ, [qvæ & tauros in intemperiem agit] melancholicis atra cubiculi peripetasmata non inservire, nisi malo aggravando.

XVII. Agmen claudit Conringianum illud: *Merè Paracelsicum autem institutum est de stirpium viribus, ex colore & figurâ externâ divinare, non enim hujus ullum vestigium apparet in omni prisco ævo.* Nimis & ista liberaliter *Conringius*; neqve enim dubium esse potest versanti antiqvorum scripta, deductos fuisse insalutarem plantarum qvarundam usum mortales ex singulari earundem figurâ, ejusqve attentâ contemplatione. Ad rem *Dioscorides*

rides l. IV. c. CXCV. *Scorpioides*, inqvit, *herbula est, foliis paucis, & semine caudæ scorpionis effigie. Hac illita contra scorpionum ictus præsenti sunt auxilio.* Qvis tam hebes est, qvi non videat hic antiqvos ex signaturâ seminis hujus ad medicandum processisse. Iterum *Dioscorides* l. IV. c. LXXVII. *Radix aconiti pardalianchæ scorpionis caudam similitudine refert. Hanc admotam tradunt scorpioni paralysin inducere.* Idem l. III. c. CXLI. & CXLII. refert *Thessalicas mulieres radicem orchidis ad excitandam libidinem propinare*, haud dubie figurâ testiculorum eo inductas. *Plinius* l. XXVI. c. X. *Sed inter pauca mirabilis est orchis herba, sive serapias, foliis porri, caule palmeo, flore purpureo, geminâ radice testiculis simili, ita ut major, sive (ut aliqvi dicunt) durior ex aqvâ pota excitet libidinem: minor, sive mollior è lacte caprino inhibeat.* Enimvero non frustra sapientissimum rerum architectum ejusmodi in creatis signa reliqvisse non modò pagani hi viderunt, sed & ad usum humano generi propagando fructuosum prudenter verterunt. Esto, non videantur respondere eventui figuræ omnes, certè ignaviæ, si verum fateri libet, humanæ est, non accuratiùs adhuc inqvisivisse, neqvaqvam signaturæ Divinæ, qvam nihil otiosè præformâsse existimandum. Novissimè, ut evidentiùs adhuc videat *Conringius* se se deceptum fuisse, cùm ista scriberet: *non enim hujus ullum vestigium apparet in omni priscô ævô*; recognoscat mecum illa *Plinii* l. XXVII. c. XI. *Lithospermi lapillis drachmæ pondere potis in vino albo calculos frangi, pelliq; constat, & stranguriam discuti: neqve in aliâ herbarum fide est visus statim, ad qvam medicinam nata sit: est autem ejus species, ut etiam sine auctore nosci possit.* Qvo efficaciùs contundi opinio *Conringiana* non potuit.

Cap. VI.

I. Non cogi Paracelsicos identidem ad remedia Galenica, sed liberè jam his uti, jam illis. II. Esse morbos, qvi remediis Galenicis non cedant, sed tantùm Chemicis. III. Non res omnes destillando à genuinâ seminum potestate alienari. Decocta rectiùs hodie parari qvàm olim, idqve Chemicis deberi. IV. Non minùs peccari posse in medicamentis Galenicis drasticis, eorumqve dosi, qvàm in Chemicis. Non minùs fortuitò in qvædam pharmaca incidisse Galenicos, qvàm Chemicos; neqve reliqva, qvæ Conringius Chemicis objectat, feliciùs se se habere. V. Calcinatorum naturam sic satis perspectam esse Chemicis. Ex qvibusdam per corporum combustionem paratis vires easdem elici posse, qvæ in integris fuere. VI. Nullam hactenus experientiam evicisse, non dari posse liqvorem omnia mixta dissolventem. VII. Conringium contra qvintam essentiam Chemicorum frustra armari.

C*onringius* l. II. c. VIII. multus in eo est, ut demonstret vulgarem illam præparandorum pharmacorum consvetudinem damnandam non esse, eò potissimum argumento, qvòd modo illo rudiore omnium gentium, seculorumqve Medici usi sint, & nullo non ævo qvidam felicissimè. Cui qvidem collectioni etsi parum fortasse roboris tribuerent alii, ad persvadendum id, qvod urge-

urgetur, præsertim si cogitare libeat, tum mortales inventis olim frugibus uno agmine fastidisse glandes, tum gentium omnium medicinam ab orbe condito Galenicæ respondisse præparationi durum videri postulatum, nihilominus non id agunt Chemici sapientes, ut medicamentis Galenicis abrogetur fides, ut adimatur sua efficacia compositis qvibusdam vulgaribus, qvippe qvæ *Paracelsum* ipsum, & asseclas non rarò usurpâsse constat, sed in hoc evigilant curæ eorundem, ut nitor & elegantia, ut decus & robur vetustæ præparationi accedat; ut vis, qvæ ante in bilibri potione sparsa, commodè in selibram commigret. Id qvod adeo nunc feliciter etiam assecuti videntur, ut pauca extent totâ Europâ hodie pharmacopolia publica, qvæ illorum non gaudeant inventis, qvæ non à selectioribus illis medicamentis Chemicis aucupentur decus & gloriam. Proinde non tanto apparatu opus fuisset, ad docendum id, de qvo inter eruditos hodie convenit.

I. Sed audiri meretur sententia Conringii: *Qvòd omnes Paracelsicos cogat veritas recurrere identidem ad illa superbè aliàs spreta* [Galenica] *suis magnalibus relictis.* Eqvidem *Paracelsum* ipsum qvod spectat, non recurrebat is ad Galenica, sed utebatur pro arbitrio jam plantis, jam metallicis, ut ostensum priùs; & qvid ille ad Galenica recurreret? qvi *laudano* suo Chemico, qvod oculato testi *Oporino* debemus, mala desperata tollebat facillimè. Paracelsici utuntur promiscuè plantis & metallicis, sed more suo nitidiùs, efficaciusqve paratis. Qvòd si aliqvando spem ponant in arcanis qvibusdam imaginariis, frustratiqve alia usurpent, indicio est vera Paracelsi arcana ignota ipsis esse, adeoqve hac parte non peccare ut Paracelsicos, sed communem cum Dogmaticis errare errorem, ut qvos & freqventer sua decipiunt pharmaca, maximè qvæ totâ agere substantiâ *Galeno* memorantur, qvibus exspectationem frustrantibus & illi ad vulgata simplicia recurrunt.

II. Mirum autem, cùr *Conringius* tantò fervore contra *Paracelsum* urgeat, *plures esse morbos immedicabiles*, cùm hîc immemor

mor sui confidentiùs in hæc verba erumpat: *Nihil non morborum hactenus sine Chemicis curatum.* Et: *Neqve verò nominare est morbum aliqvem, aut affectum, qvem non liceat sanare absqve auxiliis istis Chemicis.* Enimvero confirmatum hydropem, confirmatam phthisiu, confirmatum cancrum, ut plura alia prætream, nominare facile est, sed curare vix ulli Galenico hactenus concessum. Obduces, nec id concessum Chemico. Verùm non id nunc agitur, qvid concessum sit Chemico, qvid non; id tantùm docetur, auxiliis Galenicis sanari ista non posse. Sed ut propiùs accedamus ad hunc ignem, vel uno luis Venereæ exemplo certum est confutari planissimè *Conringium*, illa enim si pertinacior est, respuit omnia Galenica pharmaca, & soli mercurio à Chemicis prudenter introducto in hanc scenam auscultat.

III. Scribit *Helmontium* veritatis vi adactum profiteri; *recedere res, & alienari destillando à genuinâ seminum potestate*, id de qvibusdam præsertim flammeo igne exercitis non eqvidem negandum, sed adjungendum unà, prudentem Chemicum tam in ministrando igne, qvàm subjecti, qvod præ manibus est, naturâ regendâ illud adhibere temperamentum, qvod instituto conveniat. Et salva res est, cùm proximè *Conringius*, ex eodem *Helmontio* ut verum adjiciat: *Qvæ autem nova fiunt per ignem, sæpe deteriora fiunt*, [sc. si ab ignaro rerum gubernentur:] *ac etiam non rarò ita à se ipsis prioribus distincta, ut centuplo fiant meliora.* Qvod autem postea ex *Fernelio* de iis, qvæ in decoctorum, & infusorum præparationibus dissipantur, adducit *Conringius*, qvis dubitabit *Fernelium* rationem hujus rei à Chemicis didicisse, ut à qvibus multa mutuatum esse ipse *Conringius* l. II. c. X. diffiteri neqvit, & vel unum ejus de *Abdit. rer. caus.* scriptum declarat. Prudentiores hodie decoctionem nonnunqvam instituere in vasis clausis, diplomate, balneo certum est, sed certum itidem, *Cæsalpinum* hoc non nisi à Chemico aliqvo Magistro percepisse, nam frustra ingeniosam illam enchiresin in *Hippocrate* & *Galeno* qvæsieris.

IV. Varia iterum conglomerat *Conringius* invidiam Chemicis

micis medicamentis, si Dis placet, creatura; nec contentus uno capite admordisse rem unam, diversis sæpe locis in eandem invehitur, animosiore plerumqve calamo, qvàm benigniore fortunâ. Repetit, *in dosi pharmacorum Chemicorum peccari posse*, potest & idem peccatum committi in opiatis, emeticis, catharticis Dogmaticorum; immò nè peccabit qvidem in dosi Chemicus sapiens, & circumspectus. Illud autem *Conringii*, *pleraqve Chemica esse δογματικώτατα*, falsum esse qvotidiana experimenta docent. Repetit, *Chemicos facto temerè per varios conatus periculo, in diversas præparandi rationes, & morborum remedia incidisse. Artem autem* [Galenicam] *errores & dubia omnia excludere.* Non memorabo, infinita Galenica remedia innotuisse primùm fortuito casu, profectò bonos viros in laudabili & honesto conatu attentè desudantes temeritatis insimulare, bono viro indignum est. Atqve utinam Galenica ars ita certis, firmisqve inniteretur principiis, ut non qvotannis necesse esset conari alia atqve alia; & postqvam omnia, qvæ in artis illius hactenus cognitæ potestate sunt, exsecutus sis, in plerisqve nihilominus pertinacioribus morbis curandis frustra occupari! Adjungit, *Chemicos nihil non suo more præparandum suscipere, sæpe tamen præparationem nullam optimam esse. Chemicos semper separare, cùm sæpe aliqvid addendum sit; Chemicos vim omnem Medicam in qvintâ essentiâ, qvæ nulla est, constituere; virium thesaurum in tincturis ponere, cùm coloris in agendo vis nulla sit; duvi omnia solvere & dividere moliuntur, ludere operam in auro, argento, & hydrargyro, ut qvæ resolvi neqveant omnino; inaniter illos laborare in reliqvis metallis, conchyliis, coralliis, margaritis; seqvestrationem partium perperam duntaxat ab arte exspectare, cùm rectiùs illa instituatur in humano corpore.* Pleraqve horum jam ante *Conringius*, & propemodum frustra exprobravit Chemicis, sed gaudet iterum spolia sua intueri, & recoctâ crambe lectorum blandiri palato. Verum enimvero norunt Chemici, etiam non admonente *Conringio*, qvando strigandum, qvando lirandum, hoc est, qvando præparatis, qvando non præparatis utendum. Ipsi scriptis

suis *Conringium*, qvid facto opus sit, edocuere, alioqvin in opere toto jejuniorem omnino futurum, & tamen, qvæ ejus obliqvitas est, qvod à Chemicis didicit, in Chemicorum jam vertit opprobrium. Neqve separant Chemici semper, sæpe jungunt separata, sed pura. De qvintâ essentiâ nil adeo opus ut litigetur, cùm sit in *Paracelsi* scholâ controversia duntaxat de nomine, ut proximè ostendetur. Tincturæ & probantur oculis, & defæcatis suis partibus corpori humano medentur. *Aurum & argentum non posse resolvi omnino*, imperiti est asserere, ut supra docuimus. Non inaniter laborari in coralliis & margaritis, qvotidiana evincunt experimenta. Humanum corpus sanum eqvidem non incommodè alimentorum partes secernit, morbosum autem qvomodo instituet separationem partium medicamenti, cùm nè qvidem alimenta rectè qveat digerere? Mirum autem cur ita confidenter concludat *Conringius: Tot*, inqvit, *immò longè pluribus, circa materiam medicam duntaxat, adeoqve tantùm circa subjectum pharmaceuticum erroribus longè profectò gravissimis Paracelsici nostri irretiti sunt hodieq; vulgò ferme omnes.* Qvod usqve adeo à vero alienum est, ut neqveat *Conringius* vel unum sapientem Paracelsicum ostendere, qvi hodie intentatorum criminum nomine justè accusari possit.

V Utrum ea, qvæ ignis & menstrui beneficio producuntur, actu sint in corporibus integris, sæpe disqvirit, sæpe negat *Conringius*, licet Medentis non ita multum interfit, utra præferenda sit opinio. Sive enim actu ibi fuerint ante, sive potestate duntaxat, perinde propemodum fuerit Medico, dummodo actu jam oblatis feliciter uti liceat. Esse tamen plura eorundem actu in corporibus non imaginariâ tantum potentiâ, qvod proximè excipit caput, luculentè demonstrabit. De cætero artificem non olet illud Conringii: *In præparationibus verò per ignem longè omnium gravissimè peccant Paracelsici, qvando existimant interventu calcinationis posse elici talem vim, facultatémve, qvalis integris rebus inest. Impossibile enim est qvin illa ignis vehementia, qvâ corporum tota crassiores*

fiores partes in calcem aut cinerem rediguntur, etiam tenuiores omnes multum mutet. Et mox: *Est autem res sensibus omnibus evidentissima de oleis* &c: *uno verbo de omnibus, quæ parantur per corporum combustionem.* Sanè nemini Paracelsicorum [nisi fungos advocare velit] vel per somnium venit in mentem, calcinatione nihil virium in plantis & animalibus, resinis, salibusqve immutari. Deniqve si de combustis metallis plerisqve qvæstio est, illa totis licet diebus vulgariter calcinata, ingenium non deponunt, & post tot flammarum cruciatus, nisi unum fortè plumbum candidum excipias, omnia in idem, qvod fuere ante, metallum restituuntur, qvod artis consultis notissimum est, utcunqve *Conringio* hic videatur inexploratum. Ad rem *Isaacus Hollandus* Min. l. II. c. LXXXVI. *In omnibus rebus combustibilibus*, inqvit, *separatur oleum ac humor naturalis vehementi ac diuturnâ ustione à terrâ suâ, nisi in metallis ac metallicis rebus, in iis oleum à terrâ non separatur, sed semper in igne terræ adhæret, qvamvis in æternum urerentur.*

VI. Pleraqve alia, in qvibus hîc se Roscium ostendere laborat *Conringius*, ex superioribus redarguere non difficile est; præsertim si unà expendamus vitia illa, qvæ Paracelsicis attribuit, & verè inter vitia numerari merentur, plerumqve inertium tantùm circumforaneorum esse, à veris Chemicis jam olim luculentè confutata, adeoqve supervacuum in plurimis laborem illum Conringianum fuisse. Liqvorem autem illum omnia dissolventem corpora, cui menstrui universalis nomen indidere, non tam promittunt Chemicorum pleriqve, ut putat *Conringius*, qvàm inqvirunt, &, si per illum licet, posthac sine cujusqvam injuriâ inqvirent, memores Hippocratici illius l. 1. de Diæt: Μεμφθῆναι μὲν ἔστιν ἀδυνάτοισιν ἀξιόν ἐστιν, ἢ μὴ ἐδυνήθησαν ἐξευρεῖν· ἐπαινέσαι δὲ μᾶλλον πάντας, ὅσοι ἐπεχείρησαν ζητῆσαι: & *Apuleji* in Florid. *Omnis bonis in rebus conatus in laude est, effectus in casu.* Neqve absterrebit, opinor, qvenqvam Conringianum illud: *Experientia sanè convincit errorem illum. Neqve enim hoc seculum, qvo maximè laboratum in Chemicis est, talem liqvorem hactenus vidit.* 1. Etenim *Conringio*

ignotum est, qvid hoc seculum possideat, neqve enim ad ejus pulvinar Curiosi omnes inventa sua suspendunt. 2. Fac tamen plerisqve hodie ignorari, multa ferent anni venientes, multa inveniet sollicitior inqvisitio vulgo incomperta. Experimentis subtilioribus nondum satis litatum est, eoqve multa adhuc in obscuro delitescunt. Interea illud unum expendi velim à laudatissimis Naturæ Consultis: si una & simplex, sed curiosa tritura omnia ferè corpora eò tandem redigere potest, [& potest sanè] ut in qvosvis propemodum liqvores transferant multum virtutis suæ, non videri absonum, inveniri posse talem unum liqvorem, qvi id ad minimum præstet, qvod una præstat tritura. Sed aliò vocat *Conringius*: &, *Repugnat*, inqvit, *experientiæ conatus plurimorum metalla & lapides solvendi per liqvores omnis acrimoniæ vacuos, aut olea stillatitia plantarum.* Qvam id non repugnet experientiæ, discat, licet, *Conringius* ex eruditâ Amplissi. *Joëlis Langelotti* epistolâ, in qvâ corallia docet toto corpore dissolvi in oleo vegetabili stillatitio & miti. Immò & ego sæpe plumbum in oleo qvodam stillatitio vegetabili sine igne dissolvi, de qvo forsan aliqvando *in Act. Med. Hafn.* operosiùs.

VII. Qvæ de qvintâ rerum essentiâ prolixè disputat *Conringius* c. IX. ut evertat *Sennerti*, *Fernelii*qve opiniones, non vulnerant utiqve Paracelsicos, utcunqve liqvidò probaret analogam aliqvam stellis substantiam corporibus inferioris hujus mundi non inesse. Nihil enim tale in qvintâ illâ essentiâ postulavit magnus ille *Helvetius*. Sed qvid impedit saltem intueri argumenta *Conringii*, qvæ *Fernelio*, *Sennertoqve* objecit, fidem coactura? *Nullo*, inqvit, *signo vel levissimo colligere est sublunaribus cœlestem aliqvam substantiam inesse.* Cumqve memoriâ teneat, à *Sennerto* contrà, ut alia multa, ita qvoqve adduci illud *Aristotelis* l. II. de Gen. Animal. c. III. Πάσης δὲ ψυχῆς δύναμις ἐπέρχει σώματι καὶ ἔοικε κεκοινωνηκέναι, καὶ θειοτέρα τῶν καλουμένων στοιχείων Et mox adjici: *Illud qvod fœcunda reddit semina non ignem esse, aut talem aliqvam facultatem, sed in semine præsentem* Φύσιν ἀνάλογον τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ: *confessus*

qvidem

qvidem est, inqvit, *Aristoteles in omni semine naturam aliqvam & vim cœlo ἀνάλογον, adeoqve elementis excelsiorem, materiam tamen eius & subjectum non agnovit aliqvod præter sublunaria corpora.* Utqve conscius sibi est, à *Sennerto*, *Fernelioq.* ad hoc responderi: *id qvod elementaribus qvalitatibus est excellentius, non posse nisi ex, vel in materiâ itidem nobiliore aut oriri, aut subsistere;* excipit mox ita: *Prætergvam*, inqvit, *qvod hoc asseratur citra omnem probationem, jugulat hoc semetipsum; utpote cùm hoc posito, nihil cœleste possit in non cœlesti corpore exsistere.* In qvâ tamen *Sennerti*, *Fernelioq.* collectione nihil video absurdi. Hoc enim convenienter ex principiis Peripati urgent Viri de re Medicâ optimè meriti, qvalitates extra proprium subjectum hospitari non posse, & virtutem cœlo analogam nescire proximè inhærere materiæ ulli, nisi cœlo itidem analogæ. Immò clara sunt Stagiritæ verba, non qvalitatem tantùm, sed & *φύσιν* cœlo *ἀνάλογον* ibi reperiri. Nec ullo modo hoc jugulat se ipsum, non enim docent summi Viri substantiam, vel subjectum cœlo analogum in corpore non cœlesti habitare non posse, sed negant vim cœlo analogam, ut qvalitatem in eo durare, nisi proximum ipsi & opportunum, hoc est cœlo analogum subjectum priùs assignetur. Sed insistit *Conringius*, *Aristotelem & Peripatum veterem* hunc locum de plantis & animalibus intellexisse, de similaribus nunqvam. Esto, non aliter intellexerint illi, cùm tamen in illis, qvæ in speciem similaria sunt, [propriè enim pauca adeo similaria corpora reperire licet] ut lapidibus, & gemmis, magnete, bezoar, lapide porcino, aliisqve notentur virtutes propè admirandæ, & à solâ elementorum vulgarium misturâ vix pendentes, qvid vetat, ad illa qvoqve dictum extendi, qvanqvam suffecerit hoc loco, verum agnosci de plantis, & animalibus, atqve in iis esse, judice *Conringio*, *φύσιν* sive substantiam cœlo *ἀνάλογον*. Sed insurgit demum *Conringius* argumento capitali: *Corporis alicujus cœlestis præsentiam*, inqvit, *nihil profectò est, qvod arguat. Utiqve enim deberet illud corruptionis omnis expers, calore, frigore, gravitate ac levitate destitui. Tale autem in sublunari re-*

gione nusqvam reperire est. Nihil periculi. 1. Qvis fidem securè nobis faciet, nihil in cœlo & astris corruptioni suo modo obnoxium dari, nihil vel caloris, vel frigoris, vel gravitatis, vel levitatis? cùm tot cometis inhorruerit seculum, tot maculis ipse sol pater per intervalla aspergatur. 2. Fac tamen esse cœlum expers qvalitatum ejusmodi, non deposcunt sanè laudati viri substantiam prorsus cœlestem, sed cum *Aristotele*, astrorum analogam tantùm elemento, à qvâ tactiles abesse qvalitates, nemo hactenus, qvod sciam, eorum adstruxit. Disertè *Paracelsus* l. IV. Archidox. *Qvinta essentia*, inqvit, *materia est, qvæ corporaliter extrahitur ex omnibus crescentibus, & in qvibus vita est, separata ab omni impuritate, subtilis reddita & ab elementis segregata.* Et mox explicatiùs: *Ita scias qvintam essentiam esse parvam qvidem & minutam, residentem in ligno, plantâ, lapide, & similibus.* Statim subjicit: *Ita intelligendum, qvintam essentiam non esse qvintum qvoddam ens supra elementa, nam ipsa elementum est. Et cogitari forsan posset, qvintam essentiam temperatam esse substantiam, non frigidam, non calidam, non humidam, non siccam, qvod non ita est, nulla enim res est in illo temperiei statu, ut eximat se conditionibus elementorum, sed omnes sequuntur naturam elementorum, ut qvinta auri essentia sequitur naturam ignis, qvinta essentia lunæ aqvam, plumbi terram, Mercurii aërem.* Nemo, opinor, *Paracelso* invidebit libertatem interpretandi se ipsum, & clariùs exprimendi sententiam suam. Nullum hìc inconstantiæ argumentum. Segregatur arte Chemicâ nobilior & medicamentosior subjecti pars à reliqvo hebetiori elemento, sive crassamento ignaviori, [hæc est qvinta essentia Paracelsica] & curiosâ præparatione ad summum tenuitatis, puritatisqve deducitur, ut subeat penitissimas corporis humani partes eò promptiùs, & operetur efficaciùs. Qvò subtilitatis provecta sive ab astris, sive ab aëre astris obediente variè moveri solet, & eò majores, judicio *Paracelsi*, hoc ipso motu vires acqvirere. Hinc postqvam dixisset part. tert. Paragran. *Pharmaca ut astris pareant, in aërem redigenda esse*, id est, reddenda qvodam-

dammodo volatilia, subjicit tandem: *In hoc res vertitur, qvòd multi in Alchymiâ qvintum esse qvæsierint, qvod aliud nihil est, qvàm qvod qvatuor illa corpora separanda sint à suis arcanis, ipsum arcanum separatum est chaos, qvod ab astris duci, moveriq; potest, ut pluma à vento.* Cujus motus evidens vestigium in auri tinctura viridiusculâ [de qvâ ante cap. de metall.] notavi, ut qvæ in repositorio meo qviescens, nullo igne adhibito, sensim, sed sponte intumuit, supra labra etiam vitri se se evolutura, nisi operculo charta ceo repressa fuisset, variisqve veluti foliorum lusit imaginibus adhuc conspiciendis. Conspirat antiqvus ille Zosimus Panopol. Τὰ γὰρ ἀνάπλασα, inqvit, καλῶς ἐνεργῶν χωρὶς πνεύς. Et alibi clariùs. Τὰ ἀνώμαλα σωμάτα καλῶς ἐνεργῶν χωρὶς πνεύς. Prætexat *Conringius, exempla qvintarum essentiarum à Paracelso l. IV. Archid. producta non posse præscripto modo parari, & si possint, tamen nil nisi mera fore elementaria corpora;* nihil hoc ipso effecerit, qvamdiu enim ignorabit acetum illud radicatum, qvô hîc utitur Paracelsus, qvod vulgaris utiqve cognitionis non est, tamdiu frustra negabit qvintas essentias eo modo posse fieri, tam diu inconsultè judicabit illa, qvæ educuntur, mera esse crassa elementaria corpora, & non potiùs, secundum explicationem *Paracelsi*, subtiliorem crassamento elementario substantiam, astrorum imperio subjectam. Neqve sufficerit *Conringio* dixisse: *Ea qvæ fermentationis interventu producuntur, naturam non referre integrarum rerum, unde confecta sunt, sed aliam noviter ortam. Nec etsi vires aliqvas Medicas contineant, digna esse nomine essentiarum, ubi enim rei essentia est, ibi rem ipsam adesse.* Cæterùm immeritò extendit *Conringius* vocem essentiæ ultra voluntatem Chemicorum, neqve enim illi ejus nomine totam omnino materiam, ut ignaviorem & steriliorem intellectam voluere unqvam, sed particulas ejus incitatiores duntaxat, & humano corpori utiliores, ut ex superioribus constat. Qvod adjicit *Conringius, fermentatione producta naturam non referre integram rerum*, id parum huc qvadrat; etenim infinita Chemicorum opera sine fermentationis peraguntur ministerio, & qvæ illam qvodammodo de

do depoſcunt, non deſinunt efficaciorem rerum eſſentiam retinere & apud ſe ſe adhuc tueri, qvod in ſpir. ceraſ. nigr. tiliæ, ſambuci, lil. convall. aliis videre eſt, qvemadmodum prolixiùs diſputatum ſuperiùs cap. v. l. II. Qvis autem credet objectionem illam Conringianam in cerebro *Helmontii* natam feliciùs ceſſuram? *Debuiſſe Paracelſicos non qvintæ, ſed qvartæ eſſentiæ nomine hunc ſuum fœtum appellâſſe.* Etenim licuiſſet forſan *Paracelſo* eam ita vocâſſe, qvaſi trium elementorum Chemicorum, ſalis, ſulphuris & Mercurii conſectarium, ſed non libuit temerè nomenclaturam à *Lullio*, *Rupeſciſſa*, *Iſaaco Hollando*, *Baſilio Valentino*, aliis ante ævum ſuum uſurpatam rejicere. Qvid qvòd nec unqvam inficiatus ſit *Paracelſus* qvatuor dari elementa, immò apertiſſimè id profeſſus eſt, l. II. Philoſ. ad Athenienſ. & l. III. Archidox. cur ergo non amaret illud, qvod iis artificio Chemico extorqvetur, ut efficacius qviddam *qvintam eſſentiam* appellare?

Cap. VII.

I. Doctrinam de tribus Chemicorum principiis non eſſe commentum Paracelſi. II. Non eſſe ineptiarum plenam. Qvin immò Peripateticos in demonſtrandis elementis ſuis infeliciores eſſe, qvàm in ſuis principiis Chemicos. III. Chemicos demonſtrare ſua poſſe, ex ſimplici etiam aqvâ; qvæ cùm mixta omnia ingrediatur, vel hinc colligi, tria illa in omnibus qvoqve mixtis reperiri, &c: IV. Salia in corporibus mixtis eſſe ante combuſtionem, idqve experimentis oſtendi variis. V. Qvin & ſalia tandem ex metallis, ſine acidi mixtura,

râ, ſine ignis adminiculo poſſe educi. VI. Salem non tantùm ex omnibus elementis poſſe elici, ſed etiam ex vapore humani anhelitûs. Iniqvè autem poſtulari â vacuis jam cineribus ſalem, ut qvem poſſeſſum ante uſtione & maceratione perdiderint. Iniqvè negari cornibus & oſſibus uſtis ſalem fixum. VII. In plantis, atq; animalibus ſulphur reperiri; etiam in metallis, & lapidibus. Acidulum illud, qvod Mercurium repræſentat, in tribus naturæ regnis inveniri. Sed & præterea Mercurium currentem in metallis.

LIcuiſſet qvoqve *Conringio* cap. x. l. II paullò circumſpectiùs de tribus Chemicorum principiis ſale, ſulphure, & Mercurio commentari, qvod ex ſummis duntaxat rerum capitibus, qvæ hìc attingere viſum eſt, liqvidò, opinor, elucebit.

I. Hæc ergo illius auſpicia: *Et verò*, inqvit, *uni huic ſchola* [Paracelſicæ] *pæne attribueris meritò hoc paradoxum, utpote qvum in ſcriptis, aut monumentis non priſcorum Hermeticorum, non Chemicorum medii ævi, veſtigium ejus aliqvod reperire ſit; niſi qvòd nonnihil videatur præluſiſſe Iſaac Hollandus, & obſcurus unus, aliusq; non multò ante Paracelſi ætatem.* Qvæ verò tergiverſatio illa eſt? *pæne meritò attribueris*; appellanda erit ſcapha ſcapha. Non eſt omnino illud de tribus principiis *Paracelſi* commentum. Helmontius *Baſilio Valentino* adſcribit, qvod cùm legiſſet qvoqve *Conringius*: *Nec verò*, inqvit, *Helmontio auſum aſſentiri, qvi libro de trib. princip. doctrinam hanc ſcribit monacho Baſilio Valentino Paracelſum debuiſſe: etſi & Baſilium præluſiſſe haud negaverim.* Iſaacum præluſiſſe vellem mihi oſtendi; *Baſilius* autèm non tam præluſit, qvàm rem ſic ſatis diſertè exſecutus eſt variis locis. In explic. XII clav. ita: *Aqva, aër & terra*, inqvit, *generant ope ignis in ſe ſe occultati per coctio-*

nem calidam, animam unam, ſpiritum unum, & unum corpus, hæc tria ſunt prima principia, qvæ per copulationem tranſeunt in unum Mercurium, unum ſulphur, & unum ſalem. Qvando hæc tria junguntur, reddunt ſecundum naturam ſeminis ſui in qvocunqve regno, minerali, vegetabili, animali, perfectum & abſolutum corpus. Poſtea monet illa tria arte ſpagyricâ etiam ex metallis poſſe elici. *Idem* in Repetit. Lapid. Antiqv. ſapient: *Oſtendi*, inqvit, *res omnes ex tribus ſubſtantiis fieri & componi, ſcilicet ex Mercurio, ſulphure, & ſale, qvodq; docui, verum eſt.* Qvod ſi autem ideo præluſiſſe *Iſaacus* Conringio videatur, qvia cùm componat metalla ex ſulphure & Mercurio, nihilominus hinc inde doceat ex metallis ſalem prolectari, certè præluſere & alii ante ipſum Chemici, inqve iis *Rajmundus Lullius*, qvi cùm ubiqve cum *Gebro*, *Rogerio Bacone*, *Augurello*, aliis principia metallorum ſulphur & Mercurium agnoſcat, diſertè tamen ita tradit *Roſar. abbrev.* Tract. VI. *Scito, qvòd ex omni re fieri poteſt ſal.* Id qvod propiùs adhuc accedit ad tria illa principia generalia, cùm *Iſaacus* agnoſcat ſalem in metallis, *Lullius* in rebus omnibus. Iterum *Lullius* Teſtament. noviſſ. c. XXVII. *Non poterit*, inqvit, *ſulphur ſtare ſine naturâ ſalis.* Et mox: *Si natura* [metallica] *non haberet ſulphur, non haberet ſal, nec poſſet penetrare partes, qvæ debent congelari per defectum acuitatis.* Ad minimum ergo præluſit etiam *Lullius*, medii ævi Chemici, ſecundum *Conringium*, Scriptor. Sed ea modeſtia eſt tum *Baſilii Valentini*, tum *Paracelſi*, qvod nè qvidem ſibi illud placitum arrogent, ſed volentes antiqvis Ægyptiis reſignent: nec enim aliud ſe velle his nominibus oſtendunt, qvàm qvod voluere antiqvi illi, animâ, ſpiritu, & corpore. Id qvod cùm *Baſilius* dicto proximè allato non obſcurè indicaverit, non alienum etiam fuerit audiſſe *Paracelſum* l. 1. de Generat. Rer. Natural. *Primùm igitur*, inqvit, *notum vobis eſto, qvòd omnia metalla ſeptem ex tribus naſcantur materiis, ſcilicet Mercurio, ſulphure, & ſale, cum diverſis tamen coloribus. Igitur Hermes non iniqvè dixit ex tribus ſubſtantiis omnia metalla ſeptem naſci & componi, ſimiliter & tincturas, & ipſum lapidem Philoſophorum; qvas qvidem tres ſubſtantias*

Hermes

Hermes appellat spiritum, animam, corpus. Non ostendit qvidem, qvid his tribus substantiis intellectum velit, ego tamen non ob id errâsse ipsum dico, sed tantum siluisse. Et mox addit: *Spiritum Hermetis esse Mercurium, sulphur animam, corpus salem.* Ut vel hinc judicare liceat de illo *Conringii*: *Nugatur sanè*, inqvit, *Qvercetanus, tria illa asserens Hermeti esse dicta animæ, spiritus, & corporis vocabulis: constat qvippe in Hermetica scripta ex Platonis Academiâ isthac esse translata, qvæ de tribus illis Paracelsicis nè qvidem somniavit.* Longè justiùs ex Hermetis disciplinâ transiisse illud placitum ad Platonicos existimandum, cùm disertè tradat *Jamblichus* l. 1. de Myster. Ægypt. *Pythagoram, Platonemq; in Ægypto didicisse ex columnis Hermetis.* Neqve enim ignorari potest, tradente *Strabone* l. XVII. Platonem XIII. annos in Ægypto apud Sacerdotes exegisse. Qvod si Platonici usum illorum principiorum non satis intellexerint, gratiæ Chemicis meritò debebuntur, qvi explanavere. Nihil ergo in illo *Qvercetani* nugatorium, qvòd jam ante & *Paracelsus*, & *Basilius* testati sint idem, nec dissideat hausta ab Ægyptiis *Platonis* opinio, immò convenientissimè cùm spiritu Mercurius, cum sulphure anima, cum corpore sal conspirent. Chemici Græci, inqve iis *Zosimus* περὶ ἀρχῆς ϰαὶ σωμάτων ὑδάτων: *Christianus* περὶ ἐυσεβείας τῆ χρυσῆ: Heliodorus περὶ Θεοδόσιον τὸν μέγαν βασιλέα de principiis rerum in universum non solliciti, agnoscunt in metallis τὸ θειῶδη, τὸ ὑγρώδη, τὸ πνευματῶδη, qvod eodem propemodum recidit. Præcipuè autem illi in hoc industriam suam intendunt, ut πνεύματος ϰαὶ τῆ σώματος procuretur ἑνωσασμός, qvæ verba sunt ibidem *Panopolitani* illius *Zosimi*.

11. Deinde audentior *Conringius*: *Qvicqvid autem sit*, inqvit, *de auctore hujus Philosophiæ, si verum tamen dicendum est, tota est inanis & ineptiarum plena.* Summa accusationis capita eò redeunt. 1. *Non esse illa tria omnium corporum principia, qvòd caput mortuum & phlegma insipidum corpora itidem sint, & tamen ex illis, etiam judicio Paracelsicorum, non proficiscantur.* 2. *Ambiguâ significatione ludere Paracelsicos, nec qvid intelligant nomine salis, sul-*

phuris & Mercurii, perſpicuè explicare. 3. *Non inveniri tria illa Chemicorum principia in omnibus corporibus, non in cœlo, non in auro, &c.* Ex his nullum adeo videtur acutum telum, qvod non poſſit opportunè, & ſalvâ veritate retundi. Qvod ad *primum*, nihil certius eſt, qvàm non feriri illo Paracelſicos, ut qvi nunqvam contenderunt alia non eſſe principia in rerum naturâ conſtitutiva, ceu vocant, qvàm tria Chemicorum principia, verùm id unum voluere, in reſolutionibus corporum, qvibus addixere induſtriam ſuam, nihil deprehendi valdè activum & efficax, præſertim in medendo, niſi hæc ipſa tria: adeſſe qvidem etiam phlegma inſipidum, & maſſam corporum ignavam, ſed ab illo nihil adeò fortaſſis ſperari, niſi vim humificam, ab hac autem deſiccantem. Qvod enim urget hic *Conringius: Ex illo capite mortuo plantas ſponte creſcere, & phlegmate nutriri poſſe*, id ut de capite mortuo perfunctoriè uſto verum fuerit, ita de genuino, hoc eſt, à tribus illis ſuis activis principiis perfectè liberato minùs verum eſt, qvàm de nudiſſimâ arenâ; nec purum phlegma fortaſſe nutriet, anteqvam iterum ſatietur aliunde, de qvo inferiùs diſertè. Caput etiam mortuum, ſi aëri permiſeris, novas itidem in ſe vires excipiet, meatibus jam apertis, & ad ſorbendas volitantes in atmoſphærâ atomos patentibus, qvibus in gremium admiſſis, non mirum eſt plantulas in eo corpore poſſe excreſcere, qvæ proinde non ex ipſo capite mortuo provenerint, ſed ex novis principiis activis poſt Chemicum examen, in ſterilem illam maſſam impulſu aëris introductis. Ad *ſecundum*, conſtat fere inter Chemicos, qvid ſalis & ſulphuris nomine intelligendum, de Mercurio res paullo impeditior. *Paracelſus* vulgari exemplo rem viſus ſibi eſt ſic ſatis illuſtrâſſe ex plantarum regno, Paramir. l. 1. c. 11. *In combuſtione ligni*, inqvit, *qvicqvid ardet ſulphur eſt, qvicqvid fumat Mercurius, cinis ſal eſt.* Scilicet, ſenſus ejus fuerit, qvicqvid verè ardet, ſeu flammam verè concipit, vel concipere potuit, cùm in principiis ſuis adhuc lateret, id nomine ſulphuris apud Chemicos venire; qvicqvid ita fumat, ut flammam tamen fumando neqveat concipere, id

Mercu-

Mercurii titulo salutandum; qvicqvid in cinere sapidum delitescit, id salis nomen mereri. Excipit *Conringius*: *Exhalat phlegma etiam insipidum, & sal qvoddam dictum hinc volatile. Immò omnis flamma fumus qvidam est ardens. Adeoq; Mercurius fuerit dicendum ipsum sulphur, & sal volatile & phlegma insipidum. Jam verò qvæ ardent, aut flammæ instar ardent, aut ad modum prunæ, addi itaqve debuit, num utrumq;, an alterum sit sulphur illud.* Verùm phlegma insipidum, ex hoc principio, non effumat, sed tantùm evaporat; aliud fumus, aliud vapor: salem volatilem non hîc attigit *Paracelsus*, qvia videbat communis principii vicem sustinere non posse, qvòd in qvibusdam corporibus naturalibus deficiat. Spiritus acidos Mercurii nomine intellexisse videtur, qvanqvam enim & illi salinæ naturæ sint, qvia tamen fumando exhalare possunt, qvamdiu eo sunt ingenio, ex naturâ salis, qvam fixam urget *Paracelsus*, in Mercurialem, ut est Mercurius semper alatus, transiere. Qvin & lixivus plantarum sal, cùm in statum volatilem deducitur, ut potest sanè, Mercurialis erit genii, aut, si mavis, hermaphroditici, hoc est mercurio-salini. *At*, inqvies, *ita tertium principium perierit?* neqvaqvam verò: principia enim qvædam in se mutuò posse nonnunqvam converti absonum neqvaqvam videbitur rem acutè intuentibus. Et qvid Chemica moramur? ipsa *Aristotelis* elementa non sunt ab his immunia mutationibus. Enimvero aqva, etiam limpidissima, &, si placet, vel decies per destillationes ab omni fæce libera in veram, firmam, fixam & insipidam terram mutabitur, si eandem iterum, iterumqve freqventissimè ex recentibus semper vasis vitreis lentè destillando evoces; qvavis enim vice tenella qvædam cuticula terrea, sed elegans, ex aqvâ illa enata superficiei interiori vitri agglutinabitur, qvod freqventibus experimentis didici, cumqve illud ipsum ante hos X annos narrarem Cl. Oxonienſis Academiæ Medico *Edmundo Dichinsohno*, idem sibi compertum centesimâ destillatione asseruit. Qvod adjicit *Conringius*: *Omnem flammam esse fumum ardentem, alia ardere flammæ instar, alia instar prunæ*, citra pulverem expe-

ditur, si dixeris, qvod res est, nullum fumum propriè ardere, aut in flammam abire, nullam prunam qvocunqve modo inardescere, nisi præsente sulphure, qvo exhalante ardor desinit, ni ab interventu alterius sulphuris de novo sustineatur. Ardere videntur & igniti lateres sulphure cassi, verùm, si rem expendas, non ardent illi, sed aliud vegetabile, aut fossile sulphur in poris laterum ad breve tempus delitescens. Nec juverit prætexuisse: *hæc principia nihil eximium præstare ad ullius corporis constitutionem*, cùm ultro agnoscant Chemici qvatuor elementa, tanqvam matrices, tria autem hæc principia, tanqvam hospitantia in iisdem excitatiora & vivaciora corpuscula. Neqve deest confessio ipsius *Paracelsi* l. de Mineral. tractat. 1. *In aliis*, inqvit, *philosophiæ paragraphis docui tria illa, sulphur, salem, Mercurium, principium esse omnium illorum, qvæ ex qvatuor illis materiebus, id est, ex qvatuor elementis proveniunt.* Qvod tertio loco in contrarium adducitur: *non inveniri tria illa Chemicorum principia in omnibus corporibus, non in cœlo, non auro, &c.* Qvod cœlum attinet, verisimile est creditum fuisse Chemicis tria illa principia in cœlo esse, non secundum essentiam, sed, qvod dici solet, secundum causalitatem, ut consvetum aliàs Peripato Solem dicere non formaliter calidum, sed effectivè. Qvicqvid autem horum sit, de substantiâ cœli nemini hîc controversiam faciemus, contenti de cætero respondisse, non satis æqvè postulari à Chemicis, ut ostendant in omnibus corporibus tria illa principia, cùm Peripatus longè infelicior sit in demonstrandis corporum omnium qvatuor elementis, qvàm Chemici in suorum trium. Exspecto, qvibus artibus ex cœlo, ex auro, argento, mercurioqve prolecturus sit qvatuor elementa *Conringius*! qvibus artibus ex lapidibus, & gemmis! intueri tamen libet ex supervacuo, qvàm evidentiora sint in omnibus propemodum corporibus inferioris mundi Chemicorum elementa.

III. Id sanè hîc à Chemicis postulat *Conringius*, qvod si ab ipsius Philosophiâ postularent itidem Chemici, nesciret invenire. *In omnibus*, inqvit, *corporibus reperiri tria ejusmodi nullo signo, nullo argu-*

argumento est ostendere. Et postea: *Quo autem modo in tria hæc redigas vel sola omnia sublunaria? num combustione, ceu fecit Paracelsus in ligno?* Repetenda hîc paullò altiùs primordia, ut de Chemicorum innocentiâ, & decretorum eorundem veritate constet luculentè. Ægyptiis [à quibus initia Chemiæ profluxere, etiam *Conringio* teste] *aqua erat principium rerum*, ut ex *Laërtio*, *Vitruvio*, aliisque notissimum est. Quam sententiam cùm & foveret *Thales Milesius*, *Homerusq.*, eandem debuere auctoribus Ægyptiis, ut ex *Plutarchi* Iside & Osir. discimus; eandem quoque passim fovet *Paracelsus.* Vox ejus in Philos. sagac. *Ex elemento aquæ producuntur omnia mineralia, lapides, gemmæ, & metalla.* In aquâ ergo viderunt haud dubiè sapientissimi illi naturæ mystæ hæc ipsa tria principia, anteqvam generali senatûs consulto tam molli, instabiliqve elemento tam nobilem, stabilemqve adscriberent prærogativam. Mihi cùm non sine gravi causâ, & manifestâ ratione talia in mentem venisse Ægyptiis persvaderem, visum fuit, jam ante plures annos, in aqvarum omni propemodum genere, primùm tamen in aqvâ pluviâ, & nivali fidem decreti Ægyptiaci explorare. Et in his qvidem ideo primùm, qvòd existimarem hac viâ anteiisse Ægyptios, ut Niliacæ aqvæ vel nive fœtæ, ut olim creditum, vel pluviâ Æthiopicâ, ut hodie compertum, exploratores. Qvid multa? inveni in tam translucido, & ad oculorum sensum homogeneo corpore præter phlegma insipidum, & caput mortuum ignavum, pungentem salem, flammans sulphur, fumantem Mercurium, hoc est, tria illa principia, qvæ *Hermeti* corpus, anima, & spiritus dicuntur; Chemicis autem sal, sulphur, Mercurius: ita ut sal pulcherrimè respondeat corpori, tanqvam fixum & stabile elementum, & in his aqvis verè cubicum, qvam formam *Plato* stabilissimo passim elemento assignat; anima rubentissimo in aqvis delitescenti sulphuri; mercurius, ut alatus minister, spiritui acido per retortam inde primâ statim destillatione ascendenti. Verùm cùm instituti mei non sit hîc omnia illa persequi, qvæ plurium annorum experimentis in aqvarum examine curiosa notavi, hîc dun-

duntaxat uno experimento, sed claro, & nunqvam frustraturo principia aqvarum efficaciora ob oculos sistam, Excipio puris & recentibus vitris, aqvæ vel pluviæ, vel nivalis, vel pruinæ, vel grandinis, vel etiam fontanæ, sed limpidæ libras C, suppositoqve moderato igne phlegma in vaporem cogo, usqve eo, ut ex illis C libris non restet nisi una, qvam chartæ bibulæ infundo ut fæces transeundo deponat. Claram jam illam sed rubicundulam in cucurbitâ recenti vitreâ leniſſimo balnei calore ad iteratam sollicito evaporationem, insistoqve, donec in fundo spissamentum appareat crassiori ribium succo non dissimile. Si ultra pergam, etiam in pulverem transit, qvi ad ignem sub testudine vulgatâ terreâ collocatus, è vestigio intumescit oppidò, & mox luculentâ flammâ de sulphuris sui præsentiâ testatur. Qvod post flammam reliqvum est, dissolutum in aqvâ stillatitiâ, sensimqve spissatum rejectis fæcibus mortuis transit tandem in cubos salinos pellucidos, perfectos, non coloratos, sapore ad salis marini, qvi & ipse cubicus, naturam accedentes. Si absqve flammâ libet seorsum intueri hæc duo elementa, spissamentum adhuc udum iterum in tantillo aqvæ stillatitiæ dissolvo, qvod colatum rubentissimo colore oculis blanditur, & sapore non ingrato lingvam afficit, relictumqve sibi in ampli oris vitro æstivis mensibus, sensim exhalante aqvâ transit in cubos translucentes adamantini nitoris, nullo colore infuscatos, interjecto hinc inde inter glebulas illas salinas sulphuris rubei succo, & illo, si urgeas, in flammam abituro. Est autem sal in halelæo [liceat corpus hoc halelæum vocare, ut Medici hydrelæum] hocce in triplâ sæpius proportione ad sulphur, aliqvando tamen ferè in decuplâ, qvòd certis temporibus aqvæ non ita sulphure abundent. Hæc ergo sunt duo illa principia, qvæ sine ullâ ignis violentiâ ex aqvis producuntur, tertium autem ex his nascitur igne paulo excitatiori, spiritus sc. sive Mercurius, qvando halelæum illud spissius ex retortâ vitreâ in arenâ calidiori propellitur, assurgit enim tum cum olei inflammabilis sive sulphuris portiunculâ spiritûs aciduli nonnihil, loco

tertii

tertii principii ex disciplinâ *Paracelsi* æstimandum, cui si Mercurii nomen tribuatur, non repugnabo; clariùs tamen Hermes videtur *spiritum* appellâsse. Et hæc qvidem hactenus satis distinctè mentem Ægyptiorum, & *Paracelsi* non explicant tantùm, sed in anatome primi corporis, *aqvæ*, sensibus ipsis ostendunt. Cùm itaqve arbitrati sint Ægyptii ex aqvâ proficiscì omnia, non mirum si in corporibus inferioris hujus mundi universis eadem, qvæ in aqvâ, principia reperiri judicaverint. Sed qvia tria hæc principia universalia in singulis triplicis illius regni speciebus aliter atqve aliter ab architectonico spiritu [sive formam malis appellare, sive archæum, sive aliud qvid, non nunc disputo] cujusvis seminis variè disponuntur, ordinantur, miscentur, facilè hinc colligere est, non esse meritò urgendos Chemicos, ut eadem tria principia, eâdem prorsus facie, & vi ex omnibus jam speciebus educant, & palpanda offerant Peripateticis, præsertim cùm ipsi in qvatuor elementis ex singulis speciebus educendis frustra qvoqve se videant laboraturos. Longè tamen propiùs metæ suæ adstituuntur Chemici, cùm propemodum qveant illi in qvavis specie oculis subjicere fidelibus, qvæ docent. Obduces, *At salia plantarum fixa non cubi sunt, sed ferè trapezia, salia volatilia animalium velut in ramos abeunt, si autem aqvæ deberent originem, transirent omnia in cubos.* Cæterùm diversitas illa variæ principiorum in speciebus singulis misturæ, ut dictum, adscribenda est, qvæ non ita facilè dirimitur. Et in salibus lixivis aliqvid adhuc sulphureum delitescere vel illud docuerit, qvòd sulphura varia promptissimè adhuc similitudine partium dissolvant. Nec volatilia salia ab omni oleo [ut, ex disciplinâ Cartesii, ramoso corpore] immunia esse docent sensus omnes. His adjice, qvod in salibus plantarum fixis observatum jam ante monuimus Ampl. *Fr. Redi, omnia tandem longâ solutionum patientiâ in cubos abire*, qvod & mihi his ipsis diebus in sale urticæ sæpe soluto evidentissimè conspectum est. Neqve in illo duntaxat, sed & in sale qvadrupedum & piscium fixo, qvi uterqve tandem cubicus evadit, de qvo *in Act. Med.*

Med. Hafnienſ. pleniùs. Neqve ſpecioſiùs prætexetur, ſulphura ſpecierum mundi alia eſſe à ſulphure aqvatico; debetur enim & hoc omne diſcrimen miſturarum mille varietatibus, qvæ prohibent eadem illâ facie prolici, qvâ in aqvâ primigeniâ apparuere. De Mercurio, ſive ſpiritu fateor rem hactenus involutam eſſe, aliis Chemicorum aliter tertium hoc principium explicantibus. *Cur enim*, inqvient multi, *non potiùs ſpiritus talis loco principii tertii affertur, qvalis vel in ardenti illo vini ſtillatitii liqvore deprehenditur, vel in animaſium corpore operationum creditur architectus? cur huc trahitur acidulus liqvor? qvi certè principii tertii nomen tueri neqvit, cùm ex primo, nempe ſale reſoluto naſcatur.* Agnoſco hîc Gordium propemodum nodum, neqve invenio tamen in aqvâ qvicqvam, qvod tertii illius principii titulum ſuſtinere poſſit, præter unum hunc acidulum ſpiritum. Mihi ſanè hactenus freqventibus licet experimentis nil aliud obſervare licuit, qvàm primam unciam, ex aqvæ cujusvis C. libris deſtillando eductam, & ultimam, ejusdem eſſe naturæ & efficaciæ. Non negaverim qvidem ex aqvâ roris majalis, immò & aliis πνευματώδες qviddam & inflammabile deſtillando tandem poſſe attolli, ſed & illud ſulphuris, ſalisqve in aqvâ hoſpitantis ſoboles eſt, non aliud diſtinctum principium. Qvin & ſpiritus vini, ſimilesq; alii ardentes ſi à ſale, qvem [etiam ad lingvæ fidem] vehunt, & ſulphure inflammabili ſeparentur, in purum & ignavum phlegma deſinunt, ut proinde illi, præ acidis nulla adeo hac parte gaudeant prærogativâ. Accedit qvòd ſimiles ſpiritus inflammabiles ex omni brutorum, avium, piſciumqve genere ægrè, ex omnibus mineralibus, metallisqve nullo modo prolectari qveant, eoqve principium generale non conſtituere. Et ſpiritus illi, qvi in animalium corporibus operationum œconomi ſunt, fruſtra ſaltem qværuntur in lapidibus, & metallis, hoc eſt, fruſtra ad univerſitatem trium regnorum anhelant. Spiritus autem illi aciduli in nullo non regno reperiuntur, & ubicunqve ſalia præſto ſunt, & calor, deeſſe neqveunt. In vegetabili regno adeo non deeſt acidus ille liqvor, ut præter

fructus,

fructus, poma citria, aurantia, sorba, ribes, berberes, myrtillos, pruna sylvestria, alia, in qvibus domesticus est & nativus, pleriqve succi plantarum etiam dulces brevi morâ loco tepido in acorem sponte festinent. Ex gallii lutei floribus recentissimè evulsis, & subitæ destillationi subjectis prodire statim acidum liqvorem, lac coagulantem, non exspectatâ fermentatione ullâ, alibi demonstravi. Acidum animalibus inesse, & qvidem necessitate qvotidianâ jubente, docet stomachus, & pancreaticus succus, diligenter à Clariss. Viris, *Sylvio*, & *Regn. de Graef.* excussus, agnovitqve jam olim in homine τὸ ὀξὺ *Hippocrates* noster l. de Vet. Medicinâ. Lac animalium qvàm promptè acescat, ignotum nemini. Neqve de metallico regno dubium est, cùm ex omni mineralium, metallorumqve genere, & salia, & acidulos spiritus haurire liceat, dummodo in minutissimum alkohol convenienter redacta, & umbræ aliqvandiu exposita per retortam vitream calore balnei roris excitatiori urgeantur, & is labor exponendi, perqve retortam propellendi repetatur freqventiùs. Neqve hactenus me ullum metallici generis corpus hac parte fefellit, qvod & cuivis post me dextrè tentanti non potest non succedere. Est eqvidem acidulus ille liqvor salinæ prosapiæ, nec enim id inficior, immò redigi iterum sæpe in salis formam potest, blandâ per B. R. iteratâ destillatione, non tamen id adeo obstiterit, qvo minùs tertii principii tueatur gloriam, si dixerimus duo priora, salem & sulphur principia esse primigenia, spiritum autem hunc esse principium secundarium, è sale naturaliter fixo, & salso in πνευμάτων qvandam, sive fluorem non ampliùs salsum vi caloris provectum. Qvartum autem intersit inter salsum propriè dictum, & acidum, utcunqve alterum ex altero nascatur, tota rerum natura fatetur. Instabis, *principia ex se se non fieri, nec in se invicem mutari*; at si huic regulæ insistamus pertinaciùs, aqva Peripatéticorum non erit principium, qvia facilè mutatur in terram, ut superiùs ostensum; immò nec sulphur Chemicorum principium erit, qvia non tantùm sulphur vulgati usûs nitro inustum facessit in terreum

corpus, sed & omnia olea etiam purissima & stillatitia, ut ut vera sulphura, repetitis iterum sæpe destillationibus in caput mortuum fixum, nigrum, & in igne constans degenerant, qvod frequenter mihi observatum; qvin & salia omnia pari modo crebriùs ustulata in corpus ignavum, insipidumqve terminantur. Ita fortassis hac ratione elementa non nisi duo erunt, unum unde formantur corpora, *aqva*, & alterum, in qvod tandem resolvuntur, *terra*. Sed Chemici, cùm tria illa sua principia laudant, non amplectuntur ea, ut omnium prima elementa, sed ut in aqvâ, id est in primo elemento enata, & deinde cum aqvâ in omne genus compositorum descendentia.

IV. Nunc speciatim ad corpora naturalia descendendum: *Qvomodo*, inqvit Conringius, *in tria hæc redigas vel sola omnia sublunaria? num combustione? Sed combustio non probat omnia, qvæ ita oriuntur, actu præfuisse.* Nulla nos eò detrudit necessitas, ut ex combustionibus hæc omnia ostendamus, proclivior ratio se offert, & cui contradici vix potest. Fiduciâ tamen causæ intuebimur primùm, an combustio ita omnia corrumpat, ut principium illud fixum & activum sal, qvod post moderatam ejus operationem prodit in lucem, nova, ut ita loqvar, creatura sit, & igne tantùm obstetricante enata, anne misto ante ustionem fuerit naturalis? Qvæ *Conringii* mens sit, ex seqventibus clarè innotescit: *Ne salem qvidem illum*, inqvit, *qvi iis, qvæ comburuntur, sive avolat, sive in cinere manet superstes, in corporibus integris adfuisse, gustus prodit, nihil nempe salsi in iis deprehendens. Non posset autem latere, qvum ejus sic satis magnam copiam cineres, præter ea, qvæ volatilia dicuntur exhibere soleant. Neqve verò gustus judicium fas est accusare, eò qvòd lingva salem modicè cibis adspersum non deprehendat: revera enim admistione multi insipidi, aliorumq; salsedo illa in alium saporem commutatur. Qvemadmodum nigrum & album pigmentum si misceas, non manent amplius id, qvod erant, sed in tertium qvid convertuntur.* Verùm gustus deprehendere neqvit salem omnem in mixto, ut particulis suis sulphureis, terreisqve nimiùm involutum,

lutum, & qvasi coopertum, licet ibi præsentissimum; immò paucum salem obiter insperſum cibis ægrè deprehendit, utcunqve ibi ab omni compage aliâ arctiori immunem, & in liqvidiusculâ substantiâ liberiùs fluctuantem. Qvid qvòd nè sexcentesimâ qvidem parte adesse salem lixivum in fagino ligno, respectu corporis totius, experimento didicerim. Sed propiori exemplo mixtorum salia adhuc particulis terrestribus & sulphureis involutiora nullum lingvæ gustum insinuare, qvantumvis adsint, docebimus. Cape sis rosar: rubr: post destillationem aqvæ in fundo vitri relictarum manipulos septem, compressosqve in crucibulo exqvisitè clauso vehementer perure horis aliqvot; tandemqve redeuntibus ad frigus naturale omnibus effracto tigillo nigrum illud corpus & carboni non dissimile, admotâ lingvâ explora, degusta; nihil omnino salis adesse notabis, tere etiam in pulverem, erit insulsissimus, sale ejus, ut ut ibi sic satis copioso minutissimis qvibusdam sulphureis, terreisqve partibus adhuc velut incrustato. Cæterùm affunde mox aqvam stillatitiam, coqve patienter, & salina illa corpuscula se prodent manifestissimè, inqve aqvam descendentia simplici mox evaporatione omnium oculis se se & gustui objicient. Et qvid insulsius carbone est? redactus tamen ille in pollinem deponit in aqvam stillatitiam coctione prævia salem sapidissimum. Qvod exemplum *Conringii* attinet, illud nihil efficit, etenim album & nigrum pigmentum solâ illâ misturâ perfunctoriâ non amittunt naturas suas, sed singula antiqvum obtinent, & oculis tantùm diversitatem aliqvam objiciunt, per se tamen id qvod erant, manent constanter, & si diversi generis fuerint, iterum nonnunqvam separari possunt. Deniq; utcunqve colorem videantur mutare, coloratum tamen qviddam oculis evidenter sistunt, parum autem salis, ut est in plurimis corporibus non nisi parum, in sapore nihil evidenter immutat. Argumentum vero *Conringii* à gustu derivatum nihil persvadet. Iterum Conringius: *Qvi in cineribus*, inqvit, *supereſt sal fixus, vel volatilis, non in corporibus integris actu adest, sed tantùm poten*

tiâ. Nascitur verò per novam omnimodo productionem separationem aliqvâ humoris sive insipidi, sive dulcioris, qvùm ante vel nullum, vel alium qvem saporem corpus integrum præ se ferret. Separationem autem illam plerumqve combustio, certè ignis instituit. Nec vero huc facit ille, qvem Joannes Regvinus appellat salem plantarum succosum. Non enim verum est sal, ut rectè ait Angelus Sala, sed tartarus qvidam herbarum, qvem in verum sal non converteris citra modicam licet coctionem. Eqvidem salem in corporibus ante combustionem, ante ignis operationem etiam actu ipso adesse licet magis sparsum, eoqve minùs sensilem ostendit id 1. Qvòd si salibus his contrarium qvicqvam affundas corporibus qvibusdam, statim pugna cietur ante ullam ignis præsentiam, id qvod nullo hoste actu præsente fieri utiqve neqviret. Id, [nè nunc loqvar de aqvarum fortium, simul ac metalla arripuerint, conflictu & pugnâ vehementi] vel in corporibus animalium patebit. Si oculorum humori vitreo, leviter ad solem desiccato affundas spiritum nitri optimum, pugnam statim notabis, à sale lixivo ibi præsente excitatam, sed leniorem propter alias particulas glutinosas utriusqve hostis concursum nonnihil sufflaminantes; acrem autem, si uratur siccatum inde magma. Idem in sero ex catarrhis violentioribus per nares descendente expertus sum in proprio corpore. 2. In lignis diu in aqvâ dulci vel natantibus, vel decoctis, salinum illud principium longâ hac maceratione ita imminuitur, ut vix tertiam partem post combustionem profundant salis ejus, qvem non macerata profudissent, qvòd aqva salia eorundem imbiberit, idcoqve Parisinis natantia illa ligna, qvæ secundo flumine in urbem influunt alimento ignium deservitura, minoris longè, ut ablato sale sulphuris fræno, æstimantur, qvàm alia navigiis aut curribus advecta. Subiit experimento rem committere. Itaqve libram civilem fagini ligni in schidias consciss in cinerem luculento igne aperto, sed sollicito redegi, rediere inde cineris grana non nisi qvinqvaginta, ex qvibus prolectus sal omnis decem omnino grana implevit ponderis pharmaceutici,

in

in qvo drachma non est nisi granorum sexaginta. Simili ratione libram unam ejusdem ligni in schidias divisi, horis 48. in aqvæ stillatitiæ libris qvatuor leniter decoxi, & postea exsiccatam more solito in cineres perussi. Post ustionem non supererant nisi grana cineris triginta septem, ex qvibus elicitus studiosè sal pendebat grana duntaxat tria; unde conjeci illâ bidui maceratione recessisse in aqvam duas partes salis in ligno antea præsentis, solam autem circiter tertiam in cineribus remansisse. Decocto schidiarum lentâ evaporatione spissato affudi aqvam fortem, dictum factum! insurrexit sal crassamenti illius fagini, & bullis infinitis minutissimis acidi affusi hostem, hoc est salem lixivum in sinu suo delitescere ostendit. Successit bullarum corona, eaqve ad plures hebdomadas ibi conspicua, ob lentorem magmatis prohibentem hostes impetuoso confligere strepitu. Sed & arbores longo ævo in sylvis carioſæ, si perurantur, fere nihil salis lixivi suppeditant, qvòd eum pluviæ diturno allapsu jam diu ante exsorbuerint. 3. Salia ex plantarum succis, qvæ succosa *Begvino*, aliis essentialia appellantur, leniqve igne fiunt, verè salia sunt, tum ad lingvæ fidem, tum externâ facie, angulisqve omnibus; utqve complectantur & alia qvædam corpora gremio, salinis tamen debetur prærogativa. 4. Si potentiâ duntaxat insunt plantis salia, capiat *Conringius* caput earundem mortuum, addat humorem illum sive insipidum, sive dulcem, de qvo ipsi sermo, misceat, coqvat ad arbitrium, & nè unam qvidam salis micam inde exprimet. 5. Volatilia autem salia cùm simplici & moderato calore eliciantur sine combustione ullâ, immò levi evaporatione urinarum emergant, neqveo satis hariolari, cur nè ea qvidem mixtis inesse permittat Conringius. Qvod si illa non insunt, neqve decoctis Galenicis inerunt simplicium vires, neqve inerunt olea, qvæ destillando evocantur, [qvæ tamen & sæpe sine ullo igne inde exprimuntur] neqve spiritus aromatum, & antiscorbuticorum, qvi etiam ante fermentationem inde educuntur, immò nè elementa qvidem vivaciora aër & ignis, qvæ ibi esse sine

coctio-

coctione ullâ qvomodo demonstraverit? Qvin immò si illa in mixtis actu non adsunt, qvæ ignis moderatior adesse ostendit, nec aderit in herbis siccioribus, corticibus, lignis, seminibus, cornibus, ossibus aqva, ut qvam adesse solus ignis ostendit. Intuendum *Conringio* erit, mixtorum particulas diversæ magnitudinis esse, eoqve minutiores [inter qvas salia volatilia] primùm beneficio ignis assurgere, qvæ cùm reliqvæ massæ immersæ essent, nullam adeo præsentiæ suæ notam lingvæ imprimere poterant, ob multitudinem, & gluten cæterarum.

Neqve in aliam sententiam qvenqvam temerè deduxerit illud Conringianum: *Si tanta copia rerum levium* [fumi, olei &c.] *actu esset in corporibus integris, profectò non gravia illa, sed levia fuerint, motu cujuslibet corporis se se habente secundum id qvod in eo prædominatur*, etenim gravissima qvæqve corpora, tota substantiâ levissima evadunt, si probè à se se particulæ invicem divellantur. Qvid auro gravius? & levi flatu attollitur in bracteas diductum; qvid argento vivo ponderosius? & inter sublimandum toto corpore levissimum evadit. Ipsa saxa in alkohol redacta plumis leviora in aurâ volitant. Interea non inficiandum, utcunqve insint salia mixtis, inter tormenta ignis tamen variè pati, & alias atqve alias sæpe vires mutuari, à primis aqvæ primigeniæ salibus diversas; à qvâ diversitate liberiora sunt illa salia, qvæ sine violentiâ ullâ ex mistis proliciuntur, de qvibus jam disseremus. 6. Esse in rebus vera salia, etiam non advocato caloris validioris ministerio nunc demum probare decretum est, ut videat *Conringius* non in solâ mistorum combustione spem ponere Chemicos, sed mitiori strategemate salia elicere, & qvidem salinis aqvæ particulis similia; ut internoscat, qvàm nimiæ audaciæ manifestum sit illud ipsiusmet: *Et verò constat non combustione, non alio aliqvo artificio posse sal ex omnibus corporibus confici. Rectè nimirum de corallis, margaritis, oculis cancrorum, matre perlarum, conchyliis, aliisq; mediæ inter ossa & lapides naturæ asseruit ipse Sala: horum cinis conformis est calci lapidum, ex qvo, qvod vegetabilium salibus simile sit, sal*

extrahi

extrahi nullum potest, &c: Et mox: *De lapidibus pretiosis sal elici non posse itidem rectè negat A. Sala.* At verò, ut combustionem omnem seponamus, si corallia, conchylia, lapides, gemmæ, ut sunt crudæ, nullamqve ignis expertæ violentiam, conterantur in porphyrite in pollinem omnino tenuissimum, & sub dentibus nullo modo stridentem, excidero fide omni, nisi solâ simplici sed longiusculâ in aqvâ vulgari stillatitiâ decoctione aliqvid salis veri & cubici ex iis eliciatur, oculis ipsis subjiciendum, post colatum demum liqvorem, & ad spissamentum deniqve abstractum, de qvo superiùs plura attuli.

V. Operosioris industriæ erit metallorum salia, inconsultis ignium ferociorum spiculis publico ostendere. Sed fortassis audentes juvabit fortuna, licet reluctante hîc qvoqve *Conringio*, cujus illa sunt: *Ex metallis aurum certè*, inqvit, *argentum purum, & hydrargyrus cùm nullo igne, nullo alio modo hactenus cognito in partes possint solvi, fatentibus præclarissimis qvibusq; metallicæ rei artificibus, ipsisq; adeo Helmontio & Boylio, satis constat nihil qvoqve salis posse exhibere.* Visâ jam pridem hac difficultate subiit animum, hæc etiam metalla salem suum fortassis non denegatura oculis, si liceret eadem more lapidum in alkohol redigere; verùm qvia id ita commodè fieri non posse videbatur sine ope acidorum spirituum, abstinendum ab hac methodo judicavi, nè pro veris metallorum salibus adhærentes illis acidi spiritus corpus qvoddam progressu operis formarent suppositititium, pro salibus metallorum falsò obtrudendum. Igitur re iterum iterumqve pensitatâ in amalgamata conjicio oculos, & hæc, inqvam, diuturnâ triturâ patientur fortassis aliqvid corporibus metallicis, etiam nobilioribus abradi, qvod in aqvam stillatitiam translatum, miti ad balneum, vel solem evaporatione ostendet, cujæ sit originis, & cùm ab aqvâ sorbeantur tantùm salia, erit, si prodierit qvicqvam, opinor, salinæ. Ventum ad experimenta. Conficio ex qvadruplo purgatissimi hydrargyri, & simplo auri, per antimonium sollicitè transmissi amalgama, qvod diu per otium in mortario vi-

treo, superinfusâ aqvâ stillatitiâ divexo, atteroqve; interea observo qvotidie, immò qvavis horâ tantillum corporis cujusdam nigricantis in aqvam ex attritu deponi, cumqve liqvor satis videretur nigrore illo fœtus, in vitreum mundum effundo, & post intervallum breve, subsidentibus in fundum atratis illis atomis, natantem suprà aqvam iterum reddo amalgamati; tero, ut prius, & diu hoc negotium persequor. Post dies aliqvot cùm nigricantes illæ particulæ viderentur abradi parciùs, adjeci nonnihil purissimi hydrargyri, ut flexilius redderetur amalgama, & metallicæ atomi sub pistillo vitreo hærentes dividerentur exactiùs. Ita continuato ad aliqvot hebdomadas labore hoc, nigrum illum pulviculum, minutum qvidem illum, & jam levem ad æstivi solis radios desicco, cujus cùm possederim drachmam dimidiam, & adhuc scrupuli dimidium possideam, variis tentamentis explorare libuit, iterúmne in aurum posset reduci; sed nullo hactenus artificio id licuit: aliqvid tamen forsan inde reduci posse ingeniosâ diligentiâ non reluctabor. Aqva autem illa stillatitia, qvæ affusa toties fuerat, leni evaporatione aliqvot granula salis crystallini in fundo reliqvit. Succesit res eodem modo in argento, & paullò citiùs, sed illæ ex argento per trituram excussæ atomi non nigricant, sed ad cinereum magis declinant colorem, & illæ in priorem argenti massam, qvantum adhuc constat, reduci nesciæ. Plumbum candidum, qvod stannum hodie vocant, pulviculum attritu reddit nigricantem, id est, aurei illius valde æmulum. Æs elimatum bidui attritu qvoq; in verum amalgama facessit, utcunq; id ignotum hactenus plerisq;, & relinqvit in aqvâ primum qvidem pulviculum subnigrum, in progressu trituræ propemodum flavum. Plumbum nigrum alba ramenta, & sic satis copiosa in aqvam secernit. Ex his plumbo abrasus pulviculus facilè redit in corpus, ex ære etiam nonnihil, de cæteris hactenus nihil licuit reducere. Aqva, qvæ singulorum amalgamatum trituræ inserviit, leniter in vaporem soluta relinqvit in fundo tantillum veri & pungentis salis; pleraqve hæc obtuli *Divo Regi Friderico*,

rico, unum Saturni salem, eumqve verissimum asservo hactenus, colore subflavum, sapore acrem, figuris velut incertis constantem, qvem & curiosis ad me ventitantibus ostendo. Hinc, arbitror, non difficile jam erit de *Conringii* sententiâ judicium; sunt enimvero, ut ostensum, in metallis salia, sed propter tenacitatem misti, non nisi tardè à vinculis suis dissolvuntur. Dari tamen alium adhuc modum & minùs cognitum, & plus salis allaturum non inficior, meum autem hoc inventum libens publico devoveo, & benigna lectorum judicia exspecto. Interea non prætereundum illud, si loco aqvæ simplicis stillatitiæ capiatur aceti stillatitii phlegma ad auri, argentiq; amalgamata, multum qvidem salis [& aliqvanto plus ramentorum nigrorum] obtineri, sed qvia ita sal auri cum phlegmatis illo sale concorporatur, ideo isti methodo diu insistere mihi non libuit. Et tamen confecta est hoc modo tinctura illa aurea viridis, qvæ in vitro meo miris modis intumuit, radiosqve qvaqvaversum sparsit longissimos [de qvo superiùs qvædam attigi non repetenda iterum.] Hydrargyro autem huic operationi adjuncto ne qvis sive salem illum, sive nigra illa ramenta attribuat, custodiendum, me neutrum ab eodem probè defæcato potuisse hactenus extorqvere, cùm solum diu, multumqve in mortario cum aqvâ stillatitiâ exercerem. Non licuit, inqvam, sive conspicuum oculis salem inde prolicere, sive pulviculum illum nigrum fixum, inqve ignibus constantissimum, cujus genii is est, qvem ex auro, argentoqve in lucem protraxi, cui an sulphuris metallici nomen assignandum sit, an auri inversi, mecum adhuc disputo. Ne qvis tamen existimet ideo hydrargyron sale carere, ab effectu præsentiam ejus in hoc metallo videor mihi perspexisse. Cùm enim Parisiis vitrum recens oblongum laminis chalybeis tenuibus & nitidis farsissem, adjectâ eâ hydrargyri purgatissimi qvantitate, qvæ intervalla omnia oppleret, clausumqve diligentissimè vas ad menses tres permisissem æstivo soli, tandem effracto vase, non, qvod institueram, scilicet qvæsitum Martis amalagma, sed, qvod non qvæsieram, re-

peri, omnes ferè laminas meas ferrugine obsitas, utcunqve in ipso hydrargyri demersas corpore, argumento, deprehensum in eo qviddam salinum sed volatile, qvod ferrum in rubiginem excitaret.

VI. Immò verò adeo latè habitat salinum hoc principium, ut in nullo hactenus elemento videatur deficere; in terrâ & igne promptè reperitur, in aqvis omnibus adest, nec in aere nobis circumfuso præsentiâ ejus caremus. Notavi id non tantùm in anhelitu humano, qvi sollicitè tempore hyberno in vitro collectus, spissatusqve leni calore experimento fidem mihi fecit, sed & in aëre pnevmaticis illis bombardis excepto, qvi laxatâ rotulâ stanneo vasi infusus in aqvam desinit, & illam, post simplicem exhalationem, salsuginis non expertem. Obduces, *elementa hic non esse pura;* at id nunc non agitur, qvalis sit elementorum substantia, de qvâ parum adhuc inter Philosophos hodie convenit; id mihi duntaxat propositum fuit ostendere, in sinu omnium elementorum salem delitescere, nec ullum hactenus mixtum observari, qvod sollicitissimè excussum eo destituatur. Nam parum cogit illud Conringii: *Igitur*, inqvit, *ex solis stirpibus & animalibus combustis sal producere concessum est. Nec tamen omnes horum cineres salsescunt, sed ferè tantùm illorum, qvæ sapore sunt prædita. Hinc sane saltim fixo aliqvo sale carent omnia ossa, omnia cornua combusta.* Et mox: *Jam porro ipsi illi cineres utiqve corpora qvædam sunt naturalia, & tamen, si per lixivium probe sal eorum fuerit elicitum, nullo igne amplius salsescunt.* Corpora post extortum iis salem omnem non ampliùs salem de novo statim profundere qvis dubitat? *Sed sunt*, inqvies, *cineres illi exhausti corpora naturalia, ergo oportet ea adhuc suis principiis gaudere.* Id verò nec sponderunt Chemici, & postulare iniqvum est, ut capita mortua adhuc sint viva. Satis est adfuisse salia, qvibus abstractis non desinit reliqvum esse corpus, sed corpus est principiis suis excitatoribus orbatum. *Fixo autem sale omnia carere ossa* longè falsissimum est teste multiplici experientiâ. Enimvero ex variis ossibus diu-

turnâ

turnâ flammâ in calcem niveam combuſtis facillimè elicio ſolâ aqvâ ſtillatitiâ paucarum decoctione horarum ſalem acerrimum, lixivumqve; nuperqve adeo ex duobus tibiarum bubularum oſſibus in album qvaſi cadaver flammâ duodecim horarum calcinatis integram ſalis lixivi drachmam cum ſemiſſe elicui, & eliciet, qvi poſt me tentaverit idem. De cæteris oſſibus, cornibusqve non diſſimile judicium eſt. Deceptum hîc Conringium ex eo videmus, qvod non adverterit docimaſtas oſſa non comburere tantùm, ſed & diu aqvis incoqvere. Hac enim viâ ſal decedit, non uſtione ſolâ.

VII. Qvod ad reliqva duo principia Chemicorum attinet, ſulphur & Mercurium, neqve iis deſtituuntur mixta. Nullum animal oſtendi poteſt, ex qvo oleum [& hoc eſt animalium ſulphur] educi neqveat, nullum ex qvo nihil aciduli poſſit ſeparari, & in hoc conſiſtit animalium Mercurius. Nulla planta, qvæ non vel oleum vehat, vel ſpiritum admoto igne flammantem; nulla, qvæ non preſſu ſuccum profundat, ſi ſibi permittatur, in acidum qviddam ſponte abiturum. Metallica, ut ut robuſtioris temperamenti, ſulphure & Mercurio non carent, qvod & acutiſſimo *Gebro*, aliisqve Chemicis jam olim animadverſum. Eqvidem hoc primùm illis cum animalibus & plantis commune eſt, qvòd rara minera illa ſit, qvæ ſulphur verum & flammaturum ſollicitè inqvirentibus non offerat; nulla qvæ ingenioſè in alkohol tenuata & aëri, ſi opus eſt, tantillum expoſita, deſtillatione non ſpiritum acidulum expromat. Qvod ultimum & metallis ipſis perpurgatis, etiam poſt ignes plures accidere notavi, ſi in minutiſſimas comminuta particulas in umbrâ primùm non nihil relinqvantur, ut à molli illo aëris incurrentis allapſu comminuantur adhuc ſubtiliùs. Qvem etiam effectum clariſſimè in ſcoriis Reguli Martis duriſſimis experimur, qvas cùm recentes ægrè ſatis in mortario redegeris in pollinem, in aëre tamen ſponte intumeſcunt, comminuunturqve in longè minutiorem & apertiorem pulviſculum, qvàm à piſtilli miniſterio exſpectares. Sed & in repurgatis

metallis adesse sulphur docet ad ignem sæpe tum flamma sulphurea, tum sulphureus odor. Hic contra insurgens *Conringius*: *Ne id quidem*, inqvit, *satis est certum, etsi vulgo creditum, illud qvod in metallorum coctione sulphur redolet, esse metalli partem, ceu jam tum ante diximus: multa enim cohærent metallis ab eorum substantiâ distincte naturæ, qvæ in illâ metallorum per ignem exercitatione variis modis patiuntur.* Sed qvia receptissimæ hîc sententiæ opponit se se Conringius, demonstrandum erat, qvod narrat, non sine rationum apparatu, nudè affirmandum. Qvænam sunt illa multa, qvæ tot ignes vehementissimos cum metallis ferre possunt [de vulgato, apertoqve igne sermo est] & ad metallorum tamen substantiam non pertinent? Fortassis nihil tale ostenderit *Conringius*. Æs vel septem ignes flammantes experitur, ut deponat sordes suas heterogeneas, anteqvam in manus emptorum descendat purum, defæcatumqve; qvicqvid postea sulphureum complexu suo tenet, id ipsi nativum est, cùm nec amplius fædè nigrescat, nec frietur, sed ad mallei incussum ductili se probet laminâ. Fac tamen, post viginti ignes aliqvid adhuc sulphuris externi in ære reperiri, certè post centesimos ignes [aut si mavis, qvamdiu æs est] idem & odor sulphureus, & sulphurea flamma, si ad iteratos labores Vulcanios provoces, adesse deprehendetur. Posse autem externum, & ad substantiam æris non spectans sulphur, & qvod superat, non fixum, sed fugax, tam diu inter tot ignium tormenta aperta ipsi adhærere nulla ratio saltem speciosa reddit verisimile. Scorias qvidem à metallis ignobilioribus flammarum ministerio separari extra dubium est, sed illæ non fiunt, nisi exterminatâ vi ignis aliqvâ sulphuris nativi parte, eoqve postea nonnihil ponderi metalli, si reducas, decesserit. Stannum, sive plumbum candidum, utcunqve omni sulphure destitutum appareat, si tamen elimetur, & cum duplo nitri in moderato igne tantillum detineatur, ingenti flammâ cœruleâ detonat, & de sulphuris sui præsentiâ manifestè testatur. Qvid si & ipse metallorum Rex aurum, etiam obryzum, purgatissimumqve sulphureos qvosdam natales suos

mani-

manifestè prodat? istuc sanè eunt frequentia apud nos per attritum partium auri experimenta, de quibus cùm liceret ex palæstrâ etiam meâ nonnihil afferre, placet tamen hic audire Virum Amplis. *D. Joëlem Langelottum*, Chemicum illustrem, cujus illa sunt in Epist. ad Nat. Curios. *Aurum foliatum*, inquit, *in minimas particulas conscissum, mortario vitreo densissimo vel aureo inditur, inq; eo chartâ tantùm tecto, ne pulvis vel aliud quid incidere queat, noctes atque dies continuâ molæ agitatione tam diu teritur, usquedum in pulverem fusco-subnigrum convertatur. Cui tritui ut plurimum XIV dies insumendi sunt. Si verò quis de die saltem operari velit, integro mense opus erit, dein pulvis retortulæ non nimis rotundæ, sed planæ, quales Anglicanæ solent esse, immissus igne arenæ per gradus, eoq; tandem fortissimo pellitur, & sic stillabit paucas quidem, sed rubicundissimas guttas, quæ vel per se, vel cum spiritu vini tartarisato digestæ verum exhibent aurum potabile, non fucatum, vel ullâ aliâ peregrinâ qualitate infectum.* Scilicet continuo hoc attritu laxatur compages minimarum auri particularum, nec possunt mercuriales illæ, salinæque atomi retinere secum postea sulphureas illas [ut est rubor guttularum istarum à sulphure ejus] socias, quin adventu ignis divellantur, & aliquâ sui parte ascendant, ascensuræ pluribus adhuc guttis, si trituræ diutius insistatur, & post umbraticas, ut ita rem exprimam, insolationes repetatur labor idem. Sed quia de odore sulphuris inter operandum reticuit *Langelottus*, de illo ita apud me paullo ante mortem Cl. *Ahasverus Paynck*, Medicus non itapridem Regius, & ἐξαίρετα Chemicâ paucis secundus: *Capio*, inquit, *foliorum auri purissimi unciam dimidiam, cumq; salivâ propriâ totis quatuordecim diebus in mortario vitreo subigo, donec videro omnia in nigram massam abiisse, odorem sulphuris omnium naribus manifestissimè afferentem, quam post aquâ simplici elutam jam ad usus Medicos reservo, jam ex retorta vitreâ in guttas aliquot rubicundulas propello, reliquis ad eosdem labores custoditis.* Et nè cui saliva illa improbetur, ecce eundem sine salivâ odorem! *Rutgerus Timplerus* apud *Prævotium* in Hortul. Med. ita proponit auri solutionem.

Philo-

Philosophicam: *Auri*, inqvit, *folia granorum sex, septêmve pondere mortario vitreo imponantur, pistilloq; vitreo (adhibito operculo ex ligno confecto) continuò atterantur, donec in pulverem nigerrimi coloris sulphur redolentem abeant, qvi pulvis nullo modo in metallum abit. Hoc propriâ experientiâ habeo. Paucissimis [qvod sciam] hic modus resolvendi aurum innotuit. In aliis metallis facilius succedit. Hactenus Timplerus.* Allata hæc tantùm, ut ex auri etiam purgatissimi probè comminuti odore de principiis ejus judicetur. Cumqve non dubium sit aurum etiam mille ignibus recoctum eundem odorem, si triturâ sollicitâ aperiatur, spiraturum esse, pertinere sanè ad essentiam ejus sulphur necesse est. Hydrargyro salem non deesse, jam ante reddidimus verisimile; neqve sulphur ipsi deerit, si igneæ est naturæ, qvod urgit Conringius. Sed cur in metallorum principio principia qværemus? Qvanqvam autem nulla adeo necessitas eò impelleret Chemicos, ut sua magis principia in metallis demonstrarent, qvàm sua Peripatetici, animi gratiâ tamen, & causæ fiduciâ huc libuit excurrere. Notum alioqvin, multa etiam mixtum aliqvod artificiale ingredi, atqve ita invicem permisceri, ut nullâ iterum arte inde se extrahi patiantur, non certè magis, qvàm ex pane grana tritici, ex vitro silices. Sed detúrne aliud in metallis sulphur, & qvidem non flammans, hic jam disceptare fortasse supervacuum est; id, qvantum constat, apud omnes in confesso habetur, esse in iisdem præter acidulum illum spiritum, alium Mercurium currentem, qvem appellant, argento vivo communi pænegemellum, qvem scopulum, cùm circumspectè prætervectus sit *Conringius*, neqve mei nunc fuerit instituti eundem uberiùs perseqvi; ostenderunt veritatem rei Clar. *Zwelferus*, *Langelottus*, aliiqve ita disertè, ut liceat *non entium Chemicorum scriptoribus* cautiùs posthac mercari. Ex lapidum omni ferè genere sulphureum qviddam vehementiori attritu extundi nemini temere ignoratur; ex aliis simplici triturâ & sal, & sulphurei generis tinctura proliciuntur, modo, qvem superiùs de tincturâ coralliorum aperuimus, neqve

salem

salem combusto calcariorum saxorum cineri negaverit, qvi vel lingvæ experimentum consuluerit, vel effectum calcis illius; utcunqve autem sal ille sisti neqveat oculis eâ formâ, qva plantarum salia, suffecerit vires illi efficaciſſimas non deesse, vel in psilothris conspicuas. Sed hæc hactenus de tribus Chemicorum principiis; de reliqvâ *Paracelsi* theoriâ medicâ viderint alii, ego, qvid de ipso, praxiqve ejusdem sentiam, proximè.

Cap. VIII.

I. Paracelsi mores à Conringio acerbiùs vexatos; eos tamen, qvalescunqve fuerint, non efficere, ut scientia ejus non sit laude digniſſima. II. Eum ab hostibus irritatum, more ingenii humani ad ultionem verbis asperioribus insurrexisse. III. Ex Oporini, licet graviter insectantis, epistolâ plus veræ laudis Medicæ colligi Paracelso, qvàm meruere hostes ejus universi. Itidem præclarè de eo sensisse Melchiorem Adamum, Barthium, alios. Neqve exceptionibus Conringii, licet speciosis locum esse. IV. Frustra itinera ejus in Daniam, & Sveciam vellicari. V. Usum honoratis Præceptoribus, & juventutem duriter exegisse. Qvòd si vino deditum viderit paullò provectior ætas, crimen illud humanum fuisse, & magnis redemptum virtutibus. VI. Non videri Magum fuisse, idqve ipsum jam antè visum Clariſſ. Naudæo,

& aliis. VII. Morum & doctrinæ vitia, qvæ ipsi adscribuntur, non esse tam enormia, qvàm inimicis omnia in pejus exaggerantibus apparent. VIII. Immeritò ignorantiam χρυσοπιηλικῆς ipsi exprobrari. IX. Nec rectiùs ignorantiam Scriptorum antiqvorum. X. Paracelsum lingvæ latinæ non fuisse ignarum; qvòd si in cultu vernaculæ sibi excideriт, idem usû venire Conringio in lingvâ Romanâ. XI. Cætera crimina, qvamvis levioris momenti, non tamen feliciùs eidem objectari. XII. Conclusio, de Apologetico Conringii.

I. SUrrexit avorum memoriâ ex Helveticâ eremo *Theophrastus Paracelsus*, medendi arte clarus, & experimentis Chemicis, ad stuporem propemodum, illustris, sed moribus & vitâ, ut apparet, inqvinatior: qvi expertus est jam tum vivus graves Medicorum qvorundam inimicitias; eorum præcipuè, qvi *Aristotelis*, & *Galeni* placitis se addixerant pertinaciùs, Naturæ rerum incuriosiores; qvi de sententiis Veterum totos dies fervidè declamabant, longè autem vetustiorem veritatem, in rerum intimis latentem per ignium non decipientium experimenta sollicitare pigrabantur; haud scio tamen an acerbiorem unqvam, infestioremqve *Conringio* senserit adversarium, qvi ut infamiam creet Viro, in arte Chemicâ, sine controversiâ versatissimo, omnia converrit, convasat, compilat, etiam morum fortuita; suspiciones format hostium *Paracelsi*, & discipulorum ingratorum testimonia advocat; nihil intentatum, nihil inausum relinqvit. Sed ne sic qvidem nobilissimum Scriptorem manibus sapientum excussit, excutiétve: crescit qvotidie *Paracelsi* gloria inter illas invidiæ spinas, & ut est qvisqve solidæ eruditionis Medicæ studiosior, inqve resolu-

solutionibus rerum per ignem exercitatior, ita evidentiùs paulatim conspicit veritatem Theophrastæam, & admiratur. Si qvid moribus peccavit *nobilis ille Helvetius*, stet, cadatqve suo Domino; qvid tanto opus apparatu, ut qvod à nemine laudatur, iterum protrahatur in scenam, ut occidatur occisus, ut irritentur eorum animi, qvi scriptis ejus addictiores mella qværunt, venenum, si qvod hæret, sollicitè declinant? Qvodnam aliud pretium referet infructuosi laboris *Conringius*, qvàm qvòd ostendat se ad exemplum aranææ, virus hinc inde exsugere posse, majestatem rerum *Paracelsi* non assequi? qvid lucrabitur, nisi ut *Aristoteles*, qvem ille pæne ultra humani ingenii fastigium attollit, coloribus etiam suis depingatur, & simul recognoscat *Conringius*, qvàm profano se mancipaverit Domino.

II. Non est utiqve instituti mei, *Paracelsi* nomine advocationem instituere, sed cursim tantùm ostendere innocentiam ejus; sciunt omnes hominem fuisse, & qvandoqve humani aliqvid passum, sed advertunt itidem, qvi experimentis naturalibus dediti sunt, vitia illa magnis redimi virtutibus. Fuit nimirum excellenti ingenio, fuit scientissimus arcanorum Naturæ mystes; si moribus defecit, si profanis aliqvando explicationibus in Theologorum sacra impegit, sibi hoc peccavit, sibi intrivit, ipse exedet. Solet magnis plerumqve ingeniis mixtura aliqva imbecillitatis humanæ adhærere, solet pingvissimo tritico innasci lolium. Non desiit factis immortalitatem mereri *Hercules*, si qvandoqve Omphales humeris exuvium leonis insternneret, & ipse ad colum ridiculus lanarum carptor assideret. Neqve sunt fortassis vitia *Paracelsi* tam gravia, ut vociferantur juratissimi ejus adversarii, qvibus musca præ odio, invidiaqve apparent qvandoqve elephanti Libyci. Ante omnia enim intuendum, *Paracelsum*, cùm reliqvos ætatis suæ Medicos scientiâ, & arte medendi superaret universos, ut jam jam demonstrabitur, invidiam declinare neqviisse, eorumqve præsertim accendisse odia, qvi inter eos *Galeno*, & *Avicennæ* addictiores, qvàm experimentis, & veritati, ex clarissimâ

ſimâ Paracelſicarum medicationum luce ſibi metuebant tenebras. Hinc illæ lacrumæ, hinc aculei in famam, nomenqve Paracelſicum graſſantes. Ille, ut erat liberrimi ſpiritûs, & non vanæ ſcientiæ ſuæ conſcius, convitia convitiis repoſuit, ignorantiamqve craſſam inimicis exprobravit. Sed cùm *Paracelſus* pæne id temporis ſolus, adverſarii ſexcenti, non mirum, ſi illi clamore vicerint, & mortuo tandem inſultaverint leoni.

III. Virulentiſſima eorum tela è pharetrâ *Oporini* deprompta, ingrati *Paracelſi* famuli, &, ut memorat *Toxites*, pœnitentiæ ob eandem culpam immortui; ex qvâ ipſâ tamen, ut ut acerbâ epiſtolâ plus ſolidæ laudis poſt fata collegit *Paracelſus*, qvàm totâ vitâ ex arte Medicâ peperere ſibi omnes ejus inimici. Vox *Oporini*: fuiſſe in Paracelſo *mirabilem faciendi medicinam in omni morborum genere promptitudinem & felicitatem.* Et mox: *In curandis ulceribus etiam deploratiſſimis miracula edidit, nullâ victûs præſcriptâ, aut obſervatâ ratione.* Poſtea: *Laudano ſuo ita gloriabatur, ut non dubitârit affirmare ejus ſolius uſu ſe è mortuis vivos reddere poſſe; idq; aliqvoties, dum apud ipſum fui, re ipsâ declaravit.* Neqve refragatur *Geſnerus* de Script. Chirurg: *Audio*, inqvit, *multos paſſim ab eo in morbis deſperatis curatos & ulcera maligna ab eo feliciter ſanata.* Conſpirat *Melchior Adam*, qvi in Vit. ejus, in hanc ſententiam ſcribit: *Theophraſtum ingenio acutiſſimo, ac ferè Divino fuiſſe præditum, & in universâ Philoſophiâ tam ardua, tam arcana & abdita eruiſſe mortalium neminem: leprâ, podagrâ, hydrope, aliisq; inſanabilibus malis & deſperatis multos liberâſſe: & qvotidie Baſileæ per duas horas tum activam, tum ſpeculativam Philoſophiam ſummâ diligentiâ, magnoq; auditorum fructu eſſe interpretatum, doctrinâ qvam non ex Hippocrate, ſed ex experientiâ aſſecutus erat.* Eadem mens eſt *Barthii* apud *Scoltzium*, Ep. Med. LXXX. *Ego*, inqvit, *de Theophraſto præclarè ſentio, admiranda præſtitit, ſed qvi eum perfectè intelligat, & qvæ ipſe fecit, faciat, nondum audivi.* Qvibus adjungi meretur teſtimonium *Franciſci* famuli ipſius, ut oculati teſtis, ex epiſtolâ ad Neandrum: *Pari induſtriâ novi ipſum leproſos, hydropi-*

cos,

cos, epilepticos, podagricos, morbo Venereo infectos, aliosq; innumeros infirmos gratis sanare. Id qvod Galenici Doctores non sine notabili dedecore non potuerunt imitari: unde in magnum apud qvoslibet contemptum inciderunt. Mitto *Rami, Gellei Zemei, Smetii, Qverceta-ni, Petri Severini,* aliorumq; testimonia, cùm ex ungve hoc facile sit generosum æstimare leonem. Intueantur epitaphium *Paracelsi,* qvi famam ejus, & gloriam obliqvo lumine adspiciunt, & desperabunt fortassis simile post fata sua elogium. Extat autem illud Salisburgi: *Conditur hic Philippus Theophrastus, insignis Medicinæ Doctor, qvi dira illa vulnera, lepram, podagram, hydropisin, aliaq; insanabilia corporis contagia mirificâ arte sustulit, ac bona sua in pauperes distribuenda, collocandaq; erogavit.* Obducit Conringius: *Paracelso curam internorum morborum qvandoqve non succeßisse; Gesnerum scripsisse ex famâ; Franciſci fidem in eo suspectam, qvòd gratis Basileæ feciſſe medicinam Paracelsum scribat, cùm constet, eum magno constituto pretio artem feciſſe; epitaphium ejus ab hominibus artis Medicæ ignaris conscriptum, pauperem eum deceßisse, eoq; malâ fide scriptum, bona ejus in pauperes erogata.* Sed nec ista tela effecerint, ut vadimonium deseratur. Qvando enim pollicitus est *Paracelsus,* se omnia corporis mala, & semper sublaturum? nihil vel ipse Æsculapius effecerit, læso graviter membro aliqvo principe, aut præsente fatali ægrorum termino. Audiatur *Paracelsus* ipse l. de Contract. *Non percurantur,* inqvit, *omnes contracti, qvia vel spiritum vitæ mortuum habent, vel ipsis fatale est, ut sic ægrotent. Utrumqve certò cognosci neqvit, nisi si remedia nihil proficiant.* Mitto in hanc rem plura *Paracelsi* loca. Satis est ergo, ipsum & sæpe, & feliciter desperata mala curâsse, Medicis aliis nihil auxilii spondentibus. Scripserit ex famâ *Gesnerus,* sed ut vir judiciô maturus, ex famâ constante, & diuturnâ; *Oporinus* autem ex fide oculorum, similiter & *Franciscus.* Neqve ideo *Franciſci* vacillat fides, qvòd gratis eum medicatum scribat. Gratis haud dubiè sanavit pauperes, locupletes aliqvando numeratâ pecuniâ. Postulaverit semel atqve iterum, certis de causis, operæ suæ pretium,

nihil id impedit, plerumqve sanâsse gratuitò. Epitaphii ejus non tam verba, qvàm sensus æstimandus. Qvis jure id à Medico deposcat, ut sepulcri sui inscriptionem jubeat ab hæredibus ad leges idiomatis Medici concinnari? hoc verè est nodos in scirpo qværere. *Paracelsum* autem decessisse pauperem, nec bona sua in egenos erogâsse, mirum à *Conringio* tam audacter publicari, cùm Testamenti *Paracelsici* tabulas, & legatum ex fide civitatis publicâ distinctè, operoseqve adduxerit jam ante hos qvatuordecim annos eruditissimus Vir *Fridericus Bitiskius* in illustri illâ Paracelsicorum Operum editione ultimâ Genevæ procuratâ, qvam si inspexisset *Conringius*, ante festinatam hanc ultimam de Hermeticâ Medicinâ commentationem, prudentiùs haud dubiè famæ suæ consuluisset. Sed non definit mordere *Paracelsum Conringius*, ubiqve ferè *Erasto suo* comitatus, & illo capitali *Paracelsi* inimico. Conspectiora enotabimus, minutiis ad sectores cumini ablegatis.

IV. Peregrinatum esse in juventute, & nobilissimas totius Europæ regiones, inqvirendo in naturæ & artis Medicæ secreta perlustrâsse constat ex diversis Scripti ejusdem locis. Id ut convellat *Conringius: Nè qvidem*, inqvit, *ipsi Paracelso licet tutò fidere, qvùm mendacissimus sit. Etenim* præf. sui Hospital. *adjicit lustratam sibi præter supra dictas regiones & Rhodum insulam & Daniam. Hujus tamen qvam habuerit notitiam, satis indicat, qvod alibi non semel Stocholmium urbem Daniæ appellitet.* Initiò, Paracelsi institutum non fuit Geographiam Daniæ publicare, sed qvàm raras potiones vulnerarias etiam apud nobiles in septentrione Danico matronas, l. II. de Cur. Vuln. observaverit, sine invidiâ annotare. Deniqve nihil adeò à *Paracelso* hîc commissum, qvod pœnitentiâ egeat in eo, qvòd Stocholmium id temporis Daniæ urbem appellaverit. Certè enim Danorum tum erat. Natus est *Paracelsus*, *Conringio* non diffitente, Anno Christi MCCCCXCIII, peregrinas regiones, & in iis Daniam adiit juvenis. Vixerit in Daniâ & Stocholmiæ circa annum ætatis vicesimum, hoc est anno Christi

Christi M D XIII, omnia tum Stocholmiæ à Danis tenebantur, & regio tota, extensa Dania, Christierno Secundo latè imperitante. Nam Gustavum primum constat circa annum Christi M D XXIII Regem demum in Sveciâ declaratum. Igitur temporum istorum ignariorem se prodit *Conringius*, qvàm *Paracelsus*. Qvin & consvetudo inolevit, Varsaviam Poloniæ urbem appellare, cùm sit Masoviæ. Qvot urbes hodie Galliæ sunt, qvæ ante seculum unum fuere Germaniæ? qvot olim Galliæ Cisalpinæ, qvæ hodie omnes Italiæ? *Paracelsus* tamen, ut ad rem redeamus, non tam regionum nomina inqvisivit, qvàm hominum ibi viventium scientiam, & præcipuè locorum temperiem. Hinc disertè l. de Morb. Tartar: *Non est locus usqvam tartareis ægritudinibus carens, qvanqvam non meminerim, an terram ullam unqvam adierim tartareis ægritudinibus minùs obnoxiam, qvàm qvæ Veltlinia* [Vallis Tellina] *vocatur; huic enim similis nec Germania, nec Italia, nec Francia, nec oriens, nec occidens in Europâ: nam in istius regionis indigenis nec ulla podagra, nec colica, nec contractura, nec calculus unqvam visus; regio ita salubris, ut salubriorem non invenerim omni peregrinationum mearum periodo.*

V. Præceptores juventutis suæ agnoscit *Paracelsus* [præter Academias Italiæ, Galliæ, Germaniæ, præter eos, qvi inter peregrinandum privatis experimentis docuere] parentem, Licentiatũ Medicinæ, *Abbatem Spanheimensem, Episcopum Settagiensem, Laventalienſem, Nicolaum Hypponensem, Sigismundum Fuggerum, alios*, ita ut nihil pœnitendum in eam ætatem irrepserit, nihil qvod non illustribus per reliqva ætatis spatia operibus evidenter præluserit. Accessit in juventute excitatissima illa artis, ingeniiqve Magistra paupertas, de qvâ *ipse* l. de Meteor: ingenuè: *Gratias primùm ago*, inqvit, *Deo, qvòd me natum Germanum voluit, deinde qvòd per ipsius gratiam in egestate & fame juventutem meam consumpsi, adeoq; gratulor mihi de die & fine meorum laborum, à qvibus jam data est qvies.*

Post vigesimum qvintum ætatis annum, si *Oporino*, & *Conringio*

ringio credimus, ad vinum propensior fuit; crimen qvidem, sed humanum, præsertim in eo, qvi jam metam scientiæ suæ feliciter attigerat, nec qvod disceret ampliùs, magnopere inveniebat. Excusatius id ipsum, qvòd Germanum se esse meminisset, de qvâ gente *Tacitus* in German. *Diem, noctemq; continuare potando, nulli probrum.* Qvin & abstinentissimos inter Italos non defuit magnus esse Cato, qvanqvam virtus ejus vino subinde liberiùs incalesceret. Accessit illa temulentiæ *Paracelsi* felicitas, qvæ nullius inimicorum ejus austeræ sobrietati: Hic Oporinus: *Cùm maximè esset ebrius*, inqvit, *domum reversus dictare mihi aliqvid suæ Philosophiæ solebat, qvod ita pulchrè sibi cohærere videbatur, ut à maximè sobrio melius non fieri potuisse videretur.* Et postea: *Incurandis ulceribus etiam deploratissimis miracula edidit, nullâ victûs præscriptâ, aut observatâ ratione, sed cum patientibus suis dies & noctes potando ita eos, ut solebat dicere, pleno ventre tamen curavit.* Ille ebrius vino, alii stolido amore sui, ille Baccho, alii Macchiavello, utri laudatiores, fortassis in ambiguo est. Interea professionem Medicam Basileæ cum laude sustinuit, &, ut in confesso est, Frobenium, aliosqve deploratæ sanitatis feciliter in integrum restituit.

VI. Sed objicitur gravius crimen, magiæ infamis postulatur à *Conringio*, ducibus præcipuè *Erastо*, jurato Paracelsi hoste, & *Oporino*, ingrato ejusdem discipulo, qvorum propterea testimoniis non ita securè creditur. Qvin & illi magis testantur suspiciones suas, qvàm ad oculatam fidem provocant. Mirum verò, audere *Conringium*, & alios qvosdam, qvi Christiani audire volunt, & animorum utiqve arbitri non sunt, ex nescio qvibus jactationibus ad vinum ebriosi natis [ubi sæpe Bombomachides aliqvis Plautinus totas legiones uno difflat spiritu] tam dictatoriâ voce pronunciare de alieno servo, qvi stat tamen, caditqve tantùm Domino suo. Nihil facilius, qvàm in *Paracelso* invenire gravissimas & in Dæmonem, & in damnatissimos ejuscemodi magos invectivas, à qvibus haud dubiè abstinuisset, si tam horrendi

rendi sceleris se se agnovisset reum. Suffecerit è multis unum, alterumvè adduxisse. Fragm: de Sagis: *Magi*, inqvit, *Pharaonis imitati sunt Mosen, à qvo edocti? à Dæmone.* Idem Phil. Occult. de abus. Mag. *Magia*, inqvit, [naturalis] *est ars expedita & pura, nullis vel ceremoniis, vel conjurationibus inqvinata, ut necromantia.* l. de Caduc. paragr. 1. Der Artzt soll nicht mit dem verzweyffelten Satan sagen: Es ist unmüglich: der Artzt soll GOTT ein grössers / und mehrers vertrauen. &c. Idem alibi Fragm. Med. de morbis ex incantat: *Dæmones tot viis, tot insidiis homines impetunt, ut ægrè iis resisti possit. Sed perdura, & uni Deo fide, & ita acta tua conclude.* Idem l. de Conserv. Rer. Natur. *Dæmonem* vocat *hostem animæ nostræ.* Iterum Frag. Med. Nun wil ich weiter von andern Kranckheiten anfahen / nach dem mir GOTT beyständig ist / der dann alle Bitt gewehret / was zu ihme schreyet / und ihn darumb ersucht / der den Artzt geschaffen hat / nicht das Fleisch allein / sondern das gesundt machen (ist) durch Ihn / daß Er da wolle seine Gnade mitgeben / die dann nicht beschicht / allein es werde bey ihm angeklopfft. Hæc non sunt infamis magi, sed laudatissima boni Christiani consilia. Et passim similia reperias. Idem in præfat. l. III. Chirurg. magn. Der ohne Kunst curirt / dancke GOTT von wegen seines Glücks: Der mit der Kunst / dancke umb die Kunst. Et in libr. *de Phil. sagaci*, multa hinc inde piè & sapienter monet, qvæ in ruborem forsan olim dabunt & *Erastum*, & *Oporinum.* Inter alia ibi legas: *Qvi vult absconditarum rerum arcana, notitiam non alibi qværat, qvàm apud Deum.* Idem qvàm piè morti se præparaverit, ex testamento ejus liqvidissimum est. Circumferuntur, fateor, ejus nomine sigilla, pentacula, characteres, & similia magorum crepundia; sed qvis fidem dabit, ea à *Paracelso* scripta? præsertim cùm disertè Oporinus: *Mirari non rarò soleo, cùm tam multa proferri video, qvæ ab ipso scripta, & posteritati relicta affirmantur, qvorum ego nè somnium qvidem unqvam illi objectum puto.* Sed fac, ab ipso scripta esse; qvis sensum genuinum interpretabitur, cùm ambigua sæpe fuderit oracula? non vocant semper Chemici scapham scapham, sed

more Pythagoreorum ſub involucris verborum arcana docent non niſi initiatis & experiundo aſſiduis obvia. Ita *Trithemium* feciſſe conſtat; ita *Paracelſus* ſe explicat in Manuál. I. *Diabolus in Alchymia*, inqvit, *eſt, ſolve, fige, coagula, reitera.* Si tamen qvicqvam ſceleratum indomito, temulentoqve ore profuderit, vinum haud dubiè, & inimici, à qvibus irritatus efferbuit, & *Helvetica vacca*, ut ipſe conqveritur alibi, vocatus fuit, in culpâ fuere. Itaq; illuſtris *Naudæus*, ut alios nunc mittam, ſingulari, & eruditiſsimâ Apologiâ & *Paracelſum*, & cæteras magnas mentes ab imperitâ doctorum vulgarium plebe magiæ ſacrilegæ ſuſpicione gravatas ita efficaciter jam ante hos viginti annos vindicavit, ut *Martino del Rio*, aliisq; contradicentibus difficile futurum ſit provinciam ſuam tueri. Supereſt, ut diſcernat cordatus lector, inficetiórne ſit *Conringius*, qvi negat ſine impudentiæ crimine in dubium vocari poſſe magicas *Paracelſi* artes, an *Naudæus*, [qvem *Conringius* tamen l. II. c. XV. virum doctiſſimum & amicum qvondam ſuum appellat] qvi modeſtiſſimè docet, de re non ſatis liqvidâ, non eſſe tam inconſultè, acerbeqve judicandum. Mirum certamen! accuſant *Germani Germanum*, vindicat *Goborius*, & *Naudæus* Galli, vindicat *Fluddus* Anglus, *Helmontius* Belga, *Severinus* Danus, alii, ut agnoſcamus, ſummis ſæpe ingeniis novercam eſſe patriam, reliqvum orbis matrem. Ego, ut largiar multa inepta & profana in libris ejus, qvales hodie teruntur manibus Curioſorum, reperiri, ita nihil mihi hactenus deprehendere licuit, qvod credere cogeret, malefici magi crimine fœdandum, inprimis cùm nec ex toto ipſius opere, nec ex omnibus ſuis teſtimoniis vel unum producere valeant inimici, qvi ab eo magicis artibus vel ſanatus ſit, vel transportatus, vel ſceleſtis præſtigiis eluſus [qvalia infauſto illi *Fauſto* ludibria attribuuntur] id qvod magnum innocentiæ Paracelſicæ videtur argumentum.

VII. Exprobrantur & alia *Paracelſo* crimina, negligentia ſacrorum exercitiorum, egeſtas, obſcuritas dictionis, ignorantia Logices, maledicentia, inconſtantia opinionum, imperitia χρυσο-

μαγικῆς

πιμελῆς, de qvibus strictim, & compendiò. Si sacra perfunctoriè curavit, ut *Oporino* visum, malè eqvidem rebus suis consuluit. Unum videtur hoc crimen emollire, divortium Ecclesiarum Paracelsi ævo natum, in qvo alii *Pontifici Romano* adhærebant, qvidam *Luthero*, nonnulli *Calvino*, in qvâ diversitate anxius qvò se verteret *Paracelsus*, à publico illo sacrorum ministerio abstinentior fuit, *Luthero* tamen, ut apparet, addictior. Disertè enim Fragm. Med. tom. 2: *Non ego novi qvenqvam*, inqvit, *qvi Lutherum oderit, nisi aut fanaticus sit, aut culinæ suæ damnum à Luthero factum senserit.* Egestatem qvi statâ ætate objectant, non advertunt simulationum & dissimulationum artes *Paracelso* necessarias fuisse. Flagitabat qvandoq; morosè pretium laborum suorum, ut suspicionem χρυσοποιίας à se amoliretur, & libertatem, qvæ *Adeptis* curta est, si internoscantur, sartam tectam conservaret; qvoties autem libebat, & gratis medicabatur, & crumenam bene fartam *Oporino* monstrabat. Obscuritatem dictionis amavit de industriâ, ne illotis manibus ἀι ἐκ βίβλων κυβερνῆται omnia statim involarent, nè Eleusinia sacra profanè universis prostitueret, gnarus & id factitâsse Ægyptios, & Pythagoræ asseclas, & ipsum deniqve Philosophorum Magistrum *Aristotelem*, qvi Alexandro libros suos Acroamaticos scriptos & non scriptos respondebat. Logicam Peripateticam non tam ignoravit, qvàm contempsit, ut instrumentum nimis generale, nec satis adhuc à spinis propriis liberum, eoqve ad eruncandas è scientiis & artibus spinas minùs hactenus necessarium, contentus naturali illo rationis probè subactæ lumine, qvomodo olim Isis Ægyptia, & *Hippocrates* Cous, hodieqve Chinenses sine præceptis Logicis feliciter medicantur. Maledicum fecit maledicentia hostium. Falso tamen *Conringius* l. II. c. XII. *Immò*, inqvit, *nullius planè Medici meminit citra famæ infectationem.* Videatur enim Epistola ejus ad *Thalhauserum* Medicum ante præf. Chirurg. magn. ubi Medicos ita appellat: Meine gute Herren und Freunde Doctores und Meister. Item Epist. ad Christ. Clauserum: *Excelsissimum atqve optimum cujusq; veri*

Medici est, ut suam ipsius, ac propriam veritatem medicam probè cognitam habeat, sciatq́, suine arcani potens sit, an non, perinde ac tu Christophore Tigurinorum Medicorum optime, nihil planè citra judicium & exqvisitam conscientiam in Medicâ facultate usurpas. Inconstantes. ejus opiniones qvi culpat, non satis attendit libertatem retractandi, qvæ si *Augustino*, *Tertulliano*, aliis permissa fuit cum laude, cur *Paracelso* vertetur in ludibrium? Et credibile, ipsum alia atqve alia retractaturum fuisse, si cana contigisset senectus, qvæ judicium plerumqve sedatius, maturiusqve afferre solet. Ut taceam, multa Paracelsica opposita sibi videri, sed iis, qvi lectioni ejus non intentè assveti sunt, qvæ à studiosioribus expensa amicè conspirant. Qvoties Hippocratica, qvoties Aristotelica, qvoties Galenica in speciem sibi adversantur? *Conringius* l. II. c. II. *Qvis sibi*, inqvit, *persvaserit illos flavam bilem numerâsse inter præcipua corporis nostri, & tamen alibi docuisse, naturam rectiùs potuisse carere & bile, & liene, & renibus? qvorum utrumqve est Paracelsicum.* Illa facilè conciliantur, si probè expendatur liber *Paracelsi* II. de Virib. Membr. *Malignitas splenis*, inqvit, *in eo est, qvòd progignat duricies, febres, putrefactiones, oppilationes.* Mox subjungit: *Possumus eo carere. Id agendum nobis, ut eundem consumamus, tollamusq́, id fit, si sutratar* [i. e. tartarus] *per retortam agatur* &c. Addit: *Renes sine noxâ tolluntur, ut remaneat eorum materia & vita, natura & operatio tollatur, id fit per aroph, is per destillationem in pane in liqvorem reducitur, & ita bibitur; potus hic aufert malum, qvod renes gignunt.* Postea: *Fel etiam, ut jacet materialiter, auferatur & consumatur, qvia choleram, colicam, iliacam, contracturas, tremores, & alia ventriculi mala parit. Ignorant autem Physici, qvàm fel nihil prosit, nam usus & honores illi ingentes addicunt, qvi nulli tamen sunt, est enim hoc membrum in naturâ superfluum, & qvasi abortus.* Mox explicat se ipsum adjungendo: *Fellis consumendi ita, ut qvantum ejus inutile est, aboleatur, processus est: R. Rhabarbarum & flores chejri ana, liqvorem ex utroq́ extrahe & utere.* Nimirum id velle videtur Paracelsus, [utcunqve loqvatur more suo liberaliùs]

super-

ſupervacuos tantùm & noxios membrorum iſtorum humores auferendos eſſe, neqve enim tartarus, qvem alibi ad conſumendum lienem laudat, ſubſtantiam lienis depaſcitur; neqve aroph [ſive crocus] ſubſtantiam renum; neqve rhabarbarum ſubſtantiam veſiculæ fellis; expreſſè enim tradit *renum remanere materiam & vitam*, jubetqve *fellis tantùm inutile tolli.* Excreſcunt ſæpe iſtæc viſcera in formidandam magnitudinem, qvam caſtigandam vult *Paracelſus.* Vidi ego olim Lugduni Batavorum, cum D. *van Horne* & D. *Jacobæo*, Collegâ meo, renem unum in infante Valone qvinqve circiter librarum, ita diſtenderat eum urina clauſo uretere ſiniſtro. Vidi nuper Hafniæ in Valentino Boccatio centurione lienem pæne trilibrem. Auferri tamen poſſe lienem beſtiarum qvarundam, illis ſalvis, hodie notiſſimum eſt, [qvid factum olim curſoribus, in ambiguo relinqvo] abeſſe in qvibusdam veſiculam felleam, ut in eqvis, cervis, damis, rangiferis, ſolo poro cholidocho præſente, non minus compertum, qvod & jam ante in Belgio, & hîc nuperrimè ſpectatum. Sed de liene habeo qvæ adjungam. Cùm ante hos octo annos apud illuſtrem *Bourdelotium* Pariſiis amicè diſceptaretur de uſu lienis, aliis contendentibus tam nobile membrum diu abeſſe non poſſe, ſalvo animali; igitur naturam poſt exſectum lienem ex vicino ſangvine vel novum iterum lienem fabricare, vel corpus certè lieni analogum, oppoſui ego inimitabilem illam fibrarum, vaſorumqve in liene texturam, qvam fortuitus ſangvinis allapſus neqvaqvam reſtitueret. Ventum ad ſponſiones. Ego poſtridie efficio, ut canis, [cui ante annum circiter in ædibus illuſtris *Domini van Zyllichom*, legati tum Pariſiis, nomine *Principis Aravſionenſis*, lien ablatus erat] in harenam illam diſputatoriam vivus, vegetus & ludibundus adducatur. Nec mora, aperitur, præſente cum plurimis aliis Medicis *Domino Bourdelotio*, nec vel vola, vel veſtigium renati lienis obſervatur. Locus autem pingvedine refertus erat, hærebatqve adhuc filum ſericum, [qvo conſtricta fuerant inter ſecandum vaſa] firmum, & robuſtum, colore tantùm ad pallorem

vergente, qvi ante fuerat, ut vocant, chermesinus. Sed ad *Paracelsum:*

VIII. Imperitiam χρυσοποιϊκῆς non satis prudenter objectant invidi, qvemadmodum ex toto ejus opere manifestum est. Vox ejus, l. de Tinctur. Phys. *Est mihi thesaurus in qvadam Fori Julii civitate Weiden, in Xenodochio reconditus, qvem nec tu Leo Romane, nec Carole Germane totâ substantiâ vestrâ persolvere potestis.* Accedit *Oporini* testimonium, accedit *Francisci* famuli. *Oporinus* qvidem: *Pecuniæ erat prodigus profusor, & eâ ita sæpe destitutus, ut ne obolum qvidem ei superesse scirem. Crastino statim manè rursum crumenam bene instructam se habere ostendebat. Ut non rarò admiratus fuerim, unde ei fuisset suppeditata.* Conringius modestè, *à Dæmone suppeditatum illud aurum* suspicatur, *Oporino* enim omnium, qvæ gessit *Paracelsus*, conscio rem alioqvin latere non potuisse. At latuit *Oporino*, an à Dæmone suppeditatum esset, neq; enim id sibi constare, scribere ausus est, licet tum in *Paracelsum* obliqvior. Nimis simplicem, nimis imperitum famularis fidei fingunt *Paracelsum*, qvi omnia ejus negotia famulis nota arbitrantur. Qvin immò ignoravit *Oporinus* præstantissima qvæq; *Paracelsi* remedia, nihil enim eorum præstare potuit, qvæ medicando præstitit *Paracelsus;* cur non & arcaniora ignoraret? Sed ecce qvàm fuerit peritus rerum Paracelsicarum! *Semper habebat*, inqvit, *officinam suam carbonariam instructam perpetuis ignibus, nunc alcali aliqvod, nunc sublimati oleum, nunc arsenici oleum, nunc Martis crocum, aut oppodeldoch mirabile, & nescio qvæ brodia coqvendo.* Illud, *nescio qvæ brodia*, luculentè ostendit, qvàm non penetraverit in intima *Oporinus.* His adjice, qvæ supra p. 293. disputavimus. Et amant Chemici ejusmodi innocentissimæ simplicitatis famulos, nè tacenda odorentur. Est enimvero illud *Adeptorum* scutum: μέμνησο ἀπιστῶν. *Franciscus* tamen famulus *Paracelsi*, *Oporino* forsan obtusior admissus semel ad Eleusinia illa sacra vidit Magistrum Basileæ integram prope libram argenti vivi in aurum convertentem, sicut apud *Neandrum* legimus contra *Gvibertum.* Hoc testimonium

nium ut clarisſimum cùm aliâ viâ elevare ſe poſſe ſatis ſpeciosè deſperet *Conringius*, iterum ad ſuſpiciones relabitur, traditq; ex liberalitate genii alicujus pulverem illum *Paracelſo* forſan ſuppeditatum; aliàs enim lucrum illi captatum ex arte Medicâ. Sed de teſtimonio *Franciſci* ſecuri, non dubitamus *Paracelſum* ideo pactâ qvandoq; mercede curâſſe ægros, nè ſuboleret argutioribus ars ſua, & ut cerebroſos inimicos ad minimum in ambiguo relinqveret. Si Dæmoni deſtinâſſet ſupplicare, cur juvenis tot periculoſa itinera carpſiſſet, tot Præceptores adiiſſet, tot experimentorum fuligine ſe inqvinaſſet? qvid qvòd juſta ſuſpicio ſit, malefico illi genio tantum non permitti à providentisſimo Numine theſaurum, nè ille impiis ſubminiſtrando turbet, miſceat, convellatq; omnia. Certè non memini me legere in exemplis vel unum ex venefico illo grege, qvi ad ſupplicia raptus prodiderit ſe lapidem Philoſophicum Dæmonis operâ poſſediſſe.

Cæterùm qvi attentiùs perluſtrat *Paracelſi* ſcripta, non poteſt non clariſſima lapidis Philoſophici apud eum cernere veſtigia. Vidit eum, & tantillum ejus dono amici poſſedit *Helmontius*, qvemadmodum teſtatur l. de Vitâ Æternâ: *Enimvero*, inqvit, *vidi illum* [lapidem chryſopœum] *aliqvoties, meisq; contrectavi manibus. Erat enim coloris, qvalis croco in ſuo pulvere, ponderoſus tamen & micans inſtar vitri pulverati. Datum mihi ſemel fuerat* ¼ *unius grani, &c.* Sed intueamur, qvàm toto ante Helmontii ſcriptum evulgatum ſeculo, & viderit eundem acriùs, & dexteriùs deſcripſerit *Paracelſus* l. de Transmut. Rer. Nat. *Metalla*, inqvit, *qvo calidiùs liqveſcunt, eò celeriùs tinctura ea tranſcurrit, & ut fermentum penetrat.* Poſtea: *Tinctura noſtra rubra, qvæ in ſe aſtra auri continet* [i. e. lapis] *eſt ſubſtantiæ fixisſimæ, penetrationis expeditisſimæ, ſummæ rubedinis, in pulvere ut croci pulvis, integro corpore ut rubinus; tinctura inſtar reſinæ fluxilis, inſtar cryſtalli pellucida, inſtar vitri fragilis, pondere graviſſima.* Hæc non ſunt ebrioſi ſomnia, ſed candidè & veraciter philoſophantis, & non obſcura poſſidentis argumenta. Omnibus his notis reſpondentem vidi

pulvi-

pulviſculum ante hos decem annos apud *Gothofredum Gerſtorffium*, qvi ex nobili Pragenſe in Medentem, præter opinionem, transformatus Amſtelredami conſidebat. Is cùm dono parentis decrepiti [cujus parens munus illud à vivo *Paracelſo*, ut faſſus eſt, obtinuerat] lapidis philoſophici fruſtillum poſſideret, multis hinc inde apud Curioſos experimentis veritatem χρυσοποιΐας oſtendit, & in meo etiam muſeo, vix qvadrantis horæ ſpatio, modicam argenti laminam in puriſſimum aurum ſine ullâ fraude, qvod attentiſſimè inſpiciens teſtor, convertit. Cumq; in re eſſet non lautâ, interrogatus cur non ad inſtar Midæ opuleſceret, repoſuit, neq; Parenti ſuo, neq; Avo, neq; etiam ſibi artem cognitam, ſperare ſe tamen illam poſt alia atq; alia experimenta Dianam, ideoq; miſſis aliis in patriâ fortunæ invitamentis cum ſpe divite peregrinari. Spem tamen ejus mors inopina deſtituit. Verùm nè meo ſolius pugnare videar teſtimonio, notiſſima hodieq; per Germaniam fama eſt ſimillimi pulveris, qvo *Dn. de Chaos* veritatem artificii Chemici variis locis illuſtravit, de qvo prolixè *Miſcell. Curioſ. Germ. prim. ann.* Sed juverit & hodiernum inſpexiſſe teſtimonium, qvod Arti luculentum perhibet *Illuſtriſſ. Dn. Theophilus, Comes de* Windiſchgrätz/etc. Legatus ad Aug. Regem noſtrum Cæſareus, heros virtute, eruditione, & meritis inclutus. Is ergo, cùm ex illo fortunæ ſuæ, & negotiorum edito Muſas qvandoqve noſtras humaniſſimè reſpicit, invitante in alia atqve alia colloqvii argumento, narrare ſolet: *Vivere hodie in Aulâ Cæſaris hominem viginti octo circiter annorum, ex Auguſtiniano pridem monacho nunc Chemicum, qvi pulviſculo ex rubro purpuraſcente metalla qvævis in obryzum purgatiſſimum facilè convertit, & plurimis ibidem apud maximos, medioximos, nonnunqvam etiam minimos inclareſcit experimentis: vel triginta homines Viennæ oſtendere confectum ab ipſo, ſe inſpectantibus, nobile illud metallum; atqve in iis illuſtrem Comitem Auguſtinum Wallenſteinium pectus qvotidie aureo torqve operis illius Chemici inſignire; qvin & illuſtr. Comitem Breunerum contemplatum eſſe ſtannum menſarium in aurum tingentem,*

tem, alios metallorum alia. Cumq; vitæ sit paullo dissolutioris, atqve magisterii, qvod non dissimulat, ignarus, existimare nonnullos in monasterio qvodam Pragensi inter moribundi cujusdam Patris capsulas thesaurum hunc indeptum fuisse; ipsum autem, cùm ante menses aliqvot ex febre periculosè decumberet, inqvirente in rem Medico, professum, ex indiciis qvibusdam se inductum, ut latentem alicubi, qvem olim Paracelsus sepofuerat, lapidem Philosophicum fodiendo investigaret, qvæsiviſſe sollicitè & reperiſſe. Qvæ hîc paullò pleniùs libuit diducere, non in artis modò gloriam, de qvâ non disceptatur, sed potissimùm in *Paracelsi* honorem, ut cui lapidis sui natales Viennensis hic thesaurarius ingenuè adscribit.

Qvomodo autem præparetur ejusmodi sive pulvis, sive tinctura, spargit *Paracelsus* more *Gebri*, per diversos libros, ut arceantur non prædestinati. Mirum verò qvàm hospitem se prodat in scriptis Paracelsi *Conringius*, dum ita l. II. c. XI. *At verò*, inqvit, *etiam illud tertio loco meretur cumprimis observari, qvòd Paracelsi qvidem nomine liber nullus sit editus in lucem, sive à qvoqvam laudatus, qvo artis χρυσοποιΐας præcepta, vel per ænigmata (nec enim nunc apertam doctrinam exigo) fuerint tradita. Hinc autem manifestum utiq; est, artis illius qvidem causâ nihil nos Paracelso debere: qvantumvis ejus peritiam homini velis tribuere.* Apparet hinc *Conringium* alienis plerumq; oculis legisse Paracelsum, & qvæ in eo carpit, magnam partem ab *Erasto*, *Sala*, *Libavio*, *Sennerto*, aliisq; mutuatum. Primò enim se offert Paracelsi *Manuale* de lapide Philosophorum Medicinali, qvod planissimè hujus argumenti est. Tacebo enim *Manuale* ejus, qvod in Appendic. Oper. *Paracelsi* exstat, licet ex avtographo ejus id descriptum fateatur editor *Joh. Huserus Brisgojus*, illud enim ultimum opus nec laudare decretum mihi, nec vituperare. Multa qvidem in eo falsissima in speciem, qvorum nonnulla forsan levis circumstantia vera efficeret. Nisi fallor collectum illud est à *Paracelso* adhuc juvene & peregrinante, suggerentibus diversa illis, qvibuscum familiariter conversabatur, qvæ tamen experimentis roborare, melioribus inventis, postea neglexerit.

xerit. Adjungitur illi *liber Metamorphoseos* ad Augustinum Sattlerum, in qvo ejusdem argumenti varia attingit. 2. *Paragrani* ejus *tertia pars* de fundamento Medicinæ *Alchymiâ* tractat. 3. Χρυσοποίηση operosè prosequitur scriptum Paracelsi de *Tinctura Physicorum*. 4. Idem argumentum tractat liber ejus, cui titulus, *Cœlum Philosophorum*. 5. Idem liber, qvi inscribitur *Thesaurus thesaurorum Alchymistarum*. 6. Idem *liber de Transmutationibus metallorum*, sive cementis. 7. Idem *liber de gradationibus*. Ut taceam in cæteris ejus scriptis hinc inde de genere hoc varia inspergi.

Erunt tamen forsan qvi obducent, si regnorum pretia in civitate Weiden possideret *Theophrastus*, cur adeo modicas in testamenti tabulis reliqvit, legavitqve opes? Nè id tamen oppidò admirandum; sunt enim *Adepti* illi diversæ plerumqve ab omnibus aliis mortalibus sententiæ, cumqve immensa possideant, pauciss imis utuntur; sive fato illo augusto mentem aliam inspirante; sive nolente Deo, ut omnes inaurent, & ab imperato sudore vultûs abstrahant. Qvicqvid horum sit, contrahunt se se in arctum magni illi fortunæ Domini, & duraturis inhiantes, pompæ, ambitionisqve inania declinant. Qvæ usqvam magnifica ædificia in nominis sui ostentationem molitus est? qvibus honoribus inhiavit? qvos exercitus conscripsit ille Magister artis, qvi *Helmontio* tantum pulveris [l. de Arb. Vitæ] chrysopœi ostendit, *qvantum ad ducenta millena librarum auri commutanda*, ut loqvitur, *sat foret?* qvodnam ille nomen in orbe qvæsivit, qvi ante hos sex annos *Joh. Friderico Helvetio* l. Vitul. Aur. lapidem auriferum monstravit ad pretium viginti tonnarum auri exsurgentem? Qvid ejusmodi Adeptis propositum sit, prudenter & luculentè edisserit *Anonymus Philalethes* Introit. Apert. c. XIII. qvi expendi meretur, nè qvis mentem festinatis judiciis præcipitet.

IX. Instat *Conringius*: helleboro dignum *Paracelsum*, qvòd *Aristotelem*, *Galenum*, *Avicennam*, veteresq; alios errare traderet, qvos tamen nunqvam legisset, nunqvam sanè intellexisset. Tradit eqvidem se eos legisse *Paracelsus* Brunoviæ Bohemorum; sed esto,

esto, non legerit, non iniqvè tamen condemnavit, qvòd Medicos, qvi eos sollicitissimè legerent, nihil magnum in medendo præstare, qvotidie animadverteret, sè autem iis neglectis, feliciter medicari. At pergit *Conringius: Non sibi debuit Paracelsus scripta sua, sed magnam partem scriptis antiqvorum Monachorum, Isaaco Hollando, Arnoldo, Lullio, Rupescissæ, aliis.* Tanto ille laudatior, qvòd theoretica aliorum suâ praxi illustraverit, qvòd à blattis & tineis alioqvin peritura vindicaverit; tanto ille minùs impugnandus, ut novator, ut paradoxorum & hæreseon faber. *Sed non fatetur, per qvos profecerit.* Qvantulum illud peccati est, *Conringius* ipse suo hìc diluet exemplo, qvi cùm *Sennerto* l. de Consens. & Dissens. debere se liqvidò sciat magnam partem flaminis insectationis suæ in Paracelsum, ejus tamen non nisi perfunctoriè ibidem meminit. Nec feliciùs objicitur, qvòd sententiam suam nudè asserat, nec eandem probet argumentis; tanta enim sæpe veritatis fiducia est, ut plus demonstretur simplici affirmatione, qvàm centum malè natis rationibus. Non probavit *Theophrastus*, qvia rationes naturales qvandoqve vulgaribus oculis celandæ prohibebant; probavere tamen ejus nomine tot ægri à morbis deploratis vindicati; probavere experimenta ignium *Helmontii, Ludovici de Comitibus, aliorum;* & verum in multis *Paracelsum* experiuntur, qvi hodieqve carbonum sqvalorem non fastidiunt.

X. Agmen claudit lingvarum imperitia *Paracelso* exprobrata. Nec illud crimen in Medico tantopere accusandum, præsertim eo, qvi rebus intentior, & experimentis, ægros curare instituit, non lonicis pascere oblectamentis. Eloqventia hactenus paucos restituit. Utqvenos multum eruditioni Græcæ, Latinæqve tribuamus, *Paracelsus* sanè absqve *Græcismis* feliciùs medicatus est. Qvin & ipsi qvandoqve Galenici Doctores, utcunqve praxeos Medicæ scientissimi, non multum temporis inter Græcorum, Romanorumqve literas perdidere. Novissimè, ipsum se intueatur *Conringius*, ut de aliis mitiùs arbitretur; qvàm non cavit sibi in illâ suâ literarum peritiâ vel in hoc opere Hermetico, à barbarismis, à solœcis-

loeciſmis, & aliis id genus Grammaticorum purgamentis? ſed non vacat nunc iſtuc plenâ operâ excurrere; interea ruminetur illas ſuas delitias: Præf. l. de Herm. Med. ad Colbert. *Et verò paucos demum annos eſt, ex quò à Deo datus hic Ludovicus regendæ ſuæ Franciæ & Navarræ vix ephebus fuit admotus.* Item l. 1. c. III. *Omni autem anteceſſo tempore, qui potuiſſet hoc ignorari?* repetiit hoc idem vitium in edit. ſecundâ, *interpretatum* autem ſignificatione paſſivâ, quod eodem loco editioni primæ immiſcuerat, metu barbariſmi ſuſtulit, & *frivolâ interpretatione acceptum* quaſi re bene geſtâ repoſuit, cùm *Ciceronis* teſtimonio de Leg. hîc ſe tueri potuiſſet. Ita ex *Horatio*,

In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.

Idem l. 1. c. x. *Reges corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos ſecâſſe, ſcribit Plinius.* Et mox: *Neque enim legas Ægyptios minutim ſecâſſe corpora noſtrum in morem:* Ubi *Conringius* bis hallucinatur, dum & ipſe crudo barbariſmo *ſecâſſe* latinitatem ſuam proſtituit, & cultiſſimum Scriptorem *Plinium* ſtribliginis ſuæ audacter facit Patronum. Nihil enim tale Plinius: verba ejus l. Nat. Hiſt. XIX. c. V. *Tradunt & præcordiis neceſſarium hunc* [raphani] *ſuccum: quando phthiſin* [rectiùs phthiriaſin] *cordi intus inhærentem non alio potuiſſe depelli compertum ſit in Ægypto, Regibus corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecantibus.* Neque in ſolutâ tantùm oratione abutitur ſcriptorum antiquorum verbis, ſed & liberrimè Poëtas luxare non erubeſcit. Placet exemplum! *Juvenalis ſat. XV.* ſcripſerat:

Dimidio Magicæ reſonant ubi Memnone chordæ,

Conringius, ut quidvis licere ſibi demonſtret, l. 1. de Hermet. Med. c. XIII. *Hermetem Trismegiſtum*, inquit, *Magum fuiſſe ſupra jam aſtruximus. Neq; enim nunc tangam, quòd*

Dimidio Magicæ reſonârint Memnone chordæ.

Miſereſcite Grammaticorum filii! Taceo deponentia apud ipſum [quid enim non audet?] paſſivâ ſignificatione uſurpari: Vis exemplum! l. 1. c. VIII. *Hermes*, inquit, *primus docuit Reges ac Principes, eosq; vitiis contaminatiſſimos divinis honoribus venerari.* Voluerat

coli

soli dicere, [ut apertum è textu est] sed claritate Hermetis confusus, pro telo, qvod librare debuit, in soloecismum incidit. Iterum *Conringius* l. I. c. III. Lapidicinas Thebanas advocat, cum vel pueris notum sit *lapicidinas* dicendum, qvod & jam olim monuit de Vit. Sermon. illustris *Vossius*. Nec nisi fæces olent, qvæ sequuntur: In præf. ad Lector. *Quàm intolerabilis sit superbia sensibus certitudinem suam ereptam ire.* l. I. c. II. *Hoc argumentum ad qvævis ingenii commenta patet propter incertitudinem.* l. I. c. IV. *Cujus hominis* [Manethonis] *vanitatem & mendacitatem ita perstrinximus.* l. II. c. XI. *Sufficit monuisse hoc loco, Paracelsicorum* neminem *hactenus aurificis illius Chemiæ* peritos *se se opere ipso præstitisse.* Item l. I. c. XII. *Quin in caussarum naturalium investigatione cespitârint.* Et l. I. c. III. *Neq; verò Synesii, imò nè Eusebii qvidem vel Tatiani* testimonium *tanti* fuerint, *ut propterea sequiùs sentiamus.* Et l. II. c. V. *Electoris Palatini dissectum cadaver* propalavit. Et mox: *Maleficia acetorum illorum* palliantur. Sed sunt fæces ejusmodi in hoc ipso libro plures, qvibus immorari non vacat; neq; has attigissem, nisi partim, qvòd plerasq; etiam secundæ editioni inserverit, partim eâ spe, ut aliqvantillum temperetur bilis *Conringii* animosè in Apolog. suâ scribentis: *Sperno omnem Borrichii indulgentiam.* Unum tantùm illud & ferè perpetuum *Conringii* delitium, *indubiè*, cur tantopere placuerit tanto literatori, qvi aliis Madaurica qvanqvam falsò objectat, neqveò satis hariolari. l. I. Hermet. Med. c. I. *Indubiè operæ pretium fuerit accuratiùs investigare.* l. I. c. II. *Intra hosce limites accipienda indubiè sunt etiam illa C. Julii Cæsaris.* l. I. c. III. *Ex qvibus omnibus jam sole clarior indubiè est facta Chemiæ novitas.* l. I. c. IV. *Singulari indubiè malorum Dæmonum arte.* l. I. c. V. *Indubiè qvòd simili præconio sermo ille commendetur.* Ibidem: *Indubiè illo usus est Johannes Stobæus.* l. I. c. XI. *Tum nec ipse συμπασμὸς illis usq; adeo indubiè fuit frequens.* Ibidem: *Verùm indubiè in codice suo Græco Ægyptios invenit Theodoricus Goudanus interpres.* Ibidem: *Eventu indubiè interdum exspectationi respondente.* Item: *Hæc fama enim indubiè movit Ægyptios vulgò credere.* Ibidem: *Indubiè ad horum*

Decanorum favorem promerendum. Ibidem : *Eadem indubiè fuit ratio sacrorum illorum medicamentorum.* Ibidem : *Indubiè verò βασιλεὺς etiam ibi audit Necepsus.* Sed qvid juverit loca omnia advocare, qvæ infinita prope sunt? imperiosa vox est, fateor, & Dictatori non inconveniens, nisi qvòd Dictatores olim Romani latinè loqverentur. Videamus autem, qvàm non barbarè, sed masculè etiam loqvatur *Paracelsus*, si qvando hæc illum cura remordet! Ita ergo ille ad Medicæ Artis studiosos programma suum Basileense orditur, Anno Christi M D XXVII, Nonis Junii, ut ex Operibus ejus constat: *Qvùm sola omnium disciplinarum Medicina, tanqvam divinum qvoddam munus, tum sacrorum, tum profanorum scriptorum suffragio, necessitatis titulo laudetur, atq; paucissimi Doctorum eam feliciter hodie tractent, visum erat illam ad pristinam suæ autoritatis laudem revocare, & qvam qvidam à fæce Barbarorum, nos ab erroribus gravissimis purgabimus. Non veterum addicti præceptis, sed iis duntaxat, qvæ partim indicatione rei naturæ, partim nostro Marte invenimus, & longo rerum usu, atq; experientiâ comprobavimus. Qvis enim nescit plurimos Doctorum hac tempestate, vel summo ægrorum discrimine fœdissimè lapsos? qvùm nimis anxiè Hippocratis, Galeni, & Avicennæ, aliorumq; dictis adhæserint, perinde ac ex tripode Apollinis hæc, veluti oracula, manaverint, à qvibus nè digitum latum discedere liceret. His enim Auctoribus splendidissimi qvidem Doctores, si Dis placet, non autem Medici nascuntur. Non titulus, non eloqventia, non lingvarum peritia, nec multorum librorum lectio, etsi hæc non parum exornent, in Medico desideranda : sed summa rerum ac mysteriorum cognitio, qvæ una facilè aliorum omnium vices agit, &c.* Sed nos è diverticulo in viam.

XI. Sunt & qvædam minutiora, qvæ *Paracelso* exprobrat *Conringius*, de nomine *Paracelsi*, de nomine *Theophrasti*, & id genus alia operosè, & propemodum inutiliter conqvisita, qvibus confutandis non vacat bonas horas impendere. Cur *Aureolus* vocatus fuerit, non opus erat confingere rationes ridiculas, certè enim satis ostenderit occasionem illud *Trebellii Pollionis* in D. Clau-

Claudio: *Inter gladiatores sæpius bonis pugnatoribus* Aureoli *nomen appositum.* De cætero legatur, cui otium, *Fridericus Bitiskius*, vir sine controversiâ & doctus, & modestus, qvi in præfat. suâ in *Theophrastum*, non tantùm vulgata illa crimina, qvæ magno illi Chemico ad ravim usq; ab aliis objecta sunt, diluit prudenter, sed & cur Academicæ Logicæ, cur *Galeno* se mancipare detrectaverit *Paracelsus*, diffusè, eruditeq; demonstrat, simulq; credibile reddit, & circulationem sangvinis *Paracelso* olim cognitam fuisse, & cordis ἀιμαστοσιαν. Interea mirari subit, cur *Paracelso* vitio id vertatur à *Conringio*, si qvis ardelionum fumos vendentium viros bonos fraudulenter emunxerit argento? cur, si peccavit *Thurneisserus*, [qvanqvam de clavo ejus res nondum liqvida sit. Vidi eum Florentiæ, notaviq; cum *Tachenii* arte nihil habere commune. Qvin ipse optimus, sapientissimusq; *Princeps Leopoldus*, magnus Naturæ consultus, & rerum etiam Chemicarum scientissimus, in privato mecum colloqvio testabatur judicium suum in ambiguo adhuc de clavo illo versari] si decepit *Bragadinus*, ideo *Paracelsus* malè audire debeat? nullo enim exemplo ostendi potest, *Paracelsum* qvenqvam vel fraudâsse, vel emunxisse pecuniis; itaq; stelliones ejusmodi *Paracelsum* neqvaqvam seqvuntur, sed sceleratas suas cupiditates, qvalia hominum portenta multis ante *Paracelsum* sæculis vidit terrarum orbis, & videt hodieq;, illo ex oculis mortalium remoto. Qvid jam olim contigerit anno Anastasii silentiarii Imperatoris XIVto, in hunc modum recenset Cedrenus: τοτε δε ἀνηρ τις χειμευτης, ἐκ τ χειμης τεχνων ὢν, ταις ἀπατεωις ὀφθαλμοπλαγησας ὑποδεικνυει δρυοκοπεσι καὶ ετεροις χειρας καὶ πόδας ἀνδριάντων, καὶ ἕτερα εἴδη χρυσοῦ, λεγων ηκειν εὑρησεις θησαυρους· καὶ πολλὰς ἀπατησας εἰς πειραν ἠγαγε: φήμης δε τοῦ αὐτὸν γενομένης, κρατηθεὶς ἤχθη τῷ Ἀναστασίῳ. Ὁ δε ἐπισκήψας αὐτῷ χαλκὸν ἵππον ὁλόχρυσον ἀπὸ μαρμαρίτου, ὃν λαβὼν ὁ βασιλεὺς ἔφη· ὅπως οὖν, εἰ καὶ πάντας ἠπάτησας, ἐμε γε οὐκ ἀπατήσεις. καὶ ἐξώρισεν αὐτὸν εἰς ἣν ἔφερεν, ἔνθα καὶ τελευτᾷ. Similes ergo impostores falsarii sunt, non Paracelsici. *Penotus*, si in mendicitate obiit, debet id temeritati operationum suarum, non *Paracelso.*

celso. Adrem *Trithemius* in Polygraph: *Chymia*, ait, *à pluribus amatur, & casta est, multas habet ancillas familiares, qvæ Dominam suam perpetuâ vigilantiâ custodiunt, seqve ejus nomine supponunt, ut eam conservent, tot importunè amantium tempore sempiterno intactam. Vanitas, fraus, dolus, sophisticatio, cupiditas, falsitas, confidentia mendax, stultitia, paupertas, desperatio, fuga, proscriptio, mendicitas, pediseqvæ sunt Chymiæ, qvæ Dominam simulantes amatam, eam inviolatam custodiunt, & semet ipsas illius procis pecuniosis, avaris, cupidis & fatuis libenter prostituunt.* Si qvis talis est, abstineat à Chemiâ, præsertim arcaniori illâ metallicâ ungves, nisi malit temeritatem suam luere opprobrio. Compositi ingenii est tenere ex sapientiâ modum. Qvid qvòd in omni arte fuci sint, & qvò ea illustrior, hoc illi & plures, & importuniores; nec propterea veris artium Magistris culpa impingenda. Sed nos *Paracelsi* tumulo levem terram optamus, hostibusqve ejus mentem charitati Christianæ viciniorem. Interea cùm sub finem Operis *Conringius* poëticâ lectores promulsîde in ludibrum *Hermetis* & *Paracelsi* invitet, *monstra hominum* appellans, non alienum fuerit metra ejus, sed nonnihil, ut æqvitas postulat, immutata hîc subjungere:

Talis in Isiacis qvondam clarissimus oris,
Et triplici magnus laude Taavtus erat.
Talis & Helveticâ natus Paracelsus eremo
Cortice sub rigido clausum adamanta dedit.
Astra sophûm: placuere ideo: prope Numina visa,
Sectaturq; suos turba perita Duces.
Discite inexpertis cauti diffidere Momis,
Sub titulo fellis mella subinde latent.

XII. Et hæc qvidem, *candide atq; incorrupte Lector*, qvantum per otium negotiosum licuit, de *Conringiano* illo scripto monere visum est, non ut læderem virum doctum, & alioqvin de Republ. literariâ bene meritum, sed nè ab eo læderetur veritas, non ut evagarer extra oleas professionis meæ, qvi Chemices elementa in

Regiâ

Regiâ Academiâ docere juſſus ſum, ſed ut extra ſuæ evagantem ipſum, & de rebus minùs ſibi uſu & exercitatione cognitis imperioſo ſtylo definientem in viam reducerem. Qvanqvam autem ex *Apologetico* ipſius plus ſatis perſpiciam, qvam ab eo gratiam ob bene merita initurus ſim, ita ob levem diſſenſionem jam ante ſarcaſmis, convitiisqve bacchatus eſt in immerentem, id tamen à vindicandâ ſacræ Chemiæ gloriâ [qvam non niſi qvi deſperant, morſibus adpetunt] abſterrere me non debuit. Si in eâ ætate emendari adhuc poteſt, non minimum mihi debebit; ſin ſecus, patiar ut cavillis porrò tumultuetur, & diſtingvat pagellas ſtomacho atq; acerbitate: ego illa imperitiſſimo cuiqve familiaria tela ſeponam, commendatâqve æqvis Lectoribus Chemiæ, & meâ innocentiâ non deſinam veritatem profiteri, & plus tribuere naturæ, artisqve præſtantiſſimæ majeſtati, qvàm hominis animi impotentiſſimi moribus, qvi cùm in omni propemodum diſciplinarum genere docere alios ſcriptis inſtituerit, primam illam & ſaluberrimam doctrinam, qvæ jubet *frænare affectus*, *cohibere iracundiam*, *ſuſpendere inconſultos calami impetus*, oſtendit ſe nondum didiciſſe. Attigeram qviddam ejus, & qvidem invitante iſtuc operis argumento, in *Diſſert. de Ort. & Progr. Chemiæ*, atqve fortaſſis molliori brachio, qvàm ille meruerat, ut præter meritum infeſtus & Ægyptiis, & ortæ ab iisdem Chemiæ, ut *the moſt bitter enemy*, *that ever the Hermetick learning*, *or that Hermes had*, qvemadmodum *Joh. Webſtero* in Metallograph. appellatur: has ille admonitiones ferreâ excepit fronte, injurioſisqve ultus eſt dicteriis, cùm rationibus ſe poſſe diffideret, etiam anicularum more in culpam trahens corporis fortuita, à qvibus nè ipſum qvidem immunem eſſe fatorum voluere arbitria. Dictionem meam admordit, tanqvam *Madavricè paſſim tumidam*, in qvo bis peccare maluit, qvàm tantum acumen perdere: ecqvid enim olet illud *Madavricè*, præter *Conringianum barbariſmum?* qvem tumorem Madavrenſi proprium in dictione meâ oſtendet? immò qvam phraſin? qvam vocem ſoli Madavrenſi familiarem? licet, opinor, in Orationibus [nec enim

aliud fuit *Dissertatio mea*, qvàm publicè habita Oratio] esse floridulo; licet ab aridâ & jejunâ narratione temperare. *Digressionibus me omnia contaminâsse* qvestus est, non advertens in omni ferè Oratione sapientissimo *Tullio* id venire usu, id *Plinio juniori* in luculento illo suo ad Trajanum Panegyrico, id aliis, ut in locum subinde amœnum digrediantur, varietate rerum Auditorum fastidia absterşuri. Ostendit *meam docendi methodum sibi displicere*, qvod neutiqvam miror, cùm doceam ipsius docendi methodum in disciplinâ hac practicâ non esse nisi theoreticam. Culpavit, *non esse signata à me loca illa, in qvæ animadverti;* sed nè id qvidem in Oratione solenne est; & qvis non putaret *Conringium* proprios agnoscere fœtus? Sed sunt & alia mea, in qvæ invectus est. *In eo*, inqvit pag. 423. *ostendit* [Borrichius] *minùs aptum se doctorem, qvòd cùm Chemiæ vox hodie πολύσημος, ingens q; sit discrimen inter χρυσοποιϊκὴν & φαρμακευτικὴν χημείαν, diversitatem utriusq; demum sub finem libelli pag. 145. & qvasi obiter indicet: qvam initio statim probus doctor produxisset, addito se de χρυσοποιϊκῆς Chemiæ ortu & progressu dissertaturum. Nec verò ἰατρικῆς, qvam vocat, Originem vel verbulo docere tentavit, præfationem licet dissertationis prope in unius illius laudem occupârit.* Sed ira & affectibus turbidos non mirum est parum valere oculis: alioqvin enim vidisset utiqve *Conringius* sub finem præfationis meæ verba ista pag. 8. *Ut vestrum persequamur institutum, de Chemiæ Ægyptiacæ, secretioris q; origine, progressu, fortunâ per orbem præfari hodie qvædam decrevimus, anteqvam proximè, fortunante Deo, elementa Chemiæ iatricæ publicè docenda exordiamur.* Qvænam est Ægyptiaca illa & secretior Chemia nisi χρυσοποιϊκή? qvam & Conringius ipse Ægyptiis attribuit. Immò verò distinxi ibi clarissimè inter Chemiam secretiorem Ægyptiacam, & iatricam hodiernam. Qvanqvam non inficier λίθον τῆς φιλοσοφίας Antiqvorum etiam in medendo valuisse, de qvo plura superiùs. De origine autem Chemiæ iatricæ hodiernæ me dicturum, promisi nusqvam. Verùm audienda & altera *Conringii* qverela: *Admordit*, inqvit pag. 423. *& alia nonnulla ejusdem mei operis Hermetici Borrichius*,

richius, idq; nunc hoc, nunc illud: ut mihimet ipsi difficile fuerit invenire illa suis locis. In universum verò omnia levis sunt momenti, & nullius prope ad humanam vitam usus. Nec enim multum interest vel illud scire, qvo tempore primùm cœperit Orbi ostentari ars qvædam χευσοποιική. Qvod si omnia illa levis sunt momenti, cur propter opinionem meam à suâ diversam non leviter iratscitur? si nullius prope usûs, cur ipse argumentum illud adeò prolixè & laborioſè jam ante prosecutus est? *Obruitur pæne*, ut agnoscit ipse, *melioribus negotiis, & magis necessariis*, interea ad ingerenda maledicta satis sibi temporis esse totâ illâ Apologiâ evidenter demonstrat.

Sed illis in sinum Auctoris sui officioſè rejectis, qvasdam *Apologetici* gemmas [præter illa, qvæ superiùs attigimus] contemplari hîc non erit alienum.

1. *Zosimum Panopolitam, Scriptorum Chemicorum, qvi ad nos pervenere, omnium antiqvissimum esse* constanter tradit pag. 424. Sed qvomodo ille antiqvissimus Scriptor, qvi post *Synesium* scripsit? ut superiùs pag. 78. ostendimus. Exstat autem illud *Synesii* Opus in biblioth. Reg. Christianissimi, à me Parisiis descriptum. Occurret *Conringius: At ad se non perveniſſe.* Sed nec *Zosimi* scripta ad *Conringium* pervenere unqvam, ut ipse fatetur pag. 17. & tamen *Zosimus* ipsi antiqvissimus audit. Decreta *Conringio* digna. Qvin & *Synesius* ibidem in *Democriti* qvoddam Scriptum commentatur, ergo & illud ante *Zosimum* exstare necessum est.

2. *Tubalcaino non tribuendam esse primam Chemiæ inventionem* urget pag. 425. non satis expendens rationes meas, præsertim illam, qvam pag. 10. de Ort. & Progr. ex Diodori Sic. bibl. Hist. l. v. proposueram. Qvòd si enim Vulcanus [qvi *Vossio*, *Bocharto*, & ipsa vocis similitudine persvadentibus, alius non est qvàm Tubalcainus] *omnis* circa ferrum, æs, aurum, & argentum *operationis, omniumq; caterorum, qvæ actionem ignis recipiunt, inventor* fuit, qvemadmodum planissimè docet luculentus Scriptor *Diodorus*, iniqvum fuerit ei qvandam [immò hanc ex nobilissimis unam] circa ignem & metalla operationem detraxisse. Cùm autem *Manethos*

descripserit ea, qvæ *Mercurius* primus in adytis Ægyptiis reliqverat, fieri vix potest, qvin etiam ejusdem *Mercurii* Chemica descripserit, ut Ptolemæo diligentiam suam probaret. Sed de his superiùs. Utrum autem liber ille *Zosimi*, de qvo *Conringius* hîc agit, Ἰμὲθ, an Ἰθμὲθ appelletur, novit ipse juxta cum ignarissimis, qvi librum illum vidit nunqvam, mihi inter legendum alibi Ἰμὲθ, alibi Ἰθμὲθ exstare visum est.

3. Scripseram *Diss. de Ort. & Progr. Chem.* p. 17. *Conringium praxeos Chemicæ incuriosiorem nunc ad solum judictum suum, nunc ad Hartmannum & Angelum Salam, tanqvam Oracula, provocare*, neqve adhuc video in eo me deliqvisse qvicqvam. *Conringius* autem, ut invehendi captet occasionem, dum iterum verba mea citat, viri boni officio non fungitur, excludens illud *Chemicæ*, qvod maximè adrem faciebat. Neqve enim ego usqvam de medicâ Conringii praxi fui sollicitus, sed praxeos Chemicæ incuriosiorem fuisse res apertè loqvitur: neqve verò ad *unum* qvantivis pretii *experimentum* suum Chemicum *toto illo* contra Chemicos *opere*, curtæ illius suæ supellectilis sibi conscius, ausus fuit provocare. Sanè experimentis si præmunitus fuisset, non & vera, & falsa tradentibus *Hartmanno* & *Salæ* tam adhæsisset pertinaciter, ut solebant olim superstitiosi Oraculis antiqvorum. Sed & hîc *prudenti Lectori* judicandi arbitrium committo.

4. Apolog. pag. 427. disceptatur inter nos, utrum qvisqvam statuerit metalla componi ex sulphure & Mercurio ante *Lullii* ætatem. Hîc *Conringius: Mihi*, inqvit, *de metallis tale qvid nusqvam excidit. Ex adverso disertè affirmavi multis placuisse Veterum Chemicorum, ex vero sulphure & argento vivo confici metalla.* Sed ut mittam barbarum illud ipsius *nusqvam* [pro *nusqvam*] cùm nè unum qvidem *Veterum Chemicorum* testem dicti sui laudare hactenus potuerit, manifestè vadimonium deserit: nam *Albertus Magnus* & *Avicenna*, qvos advocat, non sunt *Veteres Chemici*, sed ex ultimâ medii ævi lineâ, qvam ipse ævi Chemici distinctionem, ut probam

bam *Apolog.* pag. 428. agnoscit. Ego verò visus mihi sum videre ejusdem opinionis apud antiqvos Scriptores, *Pindarum*, *Hesiodum*, *Diodorum* vestigia, qvæ protuli *Dissert. de Ort. & Progr. Chem.* Cæterùm iisdem Auctoribus Chemiam ideo notam fuisse asserui nusqvam: sed id tantùm volui, Antiqvos Græcos ab Ægyptiis multa semicocta hausisse, qvæ qvò pertinerent, per taciturnitatem Ægyptiorum, nunqvam intellexerint. Et nos pueri multa discimus, qvæ viri primùm intelligimus. *Sed nemini illa interpretatio ante venit in mentem.* Immò verò jam pridem *Cl. Erasmus Schmidius* in illum *Pindari* locum: τὸ θεῖον, inqvit, *sulphur est, ex sulphure autem & argento vivo, qvod fortasse per* χαλκόν *notatur, aurum generari creditur Physicis.* Sed fac, *nemini ante me illa in mentem venisse*, ideóne ridicula erit interpretatio? multa Conringio in mentem venere in explicatione *Macchiavelli sui*, qvæ nulli antè Interpretum ejus venerant in mentem, & præsertim sanctum illud εὑρηκα, *Expendenda esse singula in Politico examine, non ad honesti & pietatis regulam, sed ex usu principatûs*: ideóne ridiculus Macchiavelli censendus erit interpres?

5. Apolog. pag. 429. pernegat *Conringius* se vel Ægyptiorum, vel Chemicorum odio exæstuâsse. Sed qvid verba perdimus in re obviâ & exploratâ? docet id totum illud *Conringii* scriptum tot invectivis aculeatum, de qvo judicent Cordati omnes. Cæterùm me qvicqvam odio sui scripsisse, qvod pertendit, demonstrabit nunqvam. Veritatem amavi; qvam à *Conringio* in Chemicis sæpe occulcatam ingemiscere, id verò dolui, & sine sibilo professus sum.

6. Apolog. p. 430. Ostendit *Conringius* displicere sibi, qvòd alibi inter inventa Ægyptiaca numeraverim *lucernas inextingvibiles*, alibi reposuerim inter commenta. Cæterùm salva res est: lucernas Ægyptiorum inextingvibiles, qvales *Kirckerus* describit in Mund. subterr. & ex illo ego recenseo *Dissert. de Ort. & Progr. Chem.* p. 108. inter commenta nunqvam retuli: de cæteris qvas *Licetus* prolixè inducit, ostendi me dubitare: qvanqvam nusqvam obfirmatè negaverim, certus multa adhuc fieri posse, qvorum rationes necdum assequimur.

7. Apolog. p. 437. ita Conringius: *Unius*, inqvit, *Plinii silentium verisimile satis reddit Chemica opera antehac fuisse nulla.* Nihil minus. 1. De plurimis Ægyptiorum rebus siluit *Plinius*, qvas attigere alii. Siluit de arte condiendi cadavera Ægyptiis tum familiarissimâ: siluit de arte intelligendi hieroglyphica: siluit de Ægyptiis Chemici artificii calicibus, qvos allasontes vocavit Hadrianus Imperator apud *Vopiscum*. 2. Qvomodo *Plinius*, qvem in Ægypto fuisse unqvam non constat, exsculperet omnia Ægyptiorum arcana? cùm artis illius nè qvidem τὸ ἔναγες nisi per nebulam revelarent cuiqvam, svadente id ratione, ut eò securiùs Helenâ suâ fruerentur. Neqve intellexit *Conringius* vim argumenti mei, de mumiis Ægyptiis, de pullitie, &c. qvæ istuc inclinabat: si tam levia arcana celarent Ægyptii, qvid non fieret majoribus? Immò nec potuere olim Ægyptii sapientes [secus qvàm hodie] τὸ ἔναγες illius artis prodere sine suspicionibus, sine periculo, ut cuivis rem æstimanti liqvet. Sed de his etiam qviddã supra.

8. Apolog. p. 438. reprehendit *Conringius*, qvòd scripserim: *Ad artis gloriam pertinere, nasci eodem cum magno aliqvo Imperatore ævo.* Excipit enim, natas hæreses ævo Constantini, nasci zizania cum tritico. Ego de cæpis loqvebar, respondet ille de alliis. Ergóne zizania sunt artes, & artes hæreses? Non scripsi, ad gloriam vitii pertinere, si tempore summi alicujus Principis exoriatur, sed de arte ego verba feci, & qvidem præstantissimâ, cujus gloria per se illustris à regimine tanti Principis splendorem etiam poterat mutuari. Sed & notandum p. 439. artificium *Conringianum:* cùm experimentum aliqvod non assequitur, ad dignum se confugit asylum, &, *Nemo*, inqvit, *mortalium solennia ista deliraverat.* Qvod an Christiani sit, viderint alii, contradictionis plenum esse apertissimum est; qvomodo enim illud *solenne*, qvod commisit ante mortalium *nemo*?

9. Iterum pag. eâdem *Conringius* mîratur, *cur Sendivogio ut plagii manifesto crediderim, artificium* συμμιγὲς *paucis verbis tradi posse.* Et mox: *si verum*, inqvit, *dixit Sendivogius, nugati sunt & mentiti omnes Chemici Scriptores.* Ego qvidem *Sendivogio*, ut editori

tori nihil tribui, sed Scriptori ipsi *Alexandro Sidonio*, ut artifici, multum. Sed cur ideo mentiti Chemici? an eorum qvisqvam id fieri posse negavit? aut nominet inficiatorem vel unum *Conringius*, qvod non posse certissimus sum, aut reum se agnoscat ejus criminis, cujus temerè incusat alios. Nemo sanè ex infinitis propemodum Chemicis mihi lectis negat artem paucis tradi posse; sed non ideo decretum est ipsis præmansum in os Lectorum inserere: ducunt procos per exempla, per rationes, per mæandros parabolarum, ne irruant in secretiora naturę palatia, sed comite pietate & labore pedetentim ingrediantur. Licuit, opinor, Salvatori nostro, ex aliâ causâ, qvatuor verbis, *dilige Deum & proximum*, totius Veteris, Noviq; Fœderis nucleum complecti, de qvo tamen *Prophetæ, Apostoli, & S. Patres* totis voluminibus sine labe commentantur.

10. Reliqva, qvæ hinc inde in *Apologet.* glomerat *Conringius*, vel superiori à me scripto confutata sunt, vel præ fœtore cavillationum indigna, qvæ operosè confutentur. *Svidæ* testimonium de vellere aureo non inniti alicui ex Scriptoribus illis antiqvis à me citatis qvando probabit *Conringius*? neq; verò ego *omnes* illos Diocletiano proximos Scriptores fuisse scripsi unqvam, certum est seculis ipsi proximis vixisse eorum qvosdam, à qvibus hausisse *Svidam* credibile est. Non vacat hic multis attingere, qvod p. 442. adstruit Conringius: *Borrichium hominem umbraticum rarò bellis interfuisse.* Fortasse justiùs umbraticus ille, qvi extra inferiorem Germaniam prospexit nunqvam, qvàm *Borrichius*, qvi & lucem vidit melioris Europæ, & hosti mœnia Hafnienſia, gentisq; libertatem oppugnanti ferro accinctus se tum opposuit, cùm impurissimi qvidam spiritûs tenebrio *Tumulum Daniæ* inscriptione mordaci evulgaret, ipse, salvâ adhuc & florente Daniâ tumulandus. Qvod de prunâ juniperinâ attexit, hæsitationem ejus satis fatetur: scribere enim alibi, *prunam juniperinam non posse diem unum superesse*, & agnoscere postea, *arte fieri posse, ut ignis in prunâ juniperinâ & aliis perqvam diu conservetur*, qvid est, nisi scribere pugnantia? neq; enim Chemici loqvuntur de plebejo conservandi

modo

modo, sed de artificioso. Tandem qvi digressiónes in *Dissertat. Borrichii* ferre neqvit, ipse nè in *Apolog.* qvidem, ubi pressiùs rebus insistitur, à digressione in *G. Agricolam* potuit abstinere, epigrammate eum honorans, & illo qvidem omnium falsissimo: etenim tribuere *Agricolæ*, licet homini egregiè docto, *qvod scierit in re metallicâ, & qvicqvid sciere Græci, Romaniq;, & qvicqvid nesciere*, [qvod solius Dei est] qvid spirat nisi vanissimam hyperbolen? Non multis perseqvar illud ipsius — *plura scis magne Georgi*, ubi *ra* præter morem seculi produxit. Utq; emollias vitium Virgiliano illo -- *date tela, scandite muros;* si tamen desitas jam olim diastolas in epigrammata hodie reducere fas est, reducat eadem operâ & illam: *Obstupui, steteruntq; comæ* -- -- Sed qvid non sibi permittit *Conringius* etiam in Poesi? *Præfat. in l. de Calid. Innat.* ita confidenter:

Chartaceum doctis donum fero: qvale sed inter.

Et l. de Fin. Imper. Germ.

Teutoniæ, magniq; agitans comitia regni.

Cui enim licebit, præterqvam *Conringio*, contra rationem, secundam in *chartaceus* corripere, & producere duas primas in *Comitia?* Sed cùm polliceatur *se qvampluribus meis multùm ineptis* parcere velle, in ἀνεδώσιμον parcam plurimis ejus delitiis philologicis, aliisqve limam & lucernam alioqvin formidantibus. Novissimè, laudare me instituit *Conringius*, qvi hactenus vituperaverat acerrimè. Sed qvid ego in laudibus indignantis Politici agnoscam aliud, qvàm illud Politicorum? *Pessimum inimicorum genus laudantes.* Laudant, ut viâ aliâ securiùs præcipitent; commendant, ut speciosiori titulo condemnent. Qvicqvid sit, ego, cùm plurimas, & clarissimas in *Conringio* dotes ingenii reperiam, desidero solidam illam & securam rerum naturalium per experimenta cognitionem, desidero reverentiam vetustissimæ Medicinæ, & Philosophiæ Ægyptiæ, desidero peritiam compescendarum perturbationum animi, qvibus vitiis invalescentibus, studia ejus in historiâ Naturæ, utcunq; laboriosa, ingeniosa, senilia non nisi serissimè matureſcent.

INDEX

INDEX.

ACeta metallica immeritò castigat Conringius, pag. 317.
Acetum an calidum? 308.
Adamantes conficere an potuerint Ægyptii? 101.
Adstringentium & attenuantium vires an cum aqvis stillatitiis ascendant? 341.
Ægyptiorum disciplinæ non fuere contemptæ post Platonis & Evripidis ævum.
Ægyptiæ Reipublicæ forma aliis prælata. 184. [226.
Ægyptii an herbis tribuerint vires naturæ vim excedentes? 125. seq. an in herbis legendis superstitiosi? 161. in morborum prognosi admirandi, 178. primi gentium credidere animam immortalem, 187. an primi coluerint mortuos divinis honoribus? 188. an coluerint animantia? 188. 191. cur coluerint animalia? 189. 191. 198. Qvomodo suos instituant? 196. an characteribus vim aliqvam attribuerint? 198. non se dedere turpiter in explicandis syderum facultatibus, 198. seqv. solis & lunæ defectus rectiùs expediere qvàm vel Græci, vel aliæ nationes, 205. non constituerunt solem semper supra Mercurium & Venerem, 206. an rectè divisérint homines in milites, Sacerdotes, & plebem? 207. etiam morbis affecti non otiosi, 212.
Ægyptiis olim & Romanis nullæ in templis imagines, aut statuæ. 190. 191.
Ægyptiorum artes communiores in columnis descriptæ, 212. ex doctrina eorum an nascantur hæreses? 230. Sacerdotum de sale, & abstinentiâ à piscibus sententia, 197.
Ægyptus abundavit medicamentis verè naturalibus, 131. accommodatissima ungventis, 132.
Æs facile in amalgama vertitur. 410.
Æsculapius uterqve. 44.
Alexandrini docuere Græcos, non contra. 203.
Amalgama Vitruvio notum. 97.
Anatome Ægyptiorum ad scrutandos morbos instituta. 141. seq.
Anatome Græcorum rudis. 228.
Anatomen non contempsit Paracelsus. 285.
Anepigraphus de Chemicis. 78.
Animalia Ægyptia. 135.
Animalibus prudenter usi Ægyptii. 139.
Apionis locus expenditur. 163.
Apollo qvis? 44.
Aqvæ Nili egregiæ. 197.

Aqvilæ anatome. 259.
Architectura Græcorum inferior Ægyptiacâ. 213.
Argenti tinctura flava. 306.
Argentum vivum an ignotum Ægyptiis? 93.
Aristoteles malè tradit inventum fuisse mare rubrum excelsius terrâ Ægypti. 214.
Aristoteli an aliqvid debeatur ob exploratas incrementi Nili causas? 195.
Aristotelis mores cur hîc inspiciantur? 236. ejus vita & mores, 237. seq. scripta, 241. seq. in leonis historiâ errores, 245. seq. in aqvilæ historiâ errores, 251. seqv. in historiâ crocodili errores, 268. seq. ejusdem qvidam libri de historiâ animalium an cum magnâ jacturâ rei literariæ deperditi? 278.
Artes in Ægypto ad maturitatem provectæ. 185.
Artes in Ægypto cur excellentiores, qvàm alibi? 213.
Artificum Ægyptiorum præstantia, 219. & illa magis ingenio Ægyptiorum, qvàm sumptibus adscribenda. 209.
Athenienses Ægyptiorum coloni. 183.
Auri tinctura viridis per aceti phlegma. 306.
Auro non deest sulphureum qviddam. 414. seq.
Aurum dissolvi potest. 304. 410.
Aurum potabile Anton. Londinensis. 293.

Bibliothecæ Alexandrinæ meminerunt Chemiæ. 77.

Cæpas comederunt Ægyptii plebeji, 234.
Cæpas cur non comederint Ægyptii Sacerdotes? 197.
Calices allassontes Ægyptiorum. 92.
Cedrenus de notitia Chemica Hermetis. 57.
Chemia Ægyptiorum qvalis, 155. 161.
Chemiæ inventum cur non apud antiqvissimos Hermeti expressè tribuatur? 43.
Chemica scripta Græca. 80.
Chemicorum opera varia à Conringio injustè carpuntur. 384. seq.
Circulus aureus immensi pretii in sepulcro Osymandyæ. 65.
Clysmata an carpat Paracelsus? 292.
Conringii objectio contra Chemiæ antiqvitatem, 51. rationes cur Ægyptii parum profecerint in sapientiæ studiis, non solidæ. 230. seq.
Conringius vituperat Ægyptios & Hermetem, 2. 3. in natalibus Chemiæ sibi ipsi contrarius, 58. langvidè probat ab Hierophantis Ægyptiis profluxisse Chemiam, 59. qvantum in Medicinâ & Philosophiâ ex Græcorum lectione profecerit? 223. in laudibus Aristotelis nimius. 277.

Corallia & margaritæ frustra à Conringio vellicantur. 325.
Coralliorum sal & tinctura vindicantur. 329.
Crocodili anatome. 275. seq.
Dædalus argento vivo usus est. 95.
Darius Hystaspis non luxaverat femur, ut Conringio visum. 204.
Daturæ vires. 129.
Democedis Crotonienſis factum. 205.
Democriti χειρόκμητα. 69. 70.
Democritus an Chemicus? 67. lapides in smaragdos convertit, ex Senecâ. 69.
Destillatio per descensum inobservata Conringio. 342.
Dionis Chrysostomi locus. 58.
Dionis judicium de Ægyptiis & Græcis. 221.
Divitiæ ægyptiorum immensæ, & incredibiles impensæ è Chemiâ profectæ. 61.
Doli Mendesii scripta non erant magica. 164.
EXperimentum ægyptii curiosum. 163.
Extracta Chemicorum frustra reprehendit Conringius. 377.
FErri usus in affectibus lienis. 303.
Firmicus de Chemiâ. 74.
Fodinæ auri seculo Hermetis in ægypto celebrantur nullæ, sed officinæ multæ. 66.
GAlenus an aliqvid tribuerit characteribus in medendo? 127.
Gemmarum pulvis, medendo utilis, 320. qvinta essentia, 323. tincturæ, 330.
Græci an lateritiam ægyptiorum doctrinam effecerint auream? 230. an Medicinam introduxerint in ægyptum? 203. ante Orphea an præstiterint sapientiâ ægyptiis? 229. an Magiæ studiosi? 220. coluere animalia, 189. coluere lapides, 228.
Græcorum optimi ad cultum ingenii capiendum in ægyptum fructuosè navigârunt, 181. seq. eorum studia & mores inspiciuntur. 222. seq.
HErmes Chemicus, 49. 50. 53. seq. inventor artium, 6. cur Numen vocetur? 8. lucrorum auctor, 9. Theologus, 9. Physicus. 10. omnium artium inventor, 10, 11. Principum consiliarius, 12. 13. frustra à Conringio taxatur, 14. 15. seq. Medicus, 23. seq.
Hermetis laudes, 4, 5. de scriptis ejus judicium, 82. libri, 32. seq.
Hieroglyphica Ægyptiorum, 214.
Hippocrates an evocatus ad Artaxerxem? 205.
Hippocratis gesta in æde Æsculapii, 174. liber de Vet. Medic. à Conringio frustra carpitur. 289.
Homerica qvædam Chemiæ indicia. 53. seq.

Hydrargyros an in partes dividi qveat? 411.
Hydrargyros & plumbum an igneæ naturæ? 309.
ὕλη ἰατρικὴ an minimâ sui parte ex Ægypto petita? 131.
IAchen Ægyptius. 170.
Ictteri cura per charadrium, 169.
Incubationes veterum in templis. 173.
Inodora non ideo minus valida ad medendum. 133.
Inventa Ægyptiorum curiosa. 211.
Isis an Medicinæ inventrix? 43.
Ἴυγγα κινεῖν an magicum? 169.
Jannes & Jambres an Sacerdotes Ægyptii? 167.
Judices Ægyptiorum justi, 184.
Judicium de Apolog. Conringii, 441. seq.
Julius Cæsar plus tribuit Astronomis Ægyptiis, qvàm Græcis, 202.
Jusjurandum Chemicorum Christianorum. 47.
Jusjurandum Isidis. 47.
Κινεῖν Ægyptiorum in morbis. 158.
Kyranides. 81.
Kyranidum libri. 192.
LAbyrinthus Ægyptius Græco præferendus. 181.
Lapidem Philosophorum ad medendum qvoq; advocavere Ægyptii. 294.
Lapides in usu medico fuere apud veteres Ægyptios. 319.
Lapides, marmora, & gemmæ Ægyptiorum. 148. seq.
Leges Ægyptiorum in Græciam translatæ, 229. & cur non adeo translatæ post Aristotelem. ibid.
Leonis anatome. 249.
Lex Ægyptiorum Regum admirabilis 185.
Lex de Ægyptiorum artificibus. 183.
MAchina Ægyptiorum singularis, qvam imitati Hafnienses. 211.
Magi Ægyptiorum, 215.
Mahemetis Ægyptii botanica. 123.
Manethos vindicatur, 35. seq.
Mansvetarii Ægyptii, 136. seq.
Mathematica Ægyptiorum. 201.
Medendi ratio Ægyptiorum, 176.
Medicina Ægyptiorum an fuerit Magica? 167. Ægyptia adhuc viget sine superstitione, 175.

Menstruum universale an dari possit? 387. 388.
Mercurius acidus educi potest ex mixtis omnibus. 413. seq. Chemicorum qvis? 402. Metallorum an detur? 416. vivus nativus an aurum attollat? 100.
Metalla Ægyptiorum, 152. metalla an alant? 298. metalla & lapides an solvi possint oleis stillatitiis plantarum? 388. sine igne possunt dissolvi, 306.
Metallicæ præparationes multæ fiunt igne leni. 316.
Metallica pharmaca frustra carpit Conringius. 301. 307. 310. 316.
Metallicis an vescantur animalia? 314.
Metallicorum calces an suggerant essentias, olea, &c. 328. an eorum nullus in humectando usus? 300.
Metallorum rara qvædam in partes divisio. 410.
Militaris Ægyptiorum res, 207. 208.
Mineralia Ægyptia. 147.
Minerva mundi recens scriptum est. 48.
Minium antiqvorum & Miltum. 96.
Mirandula de Ægyptiis. 219.
Moly Homericum qvâ vi egerit? 130.
Morbi omnes an Paracelso æstimati sanabiles? 291.
Mosis sapientia in Ægypto hausta qvalis? 225.
Mumiæ Bilsii Ægyptiacis an præferendæ, 210.

NAvigia Ægyptiorum. 210.
Necepsus Ægyptius. 171.
Nepenthes Homericum qvomodo egerit? 128.
Nili incrementum non certiùs definiere Græci, qvàm Ægyptii, 192.

OLea plantarum frigida an dentur? 376. olea plantarum graveolentia non fastidienda Medicis, 374.
Oleorum & spirituum ex animalibus petitorum vires. 333.
Oleum & spiritus cranii humani. 332.
Olympiodorus Chemicus. 76.
Olympiodorus de Chemiâ. 49.
Opera Ægyptiorum admiranda. 153. seq.
Oporinus Arcanorum Paracelsi ignarus. 293.
Orpheus an scripserit de herbis. 166.
Ossa non carent fixo sale. 412.
Osiium historia Alexandriæ explicata. 145.

PAmphili Scriptoris ineptiæ an ab Ægyptiis haustæ? 162.
Paracelsus qvis? 418. qvibus fuerit moribus & cur? 419. 420. theoretica sua

scripta nemini obtrudit, sed praxin suam laudat. 285. ludit vocabulis, 287. agnoscit Magistros suos, 282. an Hermeticus? ibid. de Hermete sensit honorificè, 280. 283. etiam inter pocula medendo felix, 424. an magus? 424 287. non fastidiit medicamenta è stirpibus petita, 296. non tribuit sibi monarchiam artium citra omnem exceptionem. 281.

Paracelsi discipuli an consentiant? 284. editionum & sententiarum diversitas, 283. ejus sententia de liene, renibus, bile, 428. 429. pietas, 425. Præceptores, 423. felicitas in medendo, 420. itinera in Daniam vindicantur, 422.

Paracelso cognita ars ξυστατική, 430. seq. objectæ à Conringio criminationes diluuntur. 421. seq. 427.

Patricius de Ægyptiis. 218.

Patrum Ecclesiæ judicia de Ægyptiorum, & Græcorum studiis, 219. seq.

Petrus Severini à Conringio immeritò reprehenditur. 290.

Petronius an contulerit aliqvid fertilitati Ægypti? 213.

φάρμακον ἀγερασίας Ægyptii, 172. ἀθανασίας Isidis, 171.

Phœnices & sphinges an sint commenta Ægyptiorum? 192.

Phthiriasis cordis Pliniana, 143.

Pigmentum Ægyptiorum admirabile, 211.

Pictura encaustica Ægyptiorum. 212.

Plantæ Ægyptiorum alimentis & pharmacis deservientes. 104. seq.

Plantarum resuscitatio ex cineribus, 360. seq. plantarum vires qvædam ex figurâ externâ jam olim qvæsitæ & inventæ, 380. plantarum virtutes omnes in aqvis stillatitiis non collocavere Paracelsici, 339.

Plato non est sanatus ab Ægyptiis, sed Euripides. 168.

Poëtæ veteres Græci an Magi? 165.

Principia tria Chemicorum contra Conringium vindicata. 393. seqv.

Pselli & Blemmedæ ætas. 79.

Ptolemæus an scierit omnia Ægyptiorum veterum placita? 199.

Pullities Ægyptia. 211.

Purgantia facile coguntur in extracta. 378.

Purgantium vires an cum aqvis stillatitiis ascendant? 340.

Qvercetani judicium de medicamentis metallicis. 299.

Qvinta essentia Fernelii & Sennerti, 388, Paracelsi qvalis? 390.

Radix Baaras. 21.

Religio Ægyptiorum. 185. 190.

Religio antiqva Græcorum. 228. 189. 220.

SAcerdotes Ægyptii Medicinæ inventores. 157. seqv.
Sacerdotes Ægyptios plantis superstitiosè usos non constat. 128.
Sal Ægyptiorum jucundus, 146. sal calcis vivæ, 417. sal coralliorum & lap. pretiosorum facilè paratur etiam sine igne, sine acidis, 409. sal in corporibus est ante combustionem, 404. seq. sal urinæ volatilis non fit combustione, 288.
Sale plantarum an in medendo usi antiqvi. 344. 346. 347.
Salem plantarum an ignoraverint antiqvi. 343. seq.
Salia ex animalibus volatilia iniqvè carpit Conringius, 334. 335. salia metallorum sine igne evocare, 409. seq. salia plantarum non sunt prope iisdem viribus, non solo gradu differunt, 351. seq. salia plantarum ad febres & alia mala utilissimè advocavere Paracelsici, 348. 349.
Salium plantarum naturam non bene intellexit Conringius. 368. 369.
Sangvine humano an inter magica tantùm usi Ægyptii? 337.
Sarisburiense monimentum à Danis erectum est. 42.
Serapidis & Saturni cultus qvando in Ægyptum introductus? 190.
Serpentum ova sine incubatu fœtus producunt. 270.
Sesostridis industria. 213.
Smaragdi antiqvorum an nativi? 99.
Spiritus ex plantis elici possunt sine fermentatione. 370. 371.
Spiritus ejusdem virtutis non elicitur ex animalium variorum sangvine. 336.
Spiritus plantarum non sunt omnes prope ejusdem naturæ. 372.
Stanni sulphur ostenditur. 414.
Svidas de Chemiâ, 84. de vellere aureo, 87.
Sulphur adest in mixtis omnibus. 413.
Synesius de Democrito. 70.
Syringes Ægyptiorum. 40.

TAautus, Thoor, Thoth, Theuth qvis? 2.
Terra medica Ægyptia. 146.
Tincturas Chemicorum frustra vellicat Conringius. 380.
ad Tincturas lapidum qvid reqviratur? 100.
Tria principia Chemicorum in aqvâ communi ostensâ. 399. seq.
Trophonii antrum qvid designet? 91.

VAsa destillatoria Ægyptiorum. 156.
Vasa lactea & lymphatica in volucribus hactenus observata nulla. 261.
Verulamii judicium de historiâ naturali Græcorum. 219.

Vitrioli vires. 312. 313.
Vitrum malleabile an scierint Ægyptii. 101. 102.
Vitulus aureus qvomodo à Mose divulsus. 226.
Vomitiones & clysmata Ægyptiorum. 160.

ZOsimi libri, 49. Conringio non inspecti, 51.
Zosimus caulam reddit silentii Ægyptiorum. 47.

Errata typographica conspectiora sic emendanda.

Pag. 11. lin. 13, ἀναγκαίων. pag. 12. lin. 26, injurias. p. 15. l. 18, diuturnis, & l. 33, Πυθημονικὼ. p. 16. l. 2, κεκρυμμένω. p. 19. l. 20, Conringii. p. 33. l. 1, attingitur. p. 47. l. 19, βασιλέων. p. 48. l. 1, Hermes. p. 60. l. 1. Ægypto. & l. 25, χρυσοποιήσως. p. 65. l. 33, eminentem. p. 78. l. 13, χρυσοποίας. p. 79. l. 17, Conringius. p. 85. l. 26, τοῖς. p. 93. l. 30, XXVIII. p. 103. l. 3, libri. p. 178. l. 31, discipulum. p. 196. l. 1, exprobrantur. p. 202. l. 15, Plinius. p. 203. l. 1, eruditio. p. 207. l. 18, hominum. p. 213. l. 4, incurreret. p. 238. l. 18, Alexandro. p. 271. l. 13, ἔφυσι. p. 273. l. 14, ingerentem. p. 288. l. 27, semunciam. p. 304. l. 23, alia. p. 305. l. 10, Artific. p. 320. l. 17, arbitror. p. 332. l. 25, abhorrebunt. p. 335. l. 24, illud. p. 341. l. 12, cochlearia. p. 343. l. 5, ægrè. p. 361. l. 2, resuscitationem. p. 368. l. 1, historia. p. 407. l. 17, diuturno. p. 411. l. 27, Nè. p. 427. l. 14, Adeptis. p. 430. l. 4, χρυσοποιικῆς. p. 440. l. 18, ludibrium. Cæteris æqvus lector ignoscet.

OLAI BORRICHII CONSPECTUS SCRIPTORUM CHEMICORUM ILLUSTRIORUM,

Libellus Posthumus

Cui præfixa

HISTORIA VITÆ

Ipsius ab Ipso conscripta.

HAVNIÆ,
Sumptibus SAMUELIS GARMANNI Bibliop:
Anno M D C XCVII.

CENSURA.

Est in hoc scripto p. m. OLAI BORRICHII multis præsidium quo explanent quicquid in libris Chemicorum arduum est, atq; ut meditentur munera Naturæ; unde ipsis suppetat perenne argumentum laudum Divinæ benignitatis. Quo ut fruantur publica studia, typis divulgari posse censeo

Hauniæ die 29. Septemb.
Anno 1691.

Eras. Bartholin.

VITA B. BORRICHII
Ab ipso conscripta.

OLAUS BORRICHIUS lucem hanc mortalem adspicere primùm cœpit, anno à nato Salvatore MDCXXVI, ipso die Soteriorum, patre Dn. Olao Claudii parœciarum Borch in Ripensi Cimbrorum diœcesi Sacerdote, matre Margaretâ Laurentiâ. Mox optimorum parentum ductu, & auspiciis vineæ Christi insitus, & qvàm primum ferebat ætas, initiatus Musis, partim curâ domesticâ, partim Magistrorum in ludo literario Coldingensi, Ripensiq; ita profecit, ut anno labentis seculi XLIV maturus æstimaretur Academiæ. Qvem ergo id temporis è palæstrâ suâ Ripensi emisit, Vir Clarissimus Johannes Mejerus, eum protinus benevolo sinu amplexa est studiorum liberalium mater, Academia Hafniensis (Rectore D. Nicolao Pauli Scandorphio, Decano M. Johanne Christophori) detinuitq; inter Musas varii generis ad annum usq; MDCL. Interea inter cæteros sapientiam literariam professos præcipuè coluit Dn. Olaum Wormium Medicinæ, & Antiqvitatis patriæ statorem, Dn. Thomam Bartholinum Anatomicorum Principem, & Polyhistorem, Dn. Simonem Paulli, Archiatrum Regium, & Floræ delitium, qvorum placitis ita constanter insvevit, ut divelli se postea à studio Medico non patere tur, cui tamen amor Philosophiæ, Pöeseos, & Philologiæ accessit. In eo dum erat, nè qvam diu Hafniæ inter excitatos docendi artifices versabatur publico usum sui, si qva in didacticis arte valeret, videretur subtrahere, evocatus ad erudiendam in sextâ classe scholæ metropolitanæ juventutem à viro Nobilissimo & celeberrimo M. Georgio Hilario ejusdem ludi Rectore paruit, &, qvid multa? ob insatigabilem diligentiam vitæ innocentiâ comitatam placuit; dilectus hoc nomine optimo cuiq; studiorum juvenilium censori, & in iis viro consummatissimi judicii Dn. Casparo Brochmanno, Selandiæ Episcopo acerrimo studiorum Scholasticorum exactori;

atq; per eum, generosiss. Cancellario Regio, Dn. Christiano Thomæo; qvo effectum est, ut in uberiora studiorum incrementa à providentissimo Regum Friderico III, Canonicatu Lundensi præter exspectationem omnem locupletaretur. Postqvam autem in illo docendi studio qvadriennium exegisset, invitatus à generosissimo Viro, Georgio Rosekranzio ad regendam scholam illustrem Herlovianam, modestâ excusatione spartam oblatam declinavit, qvòd videret hac viâ interpellari studium, cui se devoverat, Medicum, & peregrinandi desideria: licet urbs regnatrix pestilenti, eâ tempestate, contagio tantum non succumberet, cadentibus paucos intra menses novem millium hominibus, & qvod excedit; in qvâ lue tot funeribus atroci prima Medicæ praxeos tentamenta auspicatus est, & qvid pharmaca humana possent adversus tam violentum hostem didicit experimentis.

Qvievscente tandem malo, postqvam annum adhuc unum Discipulis ad pietatem & bonas artes formandis impendisset, destinato ad exteros itineri accinctus, in Aulam illustriss. Viri Dn. Joachimi Gerstorffii, primarii tum ministri Regii ex improviso accersitur ad regendos generosiss. filiorum annos: hîc licet prosequi de cretum iter maluisset, promptè obtemperat, haud ignarus in sanctâ illâ domo & studiis suis privatis relinqvi locum, & Domino ipso nihil reperiri eruditius, humanius, sapientius. Qvinqvennium tenuit aulica illa vivendi ratio, nec poenituit interea vel illustriss. Gerstorffium electi ad hoc munus Borrichii, vel Borrichium officiocissimi sui obsequii. Verùm qvia iter ei continuò in oculis, in desideriis, soluta demum obsidione Hafniensi, Borrichius à sacrâ Reg. Majestate Professioni Philologiæ, Pöeseos, Chemiæ, & Botanices in Acad. Hafniensi destinatur, factoqvé mox in publicâ, pro Cathedrâ dignè tuendâ, dissertatione periculo; atq; impetratâ paullò pòst ad exteros proficiscendi veniâ, à Domino suo inter optata vota, qvibus annectebatur illud: *Cœpisti apud me, Borrichi, virtutibus tuis excitare fortunam, qvam ego redeunti fabricabor*, dimissus patriâ excedit circa festum D. Martino sacrum, Anno Christi MDCLX. Et primus qvidem in Belgium ferebat impetus, nisi qvòd Hamburgi tantillum subsisteret, Schuppii, & celebrium Medicorum, Cassii, atqvé Mich. Kirstenii humanissimâ inductus conversatio-

satione. In Belgio præter florentissima ubivis oppida, multitudo Eruditorum oculos animumq; invitabat; qvos inter familiaris illi ultra biennium consvetudo cum Lindenio, Sylvio, van Horne, Hornio, Gronovio, Vossio, Vorstio, Cocceo, Rumpffio, Blasio, Barbettio, Origano, Kekelio, Marcgravio, aliis; Unde non potuit non ad disciplinas, scientiasq; Apollineas experrectior, paratiorq; discedere. Interea funesto perculsus nuncio de obitu magni sui Gerstorphii, Patroni exspectatissimi, serò recognovit qvàm vitreæ sint res mortalium, qvàm caduca vota, & qvàm in rebus humanis securum nihil. Collegit se tamen & advenientes non ita multò pòst in Belgium Gerstorphios filios, jam utroqvé Parente orbos, rogatu Amicorum, in contubernium suum recepit, viam, qvâ ad virtutem, honestatem, eruditionemq; eundum, admonitione fideli aperuit, nihilq; reliqvit intentatum eorum omnium, qvæ legitimè ad honores grassantibus curæ esse solent. Inde exacto inter studia cum ipsis familiaria anno, comitantibus iisdem per Flandriam, Brabantiamqvé visenda speculatus Londini sistitur mense Junio, anno reparatæ salutis MDCLXIII, & mox Gerstorphiis suis per illustrem Svanium aditum patefacit in Regiam, sibi per frequentia alloqvia in amicitiam Dn. Cancellarii Reginæ Matris, Kenelmi Digbæi, Roberti Boylæi, Charletoni, Möseleri, Polemanni, aliorum; Oxonii qvoq; familiariter usus D. Willisio, Wallisio, Edmundo Dichinsohno, & Roberto Scharrochio. Inde digressus per amœniora Provinciæ Gloceſtriam, Bristolium, Wellisium, Sarisburium, Cantuarium, & qvicqvid in itinere illo vel ars commendabat, vel arcanior naturæ genius, attentè inspexit, tandemq; adulto jam Augusto mense in Galliam sese cum Gerstorphiis suis transtulit, Dieppam in transitu, Rothomagumq; perlustrans, Parisiis sedem constantiorem elegit, ut in qvâ urbe hominum exemplorumq; feracissimâ nobilis illa Gerstorphiorum triga ad virtutes, spectato tot bonorũ præmio accenderetur, à vitiis abhorrere disceret tot malignorum supplicio. Et nè ipse sibi interea deesset toto, qvod ibi transegit, biennio, doctis, curiosis, rerum expertis sese adjungens planè ex animi sententiâ vixit, inter profuturas cum illustribus Viris, doctisq; hominibus conversationes, qvos inter ex infinitis pau-

ci

ci enumerantur, D. Habertus Mommord, libellorum supplicum in Regiâ magister, D. Gobelinius, Parlamenti Parisiensis præses, D. Bourdelotius, Thevenotius, Patinus, Auzotius, Justellus, Boucaudius, Martellus, de l' Oborie, Borel us Tamponettius, ut innumeri alii prætereantur. Cumq; tandem in Daniam ad Curatores suos ob rationes rei familiaris evocarentur Gerstorphii, jam tantò curis alienis solutior Borrichius instituto suo alacriter institit, & spectatis cum curâ ad Ligerim Urbibus Aureliâ, Blesis, Richeliade, Thuronio, Salmurio, Andegavi inter Medentum cathedras variè tentatus supremis demum in arte Medicâ honoribus auctus est brabevtâ Tournesio. Inde per Flexiam Cenomanosq; Lutetiam reversus, post brevem moram Italico accingitur itineri. Et Lugduni qvidem ad Araris, Rhodaniq; fluenta non nihil commoratus est, amicitiæ D. L' Amoniere, Bertetti, Busenasii, Schalæi, Vilettii illigatus: mox Gratianopoli à præside rationum Parlamenti D. Böesslio, Salvagnio, & Visancurtio, humanissimè exceptus, per grande illud Carthusianorum in Alpibus monasterium, per castellum Sabaudiæ Mommelianum, per Anessium consecratione Franciscì de Sales tum celebre Genevam perrexit, & non ita multò post secundo Rhodano Viennam Allobrogum, Avenionem (ubi colloqvium illi cum Barone de Villeneuf, ex familiâ antiqvi illius Arnoldi Villanovani adhuc superstite, & rerum Chemicarum non imperito) Tarasconem, Nemausum (in qvâ urbe cum Dn. Gviran Consiliario Regio, & Antiqvitat. Romanarum scientissimo fructuosa illi conversatio) adiit, Monspelium contendens: vetus illud Medicinæ domicilium nè nunc qvidem Machaonum gloriâ destitutum, ubi præter cæteros affecit nobilisſ. Dn. Beauxhostes prolixa humanitas, & sacratioris Philosophiæ cognitio. Inspectis deinde, qvæ fama commendabat oppidis Arelate, Aqvis sextiis, Massiliâ per Alpes maritimas Herculi olim tritas vallemq; Pragealam Valdensibus habitatam Pignarolum intravit, & mox in Italico solo Augustam Taurinorum; ubi à Marchione Pianezzæ, primario Ducis Sabaudi ministro splendidè exceptus, & cum Archiatro Torrino de verâ cordis fabricâ, inventisq; recens vasis salivaribus amicè disceptans toti mox Aulæ innotuit, ad familiare colloqvium postea admissus à Marchione de Caraglie

raglie, Marchione de S. Amian, aliisq;, ostensumq; qvicqvid in totâ urbe spectatius, inprimis vastum illud opus Pyrrhi Ligorii, & Isiaca tabula Pignorio tantopere æstimata. Mediolani nihil tam acceptum, qvàm viri optimi Manfredi Septalæ summa urbanitas, & Scientiarum, artiumq; reconditarum notitia; ut taceam delitias illustris Bibliothecæ Ambrosianæ humanitatem Dn. Terzani, Dniq; de Lermâ, Generalis militiæ præfecti Hispanici. Ticini antiqvam illam Regum Longobardorum, sedem contemplatus admirari non desiit fabricam urbis, præsertim autem turrium, qvæ ibi plurimæ, adhuc constanter olere septentrionem. Bononiæ auditi doctores Academici, inprimis verò instituta cum Baptistâ Ricciolio, ut insigni Mathematico, ita Pœtâ non pœnitendo colloqvia. In reliqvis Italiæ oppidis vix qvicqvam spectatum Florentiâ vel florentius vel urbanius; ubi ipse Magnus Dux, alter tum Apollo, & magnus literatorum stator; qvin & germanus frater Principis Leopoldus, postea Cardinalis Mediceus, redivivus itidem Mecænas humanissimè advenam excepit; familiariter dilexere Laurentius Magallotti, Franciscus Rhedi, Carlo Dati; repræsentatâ ad usum exoptatum bibliothecâ Mediceâ exqvisitis Manu Scriptis referta. Inde postqvam obiisset Pistojam, Lucam, Pisas, Sienam, tandem in urbe Roma sedem deligit, Anno MDCLXV mense Octobri, ibiq; inter Eruditorum, & bibliothecarum freqventiam medius, hyemem ex voto transigit; unâ tantùm excursione Neapolim factâ, ut Vesuvium tùm flammantem, & alia naturæ miracula oculis liqvido usurparet, atq; adeo Thomæ Cornelii Consentini, clarissimi per id tempus Medici Neapolitani frueretur consvetudine. Romæ autem familiariùs utebatur Leone Allatio, Abbate Gradio, Falconerio, Michael-Angelo Riccio, Carolo Puteano, Francisco Corvino, Athanasio Kirchero, Laurentio Scythio: adhibitus & qvandoq; colloqviis Cardinalis Pallavicini, & sæpe accersitus ad differendum cum Reginâ Christinâ, de arcanioris Chemiæ studio, veritate, experimentis, qvibus tum sacris se Palladia virago devoverat. Sub exitum Martii Anno MDCLXVI, Româ egreditur, sed pene invitus, nec nisi vacantis in patriâ officii stimulatus admonitu, factoq; per medium

Apenni-

Apenninum itinere ædem Lauretanam, Anconam, Ariminum Pisaurum, Ferrariam contemplatus Venetias salutat, Patavium consulit, ibiq; postqvàm amiciùs innotuisset Ferrario, Marchettii, Petruccio, Offredo, Comiti Zabarellæ, Venetias repetit, satiatusq; colloqviis Ludovici de Comitibus, Tackenii, Bûstroni, aliorum, memor inornatæ in Patriâ spartæ, in Germaniam paullatim contendit, & Tridento, Monachio, Augustâ Vindelicorum Tubingâ, Argentorato, Heidelbergâ, Francofurto, Coloniâ Ubiorum in Belgium, secundo qvidem Rheno, sed inter adversa omnia (qvod lues pestifera agros, Urbesq; latè popularetur) defertur; & redintegratâ ibidem cum doctis, qvibus Libitina pepercerat, amicitiâ, Franeqverâ, Groningâ, Embdâ, Hamburgo, Lubecâ, Chilonio Hafniam redit mense Novembri, transacto inter peregrinandum sexennio integro.

A reditu mox officio suo administrando se accinxit, & licet hinc praxeos medicæ curis in Urbe districtus, illinc, ex qvo inter Medicos Regios numeratus, in Aulâ jussus apparere, partibus officii in Academiâ adeo non defuit, ut docendo, disputando, scribendoq; plenâ operâ sarcire laboravit, si qvid peregrinando neglectum: immò se publico non intermissa viginti annorum diligentiâ usq; eò probavit, ut nec necesse habuerit unqvam, vel conscientiæ suæ testimonium, vel Magistratûs, collegarumvé, vel deniq; civium Academicorum formidare judicia. Docuit autem interea varii generis Disciplinas, partim officii ratione inductus, partim voluntario impetu, ut esset in qvo diversè genium suum periclitaretur juventus, studiis liberalibus addictior. Et qvidem *in philologicis* prolixè commentatus est de scriptoribus Antiqvis Latinis, cujus industriæ specimen, minutum prodiit in lucem, inscriptumq; est: *Conspectus præstantiorum Scriptorum Linguæ Latinæ*: ipsum opus adhuc plutei asservant. Qvin & adjecit *Cogitationes* suas *de variis Linguæ Latinæ ætatibus, & scripto G. J. Vossii de Vitiis sermonis*; atq; non ita multò pòst *Analecta Philologica*, & *judicium de Lexicis Latinis Græcisq;* hactenus editis. Postea, ut tyrones ex ipsis veluti fontibus haurirent limpidius *Antiqvæ Romæ imaginem* sex Disputationibus ita oculis exposuit, ut res Romanæ,

mo-

mores, instituta multũ inde lucis claritatisq; aucupentur. Cumq; non sine nauseâ adverteret imperitum vulgus Pharmacopœorum, imo nonnunqvã Medentum negligentiores in enunciandis justâ morâ pharmacis, inq; sanandi instrumentis variè sibi excidere *Lingvam Pharmacopœorum* formavit, huic malo obviam euntem. In Poësi qvid præstiterit, vel ex eo liqvet, qvòd & freqventer ipse occasione invitante, carmen pepigerit præsertim Epici generis, & jam olim juvenis, cum Smetii errores diversos notâsset, de syllabarum qvantitate evulgârit compendiũ, cui titulum fecit: *Parnassus in nuce.* Sed & annis provectior justum opus, licet succinctum de *Poëtis Græcis, Latinisq;* inde ab initio natæ artis, ad usq; nostra tempora scripsit Sofiisq; imprimendum permisit, in qvo simul vernaculi Poëtæ erectioris genii, Itali, Galli, Hispani, Lusitani, Angli, Scoti, Belgæ, Borussi, Dani, attinguntur, subjectâ de plerorumq; venâ, & felicitate judicii censurâ, non illâ qvidẽ ad Phidiæ statuas ubiq; comparandâ, sed tamen desiderantibus in hoc studio proficere haud dubiè profuturâ. In *Chemicis* prodromũ initiò concinnavit, *De ortu & progressu* Chemiæ, & paucis post annis, impulsus mordaci H. Conringii dicacitate, plenum opus *De Hermetis, Ægyptiorum, & Chemicorũ sapientiâ.* Sed & bis in publico Elementa Chemiæ universæ à capite ad calcẽ percensuit, novisq; ex disciplinâ observationibus locupletavit, scriptũ in privato larario adhuc custoditum. Qvin & ut civibus in metalli feras regiones ituris evidenter prodesset, brevi & facili compendio modũ aperuit examinandi omnes ubiq; venas metallicas, saxa, arenas, aqvas, argillas, ut de earundem præstantiâ liqvidò constet, cui opusculo nomen imposuit: *Docimastice metallica*, transiitq; scriptum illud postea non modo in lingvã Germanicam, sed & hodie in Vernaculam. Sparsit & Chemica qvædã hinc inde in Actis Medicis Hafniensibus, ut & Botanica atq; Medica, qvæ publico jam innotuere. In Botanicis id egit potissimum, ut tyronibus necessaria notiora evaderent, qvàm nimia. Hinc de Afris, Indisq; plantis nõita sollicitus, vernis æstivisq; in suburbana excursionibus juventuti vernaculas herbas præcipuè monstravit, & qvod caput rei est, usum earundem ex qvotidianis in praxi medicâ experimentis securè tradidit, identidem admonens, esse in patriâ nostrâ tot diversi generis plantas, ut si exoticis omnibus destitueremur, non ideo apud nos deficeret vera, & conveniens medendi ratio. Qva imbutia apud nos

Apenninum itinere ædem Lauretanam, Anconam, Ariminum Pisaurum, Ferrariam contemplatus Venetias salutat, Patavium consulit, ibiq; postqvàm amicius innotuisset Ferrario, Marchettii, Petruccio, Offredo, Comiti Zabarellæ, Venetias repetit, satiatusq; colloqviis Ludovici de Comitibus, Tackenii, Bûstroni, aliorum, memor inornatæ in Patriâ spartæ, in Germaniam paullatim contendit, & Tridento, Monachio, Augustâ Vindelicorum Tubingâ, Argentorato, Heidelbergâ, Francofurto, Coloniâ Ubiorum in Belgium, secundo qvidem Rheno, sed inter adversa omnia (qvod lues pestifera agros, Urbesq; latè popularetur) deferitur; & redintegratâ ibidem cum doctis, qvibus Libitina pepercerat, amicitiâ, Franeqverâ, Groningâ, Embdâ, Hamburgo, Lubecâ, Chilonio Hafniam redit mense Novembri, transacto inter peregrinandum sexennio integro.

A reditu mox officio suo administrando se accinxit, & licet hinc praxeos medicæ curis in Urbe districtus, illinc, ex qvo inter Medicos Regios numeratus, in Aulâ jussus apparere, partibus officii in Academiâ adeo non defuit, ut docendo, disputando, scribendoq; plenâ operâ farcire laboravit, si qvid peregrinando neglectum: immò se publico non intermissa viginti annorum diligentiâ usq; eò probavit, ut nec necesse habuerit unqvam, vel conscientiæ suæ testimonium, vel Magistratûs, collegarumvé, vel deniq; civium Academicorum formidare judicia. Docuit autem interea varii generis Disciplinas, partim officii ratione inductus, partim voluntario impetu, ut esset in qvo diverse genium suum periclitaretur juventus, studiis liberalibus addictior. Et qvidem *in philologicis* prolixè commentatus est de scriptoribus Antiqvis Latinis, cujus industriæ specimen, minutum prodiit in lucem, inscriptumq; est: *Conspectus præstantiorum Scriptorum Linguæ Latinæ*: ipsum opus adhuc plutei asservant. Qvin & adjecit *Cogitationes* suas *de variis Linguæ Latinæ ætatibus, & scripto G. J. Vossii de Vitiis sermonis*; atq; non ita multò pòst *Analecta Philologica*, & *judicium de Lexicis Latinis Græcisq;* hactenus editis. Postea, ut tyrones ex ipsis veluti fontibus haurirent limpidius *Antiqvæ Romæ imaginem* sex Disputationibus ita oculis exposuit, ut res Romanæ, mo-

mores, instituta multũ inde lucis claritatisq; aucupentur. Cumq; non sine nauseâ adverteret imperitum vulgus Pharmacopœorum, imo nonnunqvã Medentum negligentiores in enunciandis justâ morâ pharmacis, inq; sanandi instrumentis variè sibi excidere *Lingvam Pharmacopœorum* formavit, huic malo obviam euntem. In Poësi qvid præstiterit, vel ex eo liqvet, qvòd & freqventer ipse occasione invitante, carmen pepigerit præsertim Epici generis, & jam olim juvenis, cum Smetii errores diversos notâsset, de syllabarum qvantitate evulgârit compendiũ, cui titulum fecit: *Parnassus in nuce.* Sed & annis provectior justum opus, licet succinctum de *Poëtis Græcis, Latinisq;* inde ab initio natæ artis, ad usq; nostra tempora scripsit Sosiisq; imprimendum permisit, in qvo simul vernaculi Poëtæ erectioris genii, Itali, Galli, Hispani, Lusitani, Angli, Scoti, Belgæ, Borussi, Dani, attinguntur, subjectâ de plerorumq; venâ, & felicitate judicii censurâ, non illâ qvidẽ ad Phidiæ statuas ubiq; comparandâ, sed tamen desiderantibus in hoc studio proficere haud dubiè profuturâ. In *Chemicis* prodromũ initiò concinnavit, *De ortu & progressu* Chemiæ, & paucis post annis, impulsus mordaci H. Conringii dicacitate, plenum opus *De Hermetis, Ægyptiorum, & Chemicorũ sapientiâ.* Sed & bis in publico Elementa Chemiæ universæ à capite ad calcẽ percensuit, novisq; ex disciplinâ observationibus locupletavit, scriptũ in privato larario adhuc custoditum. Qvin & ut civibus in metalli feras regiones ituris evidenter prodesset, brevi & facili compendio modũ aperuit examinandi omnes ubiq; venas metallicas, saxa, arenas, aqvas, argillas, ut de earundem præstantiâ liqvidò constet, cui opusculo nomen imposuit: *Docimastice metallica*, transiitq; scriptum illud postea non modo in lingvã Germanicam, sed & hodie in Vernaculam. Sparsit & Chemica qvædã hinc inde in Actis Medicis Hafnienſibus, ut & Botanica atq; Medica, qvæ publico jam innotuere. In Botanicis id egit potissimum, ut tyronibus necessaria notiora evaderent, qvàm nimia. Hinc de Afris, Indisq; plantis nõita sollicitus, vernis æstivisq; in suburbana excursionibus juventuti vernaculas herbas præcipuè monstravit, & qvod caput rei est, usum earundem ex qvotidianis in praxi medicâ experimentis securè tradidit, identidem admonens, esse in patriâ nostrâ tot diversi generis plantas, ut si exoticis omnibus destitueremur, non ideo apud nos deficeret vera, & conveniens medendi ratio. Qva imbutia apud nos

 cogni-

cognitione cives, ubi ubi eos tandē constituit fortuna, possunt inemptis germinib9, & de suâ familiâ, & de egentioribus ubiq; bene mereri. Utq; tenacius hærerent, qvæ sylvas & prata hinc inde perambulando discipulis in hoc genere inculcârat, ea omnia, in Lycéo explicatiùs dictavit, methodumq; utendi, fruendi intelligenter exposuit Edidit & Scriptum *de usu indigenarum plantarū in Medicinâ. In re Medicâ* iterū iterumq; non Institutiones duntaxat, Artis saluberrimæ Auditoribus interpretatus est, sed & universam Praxin, inde ab exordio ad finē docendo prosecutus multum qvidē antecedentium scriptorum tribuit placitis, sed & plurimum ad lectos ægrorū disci experiundo notavit. Sæpe fabricā ossium in corpore humano oculis Discipulorū subjecit, usū designavit, & varia chirurgorū filiis salutaria adsperšit. Sunt & alia varii argumenti, de qvibus, qvoties vocabat opportunitas, disseruit; in qvib9 exstat tractatus ejusdē *De somno & somniferis, de Cabala Characterali, de causis diversitatis linguarū, Memoria Dn. Ol: Vindij, Oratio Jubilæa Evangelica.* Taceo orationes ejusdē in promotionib9 Academicis natas sed nondū prælo comissas, *De variis modis excitandi ignis, atq; de Phosphoro; de naturâ Sanguinis, & transfusione ejus; de oraculis Antiqvorū; de contagio non solū morborū, sed & vitiorū; de furore poëtico; de vero usu Logices; De lixivio & acido, atq; utriusq; pugnâ; de experimentis Botanicis; De veris succini natalib9; De qvalitatibus occultis; De usu studiorū Academicorum, etiam in re Militari; De formâ serpentis, qvi Evam decepit; De naturâ dulcedinis; De somno animalium ad plures menses continuato; De studio purè loqvendi latinè; De menstruis Chemicorū.* In Decanatu Philosophico, qvē Magistratum Dn. Collegis ita volentibus integris A. XII impigrè administravit, post examinum solenia MDCCXXVI creavit Academiæ cives, CLXII Magistros, DXLII Baccalaureos. Qvibus adjiciendi meritò aliqvot Medicinæ Doctores ab eo sumis in eâ Arte honoribus insigniti. Rectoratū Academiæ bis gessit, & primū qvidē eo inter Purpuratos Regios ordine qvē primæ Sanctiones Academicæ huic officio attribuunt seculi labentis Lxvi inter Assess. Justitiæ in sumo tribunali ab August. Rege Christiano V considere juss9 est prors9 ex inopinato. A conjugio totâ vitâ abstinuit, ut eò philosopharetur expeditiō. Disceptatis in supremâ justitiæ curia causis A. 1687 Candidatos Medicinæ in praxi Medicâ exercuit, plantarum usum medicū solenibus in agrū Hafniensē excursibus edocuit, & privato collegio Docimasticen metallicā

cũ cum celebrioribus operationibus Chemicis non voce tantum, sed & ipso opere auditoribus demonstravit. A. 1689 novis, ita volente sacrâ Reg. Majestate auctus est honoribus, titulo sc. Consiliarii in Cancellariâ Regiâ, sed & ita volente sacratiss. Divinâ Majest: novo in vesicâ arrosa genere tormenti, cui Christianâ patientiâ occurrit, donec. *

Quæ desiderantur, è Programmate publico adjicere licebit.

Verum non opus est pluribus insignem ejus Pietatem extollere; res ipsa hîc loqvitur, qvàm sincerè fuerit Christianus, qvippe non solũ in templo devotissimô pectore sanctiora excepit oracula, sed etiã domi, a qvotidianis ad Deum precibus, & Sacris hymnis primordia studiorum sumere, atq; iisdẽ finire actiones suas, inclinatâ ad noctẽ die, optimum & honestissimum duxit, ut verè cum religiosissimis ac mundanarũ rerum oblectamenta despicientibus conferri potuerit. Sed adhuc clariùs patescit amor Cœlestium, qvas enim, benedicente Deo Opt. Maximo, labore aqt; industriâ suâ collegerat opes & facultates, easdẽ in honorẽ ipsius, non ut inde sibi famã aut nominis immortalitatem aucuparetur, largâ manu iterum erogavit. Instituit namq;, ut & sufficeret juventuti Academicæ necessariis destitutæ adminiculis præsidiũ aliqvod in uberiora Studiorũ incrementa, & famelicis afflictisq; solamen obtingeret: Illis qvippe domũ planè lateritiã magnificentissimæ structuræ reliqvit, ubi omnia cernuntur splendidè apparata, cubicula octo cum suis Conclaviis, sedecim destinata Studiosis, modestiâ, virtute, ac doctrinâ conspicuis, amplum Auditorium variè exornatũ, ut in hâc palæstrâ cõmodiùs lacertos moveant Juniores Sacris Apollineis devoti; Supellex libraria exqvisitæ elegantiæ diverso studiorũ generi inserviens, cui adhærent manuscripta rariora; cernitur ibi qvoq; Laboratorium Chemicum Medicinã excolentibus profuturum, cernitur hortus floribus arboribusq; consitus, oculis recreandis, animo pascendo dicatus. Hoc tã sumtuosæ structuræ domicilium vocari maluit COLLEGIUM MEDICẽUM, qvàm â suo Nomine appellationẽ traheret, nihil enim arrogantiæ, nihil fastuosi ostentabat toto vitæ cursu, sed fortunâ ac felicitate suâ summâ usus est modestiâ. Utrisq; tum hujus Collegii incolis, tum aliis egestate, ærumnis, & imbecilli valetudine oppressis, nec non alumnis Scholæ Ripensis ingentẽ pecuniæ summam attribuit, qvæ, resignatis post obitum testamenti tabulis, in Collegio Consistoriali annuo spatio reservatis, explevit numerũ vigintisex mille & trecentorum Joachimicorum.

Et paulò pòst.

Cum aliud non superesset remedium nisi qvod Chirurgia submi-
nistrare solet,& acerrimi urgerent cruciatus,seriò qvotidie secũ pen-
sitabat,satiusne esset omnia priùs experiri,qvàm acerbissimis succum-
bere doloribus: tandé re diu multùmq; agitatâ cum optimis ac fide-
lissimis amicorum statuit ferro submittere sese, haud eqvidé ignarus
in hac operatione unicá ferè valetudinis spé esse repositã, nisi prove-
ctior ætas,& vires debilitatæ dissvaderent. Anteqvã verò hanc medi-
candi sortẽ in se admitteret,cùm anceps ac dubius appareret eventus,
maturè saluti animæ prospectum voluit per Virũ admodũ Reveren-
dum & Graviss: Mag: JOHANNEM ADOLPH BORNEMANN,
Assess: in Collegio Consist: ac Præpositum Sockelundense &c. Reso-
cillatus jã corpore ac Sangvine Servatoris Christi paucis pòst diebus
XIII. nempe Sept. peritissimi Artificis dexteritati imperterritô ani-
mo se comisit, præsentibus Nobilisimis atq; Experientiss: D. HEN-
RICO à MØINICHEN Sacræ Regiæ Majest: Archiatro ut & D. MAR-
CO HERFORT Medico Aulico meritissimo aliisq; Chirurgis Ex-
ercitatissimis. Cæterùm magnitudo & durities calculi optatum elusit
successum; comodè enim per incisurá neq; extrahi; neq; instrumen-
tis diffringi absq; præsentissimo vitæ periculo poterat. Nihil tamen
inde comotus,sed plenâ in Deum fiduciâ,& certissima spe æterni gau-
dii firmatus,symptomata graviora,& dolores per intervalla affligen-
tes incredibili pertulit patientiâ, donec tantæ molestiæ, tot insõ-
mnes noctes,tot indomabiles cruciatꝰ novissimè III. Octob. in mortẽ
terminarentur placidissimã. Ita conspectui nostro subduxit se fulgen-
tissimum illud totius literati Orbis lumen,cujus tamen Splendor niti-
dissimè in ævum collucebit sempiternum. Vestrum erit, Cives Aca-
demici,qvorum prosperitati & comodis tantopere invigilavit, pro-
videre,nè apud vos unqvã BORRICHII Nomen obsolescat: venera-
mini cineres Apollinis Vestri, Conditorio soleni hodie pompâ me-
ridiano tempore inferendos; qvibus augustus in templo Divæ Virgi-
nis paratus est locus, ubi Sepulchrum ejus conspicitur, sibi, amicis,
Collegiiq; Medicéi habitatoribus exstructum, ut corpus â doloribus
calculi jã securum qviete contegatur, dum fama Excellentissimi Vi-
ri per orbem volitat,& Gloria in sermone ac memoriâ omnium lati-
ùs vagatur, cujus apud nos exstabunt Virtutis, Doctrinæ, Prudenti-
æ, Pietatis, ad omnẽ æternitatem impressa vestigia. Hafn. die
XXX. Octob: Anno M DC. XC. CON-

CONSPECTUS
Scriptorum Chemicorum Celebriorum.

I.

ARtem Chemicam antiqvissimis temporibus cæpisse luculentè emicare in Ægypto, & qvidem auctore *Hermete Trismegisto*, nemo inficiabitur illorum omnium, qvi Veterum monumenta, tam expressa hodie typis, qvàm *Manu Scripta* sollicitè consuluerunt: de qvo argumento disertiùs fidem facient, qvæ alibi de antiqvâ Hermetis, & Ægyptiorum sapientiâ commentatus sum adversus *Herman: Conringium*. Hunc autem Hermetem haud alium fuisse, qvàm Chanaanem varii persvadere laborant, inq; iis illustris *Bochartus* & *Kriegsmannus*. Utcunq; fuerit, prima Artis magnæ semina jam inde ab Adamo in posteros religiosiores, & magis taciturnos propagata fuisse, dubitare nefas; qvæ excitarunt alacriùs nonnulli, proprio fortassis impetu, in qvibus Tubalcainus, sive Vulcanus, item Chamigenæ, alii etiam, ipso Deo inspirante, qvod de Bezeleele refert Divinus Moses Exod. XXXI. & XXXV. Qvæ ad metamorphosin autem metallorum faciunt, uberiùs cæteris excussit *Hermes*, ceu ex Antiqvitate liqvidum: licet qvæ in hoc genere per nebulam instituit aperire posteritati, scripto nusqvam legatur consignâsse, sed jussisse insculpi columnis qvibusdam in abdito syringarum Ægyptiarum, qvod ex *Zosimo Thebano*, *Olympiodoro*, *Callistrato*, *Pausania*, *Martiano Capellâ*, *Psello* non difficulter colligas. Ex columnarum

narum ejusmodi attentâ ſpeculatione Artis primordia videtur hauſiſſe *Agathodæmon*, (qvem & *Hermetem ſecundum* plures appellant) nam à ſolâ *tabulâ ſmaragdinâ*, qvæ itidem primi *Hermetis* eſſe traditur, tantum ſuo Marte lumen neqviit exſculpere, ut qvæ inter generales qvasdam præceptiones ſe continet, diverſiſſimis operibus, pro ingenii cujusvis fœcunditate promptè accommodandas; qvamvis & id in confeſſo ſit, nulli omnino rei faciliùs, ſeqvaciùs, ſimpliciorique; ingenuitate, qvàm arcano Chemicorum magiſterio poſſe applicari.

II.

Sunt autem ex iis, qvi ſacris his non ſunt initiati, qvos inconſultus ardor illuc rapit, ut innocentiſimæ *tabulæ* præter fas, & æqvum iraſcantur, moribusq; Veterum non conſideratis, ſuppoſititiam proclament; qvos inter agmen ducit *Athanaſius Kircherus*, qvi tamen eo ipſo libro, qvo in *tabulam ſmaragdinam* invehitur, immemor ſui integritatem ejusdem non parum confirmat, aſſerens prope Memphim ſaxo hæc verba inſculpta legi: *Cœlum ſurſum, cœlum deorſum: aſtra ſurſum, aſtra deorſum, qvod ſurſum, id omne deorſum: hæc cape, & beaberis.* Qvæ utiq; ita ſimilia ſunt tabulæ Hermetis, ut ex illâ in ſaxum hoc translata fuiſſe videantur. Conveniunt itidem mores Antiqvorum, qvibus ſolenne, rariora legum, geſtorum, artium lapideis tabulis, columnis, obeliſcis committere, teſte *Joſepho, Diodoro Siculo, Tacito*, aliis. Qvid qvòd *lex Moſaica* lapideis olim tabulis excepta; Qvas non ex proletario, aut ubivis obvio ſaxo fabrefactas fuiſſe docet *Epiphanius*, ſed ex gemmâ ſapphiro, id qvod & hodierni Rabbini profitentur. Hìc nè qvis obducat, ſmaragdos ejus magnitudinis, qvæ tot ſententias caperent, non inveniri, conſulat *Plinium*, apud qvem Apion Pliſtonices agnoſcit in labyrintho Ægypti coloſſeum Serapin è ſmaragdo novem cubitorum. Ut taceam, inter artificia magnæ Artis eſſe, ſimiles gemmas producere; neq; enim ignotum illud *Senecæ, Democritum inveniſſe, qvemadmodum decoctus calculus in ſmaragdum converteretur.* Sed de inventione hujus tabulæ audiendus *Wilh. Chriſtoph. Kriegsmannus*, qvi in Tabulâ ſmaragdinâ vindicatâ ita: *Ut taceam, inqvit, traditionem de tabulâ hâc ſeculis aliqvot poſt diluvium, in antro prope Hebron, à muliere Zarâ manibus cadaveris Hermetis*

metis exemptâ, nullâ sui parte malè se habere, si de Abrahami uxore Sarâ intelligatur, cum tempora denati Hermetis, id est, Chanaanis, Noachi nepotis, atq; Sara congruant, ac locus (urbs Hebron à Chanaanis, sive Hermetis filio Heth exstructa, ad quam sedem fixerat Abrahamus) convenientissimus rei sit. Neq; insolens fuerit, si *Hermes* in antris Ægyptiis vestigia Artis reliqverit hieroglyphicis signata notis, & præterea, ut nobilissimum inventum suum ad proprium qvoq; statuerit sepulcrum: qvippe idem olim Archimedi consilium fuit, qvi non contentus inventa sua calamo permisisse, jussit præterea *sphæram* & *cylindrum*, tanqvam inventi sui gloriam sepulcro suo superimponi, de qvo diserte *Cicero*. Id interea non dissimulandum, me hactenus in scriptoribus Chemicis Græcis *Tabulam smaragdinam* non inveniisse, utcunq; ab illis spectatam esse, & ad Latinos derivatam non dubitem: sed nimirum qvis Mssta Græcorum Chemica excussit omnia? nisi malis cum *Gaulmino* statuere Tabulam illam à victoribus Persis vel in Ægypto, vel vicinia repertam, in Persidem jam olim translatâ fuisse, eoq; nomen ejus diu Græcis ignoratum. Succedentibus autem seculis meminit ejusdem tabulæ *Aristoteles junior*: de perfecto Magisterio, meminit *Senior Zadith*, *Mag. Ortholanus*, *sive Hortulanus*, *Avicenna*, *Arnoldus de villâ novâ*, *Isaacus Hollandus*, *Albertus Magnus*, *Bernh. Trevisanus*, & anno Christi Mcccxxx, *Petrus Bonus Lombardus*, ut posteriores ferè infinitos præteream: id qvod perpendat *Kircherus*, qvi ab *Alkymista Canesio* primum orbi fuisse ostentatâ pertendit.

III.

Præter *Tabulam smaragdinam* exstant qvidem varia *Hermetis* [posterioris, haud dubiè] opuscula Chemica, sæpè à Græcis, Latinisq; ad partes vocata, ut sunt τῦ ἑρμῦ Φυσικὴ βαφὴ, ἢ ἑρμῦ Ἀρχικὴ βίβλος, item, Ὅσα ἀπὸ ἑρμῦ, καὶ τῶν Φιλοσόφων ἅσαι εἰρημέναι per *Olympiodorum* scripta; deniq; *variæ sententiæ Hermeticæ* in antiqvo *Synesio*, in *Turba Philosophorum*, in *Margaritâ pretiosâ Petri Boni Lombardi*, in *libro Secretorum Calid*, in *Seniore Zadith*, *Hortulano*, *Rosario*, *Rupescissâ*, *Isaaco Hollando*, *Alberto Magno*, *Arn. Villanovano*, *Aristotele Chemico*, *Bernh. Trevisano*, *aliisq;* laudatæ; qvæ an ex Germanis *Hermetis secundi* scriptis hausta sint, multis ambiguum est. Id constat, ab omnibus Hermetici studii amatoribus,

bus, immò qvod ſuperat, ab omnibus in praxi Chemicâ ad complementum operis feliciter provectis germanas æſtimari. Sed qvid de *ſeptem capitulis Hermetis*, qvæ publici juris ſunt, pronunciandum? extra omnem dubitationis aleam ea recentiori cuidam ſcriptori, ſive *Hermeti tertio* attribuenda ſunt, & qvidem pio, atq; ad DEum anhelanti Magiſtro, qviq; poſt varia experimenta, qvibus fruſtra inſudavit, ſolius Dei vivi inſpiratione artem, qvod fatetur perdidicit, qvæ utiq; in *ſecundum Hermetem*, ex columnis, tabulisq; *Hermetis primi* inſtitutum cadere neqvaqvam poſſunt. His adiice, qvòd *ultimus* hic *Hermes* filios præteritorum Philoſophorum ſæpè alloqvatur, & ad *libros antiqvorum*, immò verò, alicubi ad *Avicennam* provocet, qvodqve qvatuor elementor ũcognitionem profiteatur, qvæ utiq; ævo *Hermetis ſecundi* nêutiqvam conveniunt. Qvanqvam autem *Septem illa capitula Hermetis* juniori cuidam Chemico, & ſi figuratum genus dicendi intueamur, homini Arabi in Artis operibus verſato debeantur, redolent tamen ſecuram, ſed reconditam experientiam, ſiqvis ſtipulas à frugibus attentè ſecernere non faſtidierit, & disjecta hinc inde veræ methodi membra reſtituerit legitimo ordini. Unde cùm *Artephius* magnus in hâc diſciplinâ Magiſter, ingenuè profiteatur, ſuam ſe conſecutum eſſe ſcientiam ex lectione veridici *Hermetis*, credi poſſet, cum ex hoc libro ſapere didiciſſe, niſi ætas *Artephii*, ut veriſimile eſt, his ſeptem capitulis vetuſtior à *ſecundi Hermetis* ſcriptis nobilem illum ſuccum traxerit. Phyſica Hermetis Triſmegiſti, & cætera, qvæ ejus nomine circumferuntur, *Poemander*, *Aſclepius*, alia, recentiora ſunt, & ſapientum plerorumq; judicio, à Platonico qvodam ſemi-Chriſtiano conſarcinata.

IV.

Proximum *Hermeti primo* locum ſibi vendicat *ſcriptum Iſidis*, filio ipſius Horo dedicatum; atq; ideò proximum, qvial ſis Oſiridis Regis uxor ab Hermete, conſiliario ſuo edocta, ſecundum *Diodorum Siculum*. Eſſe autem ſcriptum illud, qvod nunc in lararíis doctorum cuſtoditur, ſpurium multa ex ipſo textu allata docuerint, licet ſuâ venere, & arte neqvaqvam deſtituatur. Inſcriptio libelli: Ἴσις προφήτης τῷ υἱῷ Ὥρῳ. Vox ejus inter cætera: Πρεσβύτερον ὅτι

ὁ σι-

ὁ σίτος σίτον γεννᾷ ἡ ἄνθρωπος ἄνθρωπον σπείρη, ὅπως καὶ ὁ σπείρων θηρεύσῃ, ὅμοι ὁ τὸ ὅμοιον. Qvæ vel una sententia si pressiùs animo infigatur, plurimos in subjectis haud rarò absurdis laborantes in rectiorem viam reduxerit. Nec inconsultum illud: Ἡ γὰρ φύσις τῇ φύσει τέρπεται, καὶ ἡ φύσις τὴν φύσιν νικᾷ. Accedit horribile illud sacramentum, qvo obligatur Herus, ne commissum sibi arcanum cuiqvam patefaciat, nisi vel taciturno filio suo vel amico securissimo. Tractavere & antiqvissimis temporibus Chemica Philosophi Chinensium non procul ab ævo Isidis: atqve inter eos *Hoangtius*, MMD. ante natum Christum annis, qvemadmodum ex *Martinio* constat, an tamen *de Arte* qvicqvam in literas retulerint, non perinde liqvet.

V.

Sophar Persa, Magister Ostanis Medi, *Pammenes*, *Maria Hebræa*, *Ostanes Medus*, Democriti præceptor, *Joannes Archipræsul*, nihil qvantum observatum nobis, scriptum reliqvere de hoc magisterio, si exceperis minutias qvasdam, item lacinias nonnullas hinc inde in Turbâ, & alibi insparsas, sed Democritus magni Ostanis, in templo Mempheos doctoris Chemici, discipulus varia, ὁ γὰρ Δημόκριτος enim ἔτων Ὀστάνου μυηθεὶς συνέγραψε περὶ χρυσοῦ, καὶ ἀργύρου, καὶ λίθων, καὶ πορφύρας λοξῶς, qvemadmodum non modo *Eusebius Pamphilus*, sed & *Synesius* ad Dioscorum clarissimè attestantur. Ex cujus tamen scriptis nihil adèo in manus nostras incidit, nisi libellus, qvi inscribitur, Δημοκρίτου βίβλος τῶν Φωνηέντων Λευκίππῳ (an Levcippo?) item, Δημοκρίτου Φυσικὰ, καὶ Μυστικὰ, uterqve temporum injuriâ, & incuriâ librariorum, oppidò mutilus, & malè sibi cohærens, neqve planè rejiciendus tamen, qvod in uno qvandoqve dicto adhuc salvo clavis totius Magisterii delitescat. Sed qvâ viâ conciliabitur *Eusebius Zosimo? Eusebius* tradit Democritum de Arte λοξῶς, hoc est, obliqvè scripsisse, *Zosimus* autem docet ipsum scripsisse perspicuè. Vox *Zosimi* libr. mystico: *Sed & Ægyptii*, inqvit *incusant Antiqvos, præcipuè autem Hermetem, qvod Artem nec publicè tradiderint, nec privatim, occultè, immò ne qvidem Artem talem dari significaverunt. Solus autem Democri-*

mocritus scripto rem ostendit, aperuitq;. Sed illi (Hermes & reliqvi Antiqvi) *columnis insculpsere in locis qvibusdam tenebricosis* (Syringas intelligit) *& qvidem literis, symbolicis spuriis tum sacras has Artes, tum chorographiam Ægypti, ut si qvis ingredi auderet, propriâ industriâ & labore interpretationem characterum ejusmodi spuriorum vagam, erantesq; explicationes non assequeretur.* Meâ qvidem sententiâ ideò culpantur hîc Veteres, qvòd nè vulgo qvidem clarè significavetint, dari in rerum Naturâ metamorphosin metallorum, *Democritus* autem laudatur, qvòd publicè testatus sit dari, licet de modo ad complementum Artis perveniendi obliqvè & per mæandros mentem suam exposuerit.

VI.

Ex magnis Artis hujus antistitibus seqvitur Democritum, licet longo admodum intervallo *Zosimus Panopolites*, de qvo legi meretur *Anepigraphus*, vetus scriptor Græcus libro de Ratione dealbandæ aqvæ Divinæ: *Dicemus & qviddam*, inqvit, *de Artis sacræ corijphæis. Primus eorum est Trismegistus, à triplici Artis operatione ita Græcis cognominatus: hic omnibus antiqvior est, tanti mysterii Parens. Hujus vestigia secutus Joannes, summus in Urbe sanctâ sacerdos. Post eum prodiit Democritus, artis hujus magister, Philosophiæ nomine celebris, & licet Abderitanus origine, omnium tamen hujus Artis interpretum præstantissimus. Tandem illuxit orbi Zosimus, qvi & ipse, ut plurimarum rerum peritissimus nomen vulgò Magni obtinuit. Et hi sunt Oecumenici, seu universales Philosophi. Horum dissertationes exposuere Olympiodorus, & Stephanus, qvi & ipsi Commentarios de hac Arte reliqverunt.* Hujus *Zosimi* varia exstant scripta in Bibliothecâ Regiâ Parisinâ, sed itidem Sosiorum vitio malè multata; in qvibus legas, *Zosimi Opusculum de compositione Aqvarum, Zosimi Panepolitæ scriptum genuinum de sacrâ & divinâ Arte; Divini Zosimi librum de virtute, & interpretatione; Zosimi opus de instrumentis & caminis; Zosimi libellum de Asbesto*, tandem & *Zosimi Thebani libellum mysticum*, item *Zosimi scriptum ad Theosebejam*. In qvibus monumentis licet varia, ut fit, aliena, figurata, allegorica se ingerant, plura tamen adsunt egregia monita, & ex intimis penetralibus Artis in scenam producta, qvæ legisse, immò sollicitè expendisse, Candidatum

tum ſtudii Chemici neqvaqvam poenitebit, dummodo ſimul experimenta, & lectionem aliorũ qvoq; celebriũ ſcriptorũ conjungat.

VII.

Seqvitur *Scholion Syneſii Philoſophi in ſcripta Democriti*, dedicatum olim Dioſcoro, magni Serapidis in Urbe Alexandrinâ ſacerdoti; qvod eqvidem vetuſtius eſſe apparet *Zoſimi* ſcriptis, ut in qvibus liqvidò citatur. Sed præceſſit *Zoſimus* gloriâ, ut œcumenicus magiſter, & ſine controverſiâ abſolutæ perfectionis artifex: nam *Syneſio* non niſi in ſecundis locus eſt. Docet tamen varia ſic ſatis intelligenter, nodos ligat & diſſolvit: an tamen ad ἀκμὴν pervenerit Magiſterii, non ita liqvidum apparet. Et verò contingit id genus ſcriptoribus, idem ferè, qvod funambulis, qvi niſi rectiſſimâ viâ chordam percurſent, labuntur in præcipitia non ſine periculo; nam qvinqvaginta annorum magiſter hîc tyro adhuc cenſendus, niſi metam ſibi propoſitam præciſè attigerit.

Hic mediocribus eſſe Magiſtris
Non Dii, non homines, non conceſſere columnæ.

VIII.

Olympiodorus Alexandrinus, principatu imperatoris Theodoſii Senioris paullò vetuſtior (qvod alibi declaravi) commentarium reliqvit de *Scriptis Zoſimi*, de *dictis Hermetis*, & aliorum Philoſophorum, ſic ſatis prolixum: in qvo cum curâ eqvidem applicat ſe interpretandis Philoſophorum veterum dictis, lucemqve iis non pœnitendam affundit, an tamen mentem eorundem in articulo principe aſſeqvatur, definire non auſim, ob ingerentem ſe hinc inde in mediâ explicatione caliginem. Bene qvidem ex Mariâ Hebræâ ita commendat; ξεύξατε ἄῤῥενα καὶ θῆλυ, καὶ εὑρήσετε τὸ ζητούμενον, ſed qvis ille mas ſit, & qvomodo ante conjunctionem præparandus, non perinde adjungit. Bene ex *Zoſimo* obſervat, ὅταν τὰ πάντα ἀποδὲς γένηται, τότε νόει, ὅτι καλῶς ἔχει; ſed optarẽ illũ ſimul addidiſſe, annè digitum intenderet in illud *tabulæ Smaragdinæ*: Vis ejus integra eſt, cùm verſa fuerit *in terram*. Bene iterum ex *Mariâ* ita monet: Ἐὰν μὴ τὰ σώματα ἀσωματώσῃς, καὶ τὰ ἀσώματα σωματώσῃς, καὶ ποιήσῃς τὰ δύο ἕν, οὐδὲν τῶν προσδεχομένων ἐστιν: ſed

sed qvomodo corpora in spiritus transeant, obliviscitur. Bene inducit Bibliothecas Alexandrinas adhuc salvas (unde de ævo ipsius judicare licet) atqve in iis tradit exstare, qvid sit παρθενία γῆ, qvid γῆ σαρκικὴ, qvid γῆ αἱματώδης, sed ipsius erat, opinor, ut interpretis, ista diductiùs & explicatiùs prosequi.

IX.

Teophrastus Junior Philosophus Christianus versibus jambicis de *Arte sacrâ & divinâ*, ceu vocat, commentarium scripsit, non illum poenitendæ lectionis, in qvo præcipuè inducit draconem XX diebus in fimo eqvino sepultum, donec suam ipse caudam deglutiat; hinc necandum, extrahendum fel ejus, hoc facto corpus ejus dem inalbescere, & sensim aucto calore in purpuram terminari. In processu ipso abstrusè agit, dum nullum draconi retinaculum adjungit, nullum corpus, cui in statum volatilem evehendo deserviat: nec id satis ex disciplinâ videtur, qvod alborem jam nascentem solius tridui labore in perfectam tradat abire flavedinem. Id qvod me eò inducit, ut existimem, Theophrastum hunc theoriæ peritiorem fuisse, qvam securæ praxeos.

X.

Hierotheus Philosophus jambis illigavit dissertationem suam *de Arte sacrâ & Divinâ*, idqve piè, & eruditè: Laudandus egregio conatu, cui eventum qvoqve respondisse verisimile est. *Materia*, inqvit, *una est, & simplex, omnibus cognita nomine, non usu, in qvâ præparandâ labor brevis, sed, nisi aspirante Deo, inutilis. Et qvidem materia*, pergit, *triplici formâ spectandam se offert, licet unam essentiam perfectè in se contineat. Huic marem adjunge ex vicinià Romæ oriundum, eumq; purpureum, genenabunt prolem novam parentibus dissimilem, sed venustiorem*: & qvæ sunt alia, ad declarandum, forsan & ad occultandum adjecta. Ex hoc autem scripto nemo facilè magnum in Arte lumen sibi pollicebitur, ita freqventer luxat ea, qvæ ad rem faciunt, & sententiam in medio cursu amputat.

XI.

Archelaus, Philosophus Christianus, mentem suam *de Arte Sacrâ* jambis expressit, opusculum, ut apparet, ex intimâ magiste-

rii

rii cognitione profectum : spondet optatum Lectori suo exitum laboris, dummodo mundâ conscientiâ, precibus ardentibus, vitâ sobriâ, & à turbis inanibus vacuâ se operi accingat. Multus autẽ in eo est, ut doceat humidum jungendum sicco, calidum frigido, singulari artificio, ita substantias ob cognationem se invicem penetrare, & simul stabili sede locari, nec postea unqvam à potentiâ ignis divelli. Sed præstat Auctorem ipsum consulere, qvi, si qvid judico, ita profundè cubilia reconditæ Artis ingreditur, ut *Zosimo* palmam dubiam faciat.

XII.

Anepigraphus Philosophus solutâ dictione perseqvitur *Modũ dealbandæ aqvæ Divinæ*, & sententiæ suæ potiora figuris, parabolisq; involvit, de homine aram ardentem intrante, de aqvilâ æneâ in fonte puro se qvotidie lavante, & qvæ sunt id genus alia, qvæ partim Zosimo debere se agnoscit, partim Ostani. His adjicit, non nimis irrigandam esse animã, nè vi suâ privetur, & aufugiat. Ad sumam, artificem esse multa loqvuntur, licet à Latinis Chemicis in hoc dissideat, qvod pertendat, *non primùm fieri dealbationem, & pòst seqvi flavedinem, sed peragi utrumq; tempore indivulso.* In eo autem concordat cum Latinis, qvòd doceat, magnâ industriâ incumbendum esse dealbationi [qvam vocant] ut flavedo eò floridior, solidiorq; mox superveniat.

XIII.

Heliodorus Philosophus Christianus, ad Theodosium, Regem magnum (ceu appellat imperatorẽ Theodosium) jambos misit de mysticâ Philosophorũ Arte, in qvibus [qvicqvid etiam de ætate ejus sentiat *Reinesius*) ita subjectum lapidis jubet eloqvi: *adsum ego qværentibus in medio ipsorum jacens, qvi me inspiciunt, nesciunt qvod ego ipse præsens sim, & tamen qværunt me operosis, & inanibus laboribus: ego interea omnium servus, etiam jumentorum ; nec necesse est, ut me in Pontico mari qværant, licet ibi qvoq; sim, & nube involutus ascendam; si qvis me rectè abluat, mirabili splendore coruscо, patremq; meum occido, & illo demum evado multò præstantior. Tu interea lacte me conveniente nutri, sed parcè, & frugaliter, sum enim ad copiosum alimentum infirmior, donec robur adultum consequar. Nigredinem in albedinem*

 com-

commuta, nam hæc est dealbatio illa secunda, quam filij Sapientum videre desiderant, & quæ postea transibit in corallium, & vinum sanguinis ad instar rubicundum. Quo facto laboris præmium lætus percipies, & de paupertate triumphabis. Et hæc qvidem more Chemicorũ Latinorũ per ænigmata ita declarantur, ut ex aliis scriptis & propriis qvoq; experimentis oporteat Oedipum advocare, si qvis inde laboret proficere. Exstant & alia qvædã *Manuscripta* Chemica Græca, *Pelagij*, *Cosmæ Hieromonachi*, *Pappi*, *Comarij*, *Stephani Alexandrini*, *Blemmedæ*, *Pselli*, aliorum, (de qvibus eruditè celeberr. *Morhosius* in Polyhist.) qvæ eandẽ ferè, qvã jam adducti, tundunt ineudem, hoc est, indulgent sibi inusitato dicendi genere, ænigmata, gryphos, parabolas, inversa verba amant, atq; ubi subinde humano more loqvi perrexerint aliqvantillũ, mox Lectoris attentionẽ circumcidunt, in avia & aliena declinantes, eo instituto, ut sagacibus tantùm, & iis, qvi ætatem inter experimenta consumpsere intelligantur (qvibus & non rarò loqvuntur apertissimè) non initiatos, ut profanum vulgus longè arceant, & frustrentur. Qvod & ipsum scribendi tormentum freqventatũ videas Latinis, immò verò plerisq; aliis diversarum Lingvarũ Philosophis, idq; obrationes easdem.

XIV.

Non est necesse hîc multis probare ex *Firmico*, *Svidâ*, *Gazeo*, aliis, continuâsse in hoc studio sapientiæ Græcos, cùm utiq; constet, Franciscum I. Regem Galliarum, proavorum nostrorum memoriâ in Græciâ cõemisse magnam librorum *Manu Scriptorum*, ut alterius, ita qvoq; Chemici argumenti supellectilem, qvæ adhuc in Bibliothecâ Regis Christianissimi *Manu Scriptâ* perennat. Ut taceam, *Leonem Allatium*, Bibliothecæ Vaticanæ præfectum, & Græcum gente, mihi in familiari colloqvio Romæ confessum esse, Artem Chemicam à Græcorum curiosioribus in patriâ adhuc impigrè exerceri, sibiq; in animo esse, Græcos scriptores Chemicos publicæ luci, cum interpretatione latinâ exponere; id qvod doleo, per decrepitum illustris Viri senium, & supervenientem demum obitum impeditum fuisse. Interea nemo hodie offendatur scriptis Chemicorum Græcorum, ut transcriptorum vitio rancidis,

&

& in barbaras sæpe sordes exeuntibus; qvid enim mirum, purissimos etiá infantes ab impuris tot seculorum nutricibus subinde contaminatos sordescere? Arabes, Mauriq́; , sive à Græcis Artẽ hauserint, sive à Chamigenis Africæ rectoribus, nobis hîc perinde fuerit, dum constet, varios illius gentis scriptores Chemicos cũ Mauris olim in Hispaniam trajecisse, & ad propagandam per Europæ regiones Artem, suã contulisse symbolam, à qvibus hodieq́; sparsæ per medicinam, pharmaceuticen, Chemiá voces plurimæ leguntur. Immò vix qvisqvá Chemica etiam nunc in publicum emittit, nisi Arabũ notionibus, atq́; emblematis distincta. Et nè credamus studiũ hoc ibi cessâsse, testis est luculentus *Joannes Leo* (qvi Granatæ qvidẽ oriundus, sed educatus in Barbariâ) in descriptione Africæ, illud ut alibi, ita præsertim Fessæ adhuc invalescere, licet multi eodẽ abutantur. Qvid qvòd Angli varii, inq́; iis doctissimus *Th. Parry* Oxonii mihi asseveravit, multos Afrorũ his mysteriis enodandis incumbere, immò esse non paucis mirabile illud *Pancelsi* & *Helmontij* menstruum, *Alkahest* dictum, satis superq; cognitum, de qvo certum reddidere varii, cùm Tangerii in Africâ viveret.

XV.

Supereſt, ut progrediamur ad Latinos, Arabes, Maurosqvẽ vetustiores, item ad curiosiores, & recentiores aliarum gentium Europæarum scriptores Chemicos, licet ætatem plerorumq; definire, in manu nostrâ non sit, immò fortasse in nullius, qvòd ex compacto latere vivi voluerint, & notitiam seculi sui evitare. Qvod igitur Philosophos illos Arabes, Maurosq́; spectat, illi ab anno Christi DCCXII cum Saracenorum copiis paullatim Hispaniæ infusi disciplinas unà suas per Europam variò disseminarunt. Ex illorum sententiis magnam partem conflata est, aliis qvibusdam Latinis, Græcisq; adjunctis *Turba Philosophorum*, qvæ antiqva doctorum Chemicorum farrago passim citatur ab *Alano*, *Alberto Magno*, *Petro Bono Lombardo*, aliisq; superiorum seculorum Magistris. Qvis autem fuerit ille Arisleus, qvi Pythagoricos discipulos ita in unum coegit, nemini hodie compertum. Id satis evidens, dictionẽ sapere mores Antiqvorum Chemicorum, & in Græcis, Arabibusq;

similia plura occurere. *Kircherus* in *Turbam* obliqvior est, sed immeritò, sit plena tautologiis, barbarismis, gryphis, & qvandoq; ineptiis, dummodo sub his spinis non rarò colligantur rosæ. Sæpe intermiscent hi scriptores variis malè consarcinatis collectionibus sententiolam unam illustrem vix auro redimendam. Ita *Bernhardus Trevisanus* in hoc Magisterio Roscius, agnoscit se, post inanem infinitorum librorum lectionem, ab uno *Parmenide* in *Turbâ*, rectam in viam reductum fuisse.

XVI.

Artephius, cujus opus Chemicum in propatulo est, inter vetustiores qvoq; non injuriâ numeratur; si qvidem, ut profitetur ipse, mille circiter annos vixit, ope Tincturæ universalis, anteqvam jam decrepitus librum hunc suum, misericordiâ in errantes invitatus exararet. Exaravit autem libellum laudatum ante qvatuor, minimùm, secula, ut qvem *Rogerius Baco*, A. Christi MCCV non dubitavit allegare. Est autem hic scriptor, ut repetitionibus ejusdem materiæ, & circuitionibus, alienisq; sæpe molestus, ita de cætero candidus, verax, & absolutus haud dubiè magni operis Magister, qvem legisse, & iterum, iterumq; legisse, serium Candidatum Artis non pœnitebit. Ex antecessoribus suis neminem adeo laudat, præter Magistrum Belenum, agnoscitq; se veram magni Arcani cognitionem ex lectione scriptorum *veridici Hermetis* consecutum esse.

XVII.

Morienus Romanus, Christianæ religionis assecla, libri *de transfiguratione metallorum* Auctor, in priscis qvoq; Chemicis meritò censendus. Edoctus ab *Adfar Alexandrino*, delitiis seculi generosè contemptis in agro Hierosolymitano vitam eremiticam sponte elegit, posteaq; à transeuntibus cognitus, aliorum interventu Regi Ægyptio Calid cœpit innotescere; cum eoq; de secretis Artis variè disseruit, ita tamen, ut more Philosophico alia manifestè proderet, alia in medio sermonis cursu prudenter celaret. Neq; tamen ita recondidit sensus suos, ut non pateat filiis Artis aliqvanto provectioribus. Et hic *Morienus* de primâ & principe materiæ rudis præparatione ita dilucidè se explicuit per intervalla, ut haud sciam, an ullus hactenus plenius mentem suam aperuerit, meliusqve meritus sit

de

de universâ investigantium catervâ. Antiqvum esse scriptorem vel illud docuerit, qvòd à *Rogerio Bacone* nonnunqvam allegetur, sed & evidentiùs idem testatur editio *Morieni* Hanoviana, ad cujùs calcem ista legas: *Explicit*, inqvit, *liber Alchymiæ de Arabico in Latinũ translatus anno milleſimo, centeſimo, octuageſimo ſecundo, in menſe Februarij, & in ejus die undecimo.*

XVIII.

Geber Arabs, notissimus libris *de summâ perfectione Magisterii, & investigatione ejusdem*, qvo præcisè vixerit seculo ambiguum est: certum tamen, antiqvum esse, & *Petro Bono, Calide secretorum scriptore, Villanovano, Avicenna, Alberto Magno, Hortulano, Esserario (sive Fratre Ferrario,) Isaaco Hollando, Jodoco Grevero, Alano, Trevisano, Dionysio Zacharioveteriorem*, qvòd ab his omnibus in testimonium veritatis advocetur, neminem autem horum testem alleget, contentus pronunciâsse, *hanc esse sententiam Antiqvorum Philosophorum*, & se libros Antiqvorum redegisse in compendium. Est autem *Geber*, si unum excipias Hermetem, parens veluti Chemicorum, & summus in Arte illâ stator, eoq; *Rogerio Baconi* magister magistrorum appellatur; qvodq; ille nescivit, omnes propemodum ignorant. Sensit tamen & *Geber* suos calumniatores, qvid mirum? cùm ne Jupiter ipse placuerit universis. Ajunt sophistam esse, præsertim in Medicinâ primi & secundi ordinis; ajunt subdolum esse, & cùm sine ænigmatis scribat, clandestinum sibi reservare sensum. Verùm enim vero, si qvæ variis locis tradit, justo doctrinæ ordine brevi tabellâ sisterentur, jam præmansum ingeretur orityronum; nunc, ut palam ipse præ se fert, sparsit hæc in capitibus diversis, ut attenti, sollicitiq; observatores omnem, qvod dicitur, qvercum excuterent; nec persvadet ratio ulla, debere hæc statim obvia esse illotis, malignis, somniculosis.

XIX.

Rogerius Baco in *mirabili potestate Artis & Naturæ* capacissimum declarat genium, & admirandam in rebus novis, inusitatisqvé inveniendis dexteritatem; satisqve ostendit sibi ea jam olim fuisse explorata, qvæ posteræ tandé secula vera fuisse deprehenderunt. Incusatus ob id ab inertiũ Monachorum vulgo, solâ

innocentiâ se tutatus est, & imperitiâ cavillantium refutavit contemptu, unde & defensore sui tandé invenit illustré *Naudæum*. Nec dubitat nobilis scriptor *Jo. Balæus* eum nominare Philosophum acutissimum, & seculi sui miraculum. Scripsit varia *de Lapide Philosophorum*, *Alkymiæ speculum*, de *radiis solaribus*, de *speculis astoriis* &c. obiit, referente eodem *Balæo*, Oxonii, anno Christi MCCLXXXIV, apud Franciscanos ibidem sepultus. Quæ in Chemicis publicavit, obscuriora sunt & variis processuum ineptiis referta: est tamen ubi expergiscitur, & sagacibus monitis, quantus in se lateat artifex, evidenter ostendit. Quin & quæ *de Arte* tradit ad Raymundum Gaufredum, demorsos sapiunt ungues. Nec malè ipse post allatam experimentorum variorum inutilem farraginé, Candidatis hanc regulam præscribit: *Dimittite experimenta, capite rationes, & invenietis.* Id ipsum si in *Lullij*, aliorúq; scriptis observetur, multos custodiet à præcipitiis.

XX.

Aristoteles Chemicus (cujus opus circumfertur *de perfecto magisterio*, item *Practica Philosophici Lapidis*) non is est, qui se velit haberi *Stageritam* Alexandri Magni præceptorem, sed qui profitetur ingenuè, ab Arabibus Philosophis, immò ab ipso *Avicenna* se didicisse: scriptor doctus, & methodo perspicuæ insistens. Præcipuum institutum ejus *Tabulam Smaragdinam* enucleare, & indubitata veræ praxeos tradere elementa, in quo negotio nec judicium temere desiderabis, nec in experiundo felicitatem. Multum habet in recessu vox ejus: *Fac pacem inter inimicos, aquam & ignem, & habebis magisterium.* Quòd si in quibusdam scriptis ejus mentio injiciatur Alexandri Magni (ut fit in meo quodam *Manu Scripto* quadringentorum annorum) factum id exscribentium temeritate, & superiorum temporum incuriâ.

XXI.

Frater Ferrarius (quem alii Efferarium appellant) nubilus scriptor est, in quo licet scintillæ quædam veritatis subinde emicent, suffocantur tamen multitudine ineptiarum, adeo ut, qui ad lectionem ejus lucis nihil adfert, nihil ex eo splendoris consequatur. Is cùm sæpius probet sententias scriptorum *Turbæ*, *Gebri*, *Platonis*

tonù Chemici, Morieni, nusqvam *Villanovani* meminit, *Lullÿ* nusqvâ; ut vel hinc appareat, eum his vetustiorē æstimandum. Junior *Ferrario* rectè judicatur *Johannes Ticinensis*, scriptor multæ caliginis, & qvo sine insigni damno posset carere hæc disciplina. Ex evidentioribus ejus apophthegmatis est hoc: *Tu qvi gliscis donum Dei contemplare, hujus rei fontem peramabilē, Lunā, solē transmutare, tibi mando voce clarâ lympham in stillabilem.* Item, *Lapis candens fit ex tribus, nulli datur nisi qvibus Dei fit spiramine ex matris ventre qvos beavit, & adartem destinavit sacroq; jancimine.*

XXII.

Arnaldus de Villâ novâ, patriâ Gallus [cujus etiamnū stirps, & natorum nati mihi cogniti vivunt in agro Avenionensi, nē adhuc qvidem Chemiæ imperiti] floruit circa annum Christi millesimum trecentesimum. Ætatem ejus vel ex eo definias, qvòd opus suum, *Semita Semitæ* inscriptum Benedicto XI Pontifici Romano dedicaverit anno circiter MCCCIV, qvòd antecessori ejus, Bonifacio VIII qvæstionum aliqvot Chemicarum enodationem poscenti satis fecerit, qvòd Regi Arragonum Friderico [qvi post, anno sc. MCCCII. Rex Siciliæ constitutus circa finem vitæ adhæserit, atq; ab eo ad sanandum Pontificem Clementem V missus in itinere maritimo naufragus circa annum Christi MCCCX obierit, Genuæ sepultus, de qvo *Ioannes Imperialis* in Musco Historico, & alii. Hunc in Aulâ Romanâ specimen χρυσοποιήσεως edidisse *Jo. Andreas JCtus* liqvidò attestatur, & contradixit hactenus nemo. In publico versantur scripta ejus Varia: *Rosarium Arnaldi* [nam aliud est *Rosarium Philosophorum*] *Flos Florum, Epistola Chemica ad Regem Neapolitanum, Novum Lumen, Practica Arnaldi* ad Papam qvendam, *Speculum Alkymiæ, Qvæstiones Bonifacij VIII cum responsis Arnaldi, semita semitæ*, &c. De qvibus, ut verbo nos expediamus, ita censemus; In *Rosario suo* occultat se se, & cursum sermonis aliena inserendo sæpe amputat: In *Flore Florum* Regi Arragonum dicato procedit distinctiùs, qvæ tamen ibi de amalgamate Veneris & spiritu Vini inculcat, omnia figurato sensu intelligenda. In *Epistolâ ad Regem Neapolitanum* recto subinde tramite incedit, sed mox iterum prævaricatur. In *Novo Lu-*

mine

mine paullo clariùs se explicat per intervalla, agnoscitq; inter alia ingenuè, se per alienam doctrinam, cognitionem Elixiris hausisse. Et postea: *Nunqvam vidi*, inqvit, *qvenqvam, præter Magistrum meum, qui opus suum in debitâ materiâ applicaret.* In *Practicâ suâ* methodum procedendi, regimen caloris, qvalitatem carbonum, tempora colorum satis apertè describit, notatq; putredinem aliqvando qvadragesimo die, aliqvando non nisi centesimo [sc. ob materiam non ritè purgatam, ob calorem segniùs administratum] supervenire, immò aliqvando nè tum qvidem apparere, adesse tamen sub pelle eminentiori materiæ, adeoq; elementa satis securè conjuncta esse. Inter ea primum opus præparationis & hîc præterit. In *speculo Alkymiæ* de primo opere velut in transcursu qvædam attingit, sed mox ad solennes se refert tenebras, cùm tamen illo ignorato cætera omnia ignorari necesse sit. In *Responsis ad Bonifacium VIII.* intelligenter progreditur, sed & de nodo Gordio solvendo ibi nihil. Interea *Gobro* contrarius videtur, scribens, *Lapidem non posse fieri ex solâ aqvâ vitæ Philosophicâ*; qvanqvam enim & hanc viam operosiorem agnoscat *Geber*, procedere tamen asseverat; forsàn, qvo calle non incessit ipse, eo neq; incedi posse autumans. In *Semitâ semitæ* Pontifici Romano, Benedicto IX inscriptâ admonitiones qvasdam inspergit non poenitendas, legiq; illud opusculum cum curâ meretur.

XXIII.

Raymundus Lullius, ut notior, celebriorq; omnibus ferè Chemicis, ità judiciis doctorum magis fuit expositus. De ejusdem vitâ, morte, gestis (excipio scientiam ipsius arcaniorem, qvam vivus dissimulavit) nemo rectiùs censuerit *Vincentio Mutio* (libro II. de Historiâ Majoricanâ) viro erudito, cordato, & testimonii fide dignissimis instructo. Titulus libri: *Historia del Reyno de Mallorcâ, qve escrivio Vicente Mut, su coronista ingeniero, y su Sargento Mayor por su Magestad, Anno 1650 fol.* Approbavit censurâ suâ scriptum hoc *Fray Miqvel Torres*, Letor jubilado, & definidor de la Provincia de Mallorca 1. Octobr. Anno 1650, idq; nomine & auctoritate Episcopi Majoricani, Thomæ de Rocamora. Scriptus autem hîc liber in Regali conventu S. Franciſci civitatis Majoricanæ, qvod ideo addu-

adducitur, ut de morte *Lullii*, qvi ibidem sepultus recubat, constet evidentius. Nam qvæ de vitâ *Lullii* scribit Anno 1605 *Ivan Segvi* (non Segti) nec *Mutio* adversâ sunt, nec ignota, nec à *Bzovio*, Lullii inimico magni æstimantur. Secundum ergo hunc *Mutium* natus est *Raymundus Lullius* in Insulâ Majorcâ anno Christi 1235, nec dissentit vel *Segvi*, vel *Lucas Wadingus*: obiit autem anno ætatis octogesimo, hoc est, anno Christi 1315, vigesimo nono junii, & qvidem Bugiæ in Africâ martyrio coronatus. Eundem mortis Lullianæ annum designat. Jf *Bullart* in Academ. scientiarum, eundem *Ludov. Morerus* in grandi Dictionario Historico, eundem *Joann. Imperialis* in Historico Musèo, eundem *Odoricus Raynaldus* in Aña lib. Ecclesiasticis. Et qvid multa? leguntur, ex fide inspicientis *Mutii*, sepulcro ejus insculpti hi versus in eâdem insulâ (nam à morte eò transportatus fuit à *Stephano Colon*, & *Ludovico de Pastorgâ*)

Raymundus Lulli, cujus pia dogmata nulli
Sunt odiosa viro, jacet hic in marmore miro,
Hic M & CC. Cum P. cœpit sine sensibus esse.

ubi Mccc designant años 1300, & P, ut decima qvinta litera alphabeti indicat 15. *Wolff. Justi* testimoniũ (qvod in Chronolog. Medicâ videtur his adversari) ut ab imperito aliqvo Chronologo excerptum, parũ, imò nihil habet ponderis. Multò minus id svadet dissensũ, qvòd in scripto *Lullij* de Mercuriis narretur *Lullius* Mediolani cum sociis año Christi 1333. lapidis Philosophici opus absolvisse; neq; enim ulli rerũ & temporũ gnaro ignorari potest, qvàm fœdè ab imperitis manibus collutulata sint *Lullij* scripta. Et vel unico illo idem clarissimè ostenditur, qvòd *Lullius* in *Compend. Animæ* inducatur tanqvã inscribens libellũ suũ *Ruperto Anglorum Regi*, & mox ibidẽ adjiciat, missũ *Ruperto* librũ per *Edoardum Regem Anglorum*, cùm constet apertissimè, seculo Lulliano nullum Rupertũ Anglis imperasse. Deinde in *Testamento Lullij ultimo* hæc leguntur: *Robertus antecessor Regis Caroli tyrannus incarceravit Lullium, & thesaurum ejus distribuit cum multâ sangvinis effusione, sed malâ morte periit.* Qvæ recitâsse, est refutâsse, cùm historiæ temporis illius adversissimæ sint.

XXIV.

His ita in anteceſſũ libatis reſtat ſæpe vexata qvæſtio, an *Raymundus Lullius* potuerit Edoardo id nominis (poſt *Wilh. Conqveſtorem*) tertio, ita appellato, Anglorũ Regi ſex millionesex auro Chemicâ arte confecto ſubminiſtrâſſe ad bellũ contra infideles gerendũ, & Edoardũ acceptis pecuniis arma mox vertiſſe in Gallos. Id qvod licet Anglorũ noñulli, & ab iis invitati alii viri docti ſcribere ſuſtineant, fieri tamen potuiſſe nego, imò pernego. Edoardus enim tertius non niſi trieñis erat, obeunte in Africâ *Lullio*, nec gubernaculis Regni Anglici admotus eſt, ante añum Chriſti 1326, hoc eſt, multis à morte *Lullj* añis, de qvo teſtantur *Anglorum Hiſtorici* uno ore, & Belgæ, Galli, Germaniq; ſimiliter. Aut ergo traditionẽ illâ *de ſex auri millionibus* falſã eſſe oportet (licet *Cambdenus*, *Seldenusq;* pertendant veram eſſe) aut Edoardo I. patuit illa Raymundi liberalitas: Nam Edoardus II. infelix Princeps, nec bella geſſit, nec in Paſæſtinam cogitavit; ſed *primus* magnas ibi res geſſerat, Parente adhuc vivo; & ſceptro admotus parabat in Syriam certis conditionibus reditum, qvemadmodũ ex *Odorici Raynaldi* Annalibus, ex *Floro Hiſtorico* Weſtmonaſterienſi, aliisq; colligimus. Vox *Weſtmonaſterienſis*: *Edoardus I. gravi morbo implicitus*, inqvit, *prope Burdegalam decubuit, & ab eo recreatus crucem induit, atq; à Legato Papæ Chriſtianorum exercitûs dux creatus eſt. At poſtea leviſſimâ ex cauſâ devota DEo arma in Gallos vertit.* Convenit præterea Edoardi I. ætas Carolo, Rupertoq;, Siciliæ, ſive mavis, Regni Neapolitani Regibus, Edoardi primi affinibus. Ideoq; Edoardus primus ex Syriâ reverſus beneficè exceptus eſt à Carolo primo Siciliæ Rege, fratre Ludovici Sancti. Hujus Caroli filius, Carolus ſecundus dictus, ſuccedit Patri, anno Chriſti MCCLXXXII, Romæq; à Pontifice coronatur anno MCCLXXXIX, liberatus tandem à carcere Arragonio per Edoardum primum. In hujus Caroli ſecundi, demortũi locum ſubrogatur Robertus, anno MCCCIX, ſex annis ante mortem *Lullii*, de qvo diſſertè teſtantur *Chr. Beſoldus*, *Felinus Sandéus*, *Collenutius*, alii. Ex hac ſtrictâ trium Regum amicitiâ effectum eſt, ut Lullius his omnibus ſcriberet, omnes demereri conaretur. Sed ſi horum ætas cum Edoardo

tertio conferatur, jam omnia discordabunt. *Cremeri Abbatis* traditio patitur suos manes, & non vixisse Cremerum sub Edoardo primo, unde probabitur? Quis etiam credat *Lullium* venisse in Angliam primò eqvidē victum precibus *Cremeri*, & aliqvot demum annis postea (post miserias carceris ab Edoardo intentatas) ad ejusdem Edoardi intercessionem? Disertè enim *Lullius* in *Compendio Animæ transmut*: *Vidimus*, inqvit, *hæc omnia, dum ad Angliam transimus propter intercessionem domini Regis Edoardi illustrissimi.* Quis credat Edoardum, fugiente Lullio, non mancipaturum fuisse carcere præsentē adhuc Cremerum, socium ejus, & arcani qvoq; desiderati participem? Colophonis loco annectatur illud *Theodori Mundani*, sapientissimi Philosophi, in nuperis Responsis ad *Edmundum Dickinson*, anno MDCLXXXVI Oxoniæ impressis; *Inculpatæ fidei registris*, inqvit, *innotescit, qvòd patriota vester Riplæus per multos annos successivè centies mille libras Eqvitibus Rhodiensibus misit, ad Sustentandum bellum adversus Turcas: & Raymundus Lullius Edvardo primo Angliæ Regi sex myriadas aureas in sacro bello terrâ sanctâ gesto ex pendendas ministravit: qvas ipse in Æde S. Katharinæ prope turrim Londinensem fecerat.*

XXV.

Verùm ultra institutum progressus ad *Lullium* redeo; qvi palam agnoscit, qvâ est ingenuitate, sè proprio Marte nihil solidum potuisse in Chemicis invenire, adeoq; ante cognitum *Arnoldum* scripserat (qvod imperitiam ejus Chemicam perpetuam malè interpretatur *Mutius*) *Alkymistas habere occasionem flendi.* Verùm ut ipse explicet fontes scientiæ suæ in hoc genere in *Codicillo suo* ita insurgit: *Cum solâ præsumptione & temeritate scientiæ hujus naturam firmiter intelligere credebamus, nec idem ullo modo intellexeramus, donec tempus adfuit, in qvo spiritus non immediatè, sed mediatè per Magistrum Arnaldum de Villâ Novâ, qvi immediate suâ largitate inspiravit in nobis reficientur.* Item *in Experimentis*: *Non potuimus*, inqvit, *fixare hæc olea, donec ab amico Villanovano edoceremur.* Item in *Testamento ultimo*: *Arnaldus Magister meus non usus est alio furno, qvàm sequenti.* Interea nemo negaverit, plurimas ineptias per insciti am temporum, librariorum, invidorum, *Lullij* scriptis assutas fuisse,

qvas à nucleis secernere curiosi est, & in Magisterio ignis probè subacti. Fortassis & qvædá ex *Raymundi Lullii de Ternagâ*, hominis inepti placitis, & *germano Lullio* posteriores, ejusdem scriptis, injuriâ temporum se se immiscuere; id qvod *Majoricano* tamen *Lullio* vitio verti nullo modo debet. Qvod ad scientiam *Lullij* in Chemiâ secretiori attinet, nemo facilè ipsum vicerit hinc subtilitate ingenii, & sententiarũ illustriũ, de intimis Artis mysteriis, copiâ, illinc occultandi se se calliditate, & prævaricandi studio.

XXVI.

Qvicunq; processus Lullianos sequitur, jam vergit in præcipitia; nusqvam enim magis frustratur Lectorem, qvàm in hoc passu: aliqvando sinceriſſimè loqvi putabis cùm nihil planè veri subsit: echeneidem qværis in alto mari, aciculam in ingenti metâ fœni amissam, & tamen, si inqviras sollicitè est in illo mari echeneis, est acicula, sed duce fortunâ opus, ut nemore in tanto aureus ille ramus inveniatur. Proinde non tam verbis *Lullij* inhærendum, qvàm sparsis hinc inde profundis scientiæ illius monitis, observationibus, præceptis. In prolixâ illâ *Lapidis Theoriâ* praxin diversis locis aperit satis intelligenter, sed in adjunctâ *Praxi*, mera ferè obtrudit putamina. In *Transmutatione Animæ* rectè qvidem profitetur, materiam esse animam metallicam, sed qvæ de spiritu vini, & aliis, permiscet, omnia longè alio sensu capienda. In *Codicillo* multa egregiè præcipit, qvæ alibi frustra qværas, multa etiam aliena ingerit, qvæ cum cantu Sirenum, surdâ aure prætereunda. In suo *Vade mecum* viâ qvadam nativâ incedit, sine multis processuum labyrinthis, sed præcipuum magisterii punctum tacitus omittit. In *experimentorũ libro* lubrica sunt ferè omnia, & pauca sani coloris. In libro, *De Mercuriis*, sibi similis apparet, hoc est, caliginosus & anceps. In *Elucidatione Testamenti* distinctiùs, aperte usq; incedit, non sine fructu Lectoris attenti. Inter alia hic bene: *Tres lapides*, inqvit, *describimus mineralem, animalem, vegetabilem, cùm unus duntaxat sit lapis nostræ artis, isq; mineralis, qvia minera est, animalis, qvia animã habet, vegetabilis, qvia crescit, & multiplicatur.* De cætero, vulgatũ illud suum κρύψεως studium nè hîc qvidem obliviscitur. Vox ejus ibidem: *Librorum nostrorum*, inqvit, *compositio, nihil aliud est, qvàm*

sa-

sagacis ingenii subtilitas ad Artem nostram celandam. Est tamen & hîc, ubi se aperit, & qvasi furtim scintillas veri manifestat, secundum illud *Poetæ*, *Qvo minimè credis gurgite, piscis erit.* Ex *Accurtationibus*, qvi plumbum Philosophorum intelligit, aliqvid commodi potest exsculpere, alioqvin vagabundus errabit. In *Repertorio* illud non perfunctoriè considerandum: *Sol non jungitur Mercurio nisi per substantiam mediam.* Item. *Facit enim terra in decoctione suâ multas glandulositates, sive gibbositates, ad modum ampullarum, in qvibus apparent omnes colores mundi.* In *Testamento ultimò* de necessariâ illâ præparatione primâ qviddam velut in transcursu attingit, cætera gryphis similia. In *Potestate divitiarum* verbis ditior est, qvàm monitis salubribus. In *Claviculâ* illud seriò intuendum: *Argentum*, inqvit, *vivum vulgare non potest esse argentum vivum Philosophorum, qvocunq; artificio præparetur; qvia vulgare non potest detineri in igne nisi per aliud argentum vivum corporeum, qvod sit calidum & siccum, & magis digestum. At nostrum est magis digestum, cui si jungitur vulgare, nunqvam separantur, immò vertuntur simul in purum metallum, immò in Medicinam transmutantem.* Præter hæc Lulliana, qvæ in publico exstant, varia adhuc *Manu Scripta* Lulliana circumferuntur, qvæ inter lecta mihi *Investigatio secretorum Divini Raymundi Lullii, Matrimonium Solis & Lunæ, Clavicula secreta, Liber Magiæ Naturalis, Liber de secreto salis urinæ, Testamentum Mineralium, Lapidarium*; sed plura hinc inde adhuc delitescere in lararis Eruditorum. Qvòd si tamen ex mihi inspectis *Manu Scriptis* judicium de reliqvis ferendum, qvi ex editis libris Lullianis sapere in hoc argumento non discit, ex *Manu Sceiptis* vix fructum colliget duraturum.

XXVII.

Margarita pretiosa Petri Boni Lombardi, anno Christi MCCCXXX in civitate Istriæ *Pole* concinnata, ab ovo, qvod dicitur, progreditur, & prolixè, more Aristotelico veritatem Artis Chemicæ per rationes non erubescendas confirmat, atq; tuetur; opusculum tyronibus utile, incredulis in rectam viam redigendis pæne necessarium. Id tamen ex lectione hujus scripti colligere mihi videor, Artem, qvantum qvidem sola theoria polliceri potest, cognitam satis fuisse huic *Lombardo*, verùm, cùm hæc scriberet, nondum certâ

tâ praxi ſtabilitam. Vox ejus pag. mihi DCCLXXXXIII. *Tenemus*, inqvit, *qvod ſcripſimus, ſicut ſecundum rationem noſtram, & experientiam nondum completam perpendere potuimus.* Neſcio cur *Gabriel Plats* Anglus peculiari ſcripto omnia ferè *Lombardi* enervare, & in fumos vertere ſatagat.

XXVIII.

Avicenna (aliis Ali-Ibn-Tſina) *Chemicus*, ſive fuerit vetuſtior ille Arabs, ſeculi XI ſcriptor, ſive, ut credibilius, alius eo recentior (qvod *Gebrum* ſubinde alleget) nobis hic haud magno habetur diſcrimine. Id certum, qvæ de Arcanis Chemicis commentatus eſt, olere lucernam, & ſatis prodere experrectum in his ſacris ingenium: neq; temere invenias alium in toto procedendi curriculo, in materiâ, coſoribus, projectione clariùs differentem, & ratiocinantem ſubtiliùs. Epiſtola tamen *Avicennæ de Rectâ* &c. inter nubes vagatur, & caligine ſuâ magis adeo turbat, qvam inſtruit veritatis avidum.

XXIX.

Joannes de Rupeſciſſâ, auctor ſcripti *de confectione veri lapidis*, vidit, ut vero ſimillimum, viam, qvâ itur ad palatium Regis; ſed dum in Vitriolo Romano, ejusq; ſpiritu callidè materiam operis magni collocat, alia omnia animo concipiens, Candidatis Artis magis adeo obeſt, qvàm prodeſt, invento tamen fornacis Philoſophicæ non incommodè ipſis gratificatur. Vixit poſt *Lullium*, qvé iterũ, itemq; allegat. Qvæ *Alberto Magno* attribuuntur ſcripta Chemica, ejusné ſint, an recentioris alicujus dubitari ſolet, qvòdvulgò *Alberti* libris reliqvis non ſocientur. Qvam ut nos hîc controverſiam mittamus, id putamus ſatis conſtare, ſcripta hæc ingenii maturi eſſe, nec dedecere acutum Philoſophum: videmus eum in citationibus optimorum ſcriptorum ita verſatum, in tabulæ ſmaragdinæ explicatione ita ſolertem, ut de ſcientiâ ejus Chemicâ non niſi optimè ſperare liceat. Inter alia, vox ejus: *Qvod qværebã, tandẽ inveni, non ex meâ ſcientiâ, ſed ex ſpiritûs ſancti gratiâ.* Id tamen non inficiandum, opuſcula hæc, qvæ *Alberto* qvoq; attribuuntur, *Alkymia, Concordantia Philoſophorum, compoſitum de compoſito, ſecretorum opus* &c. nondum initiatis ob ſolennes tenebras, parum profutura.

XXX

XXX.

Rosarium Philosophorum, à qvocunq; tandem compositum, vestigia seqvitur veraciumPhilosophorum non impari gressu, multam tamen etiam arenam sine calce admiscet, nec secretum Artis nisi parcissimè delibat. Inter apophthegmata ejus hoc est: *Via universalis est facilis, & rara, particularis difficilis, & laboriosa.* Item, *Conceptio est, cùm terra in nigrum solvitur pulverem, & incipit aliqvantulum de Mercurio secum retinere.* Auctorem autem, cùm hæc scriberet, nondum vidisse operis coronidem, argumento sunt, qvæ seqvuntur: *Hæc omnia*, inqvit, *vidi in diebus nostris usq; ad Leonem, depinxi tamen usq; ad complementum, licet non viderim*; laudanda ingenuitas. Qvæ de carbonibus juniperi adjicit, non sustinent exspectationem. Esse autē hoc scriptū *Rosario Arnaldi* posterius, ex eo colligas, qvòd etiam Arnaldum alleget. *Scala Philosophorū* Anonymi varia monet satis aptè, sed ubi ad nodum Gordium venitur, conticescit. *Opus Mulierum*, & *Ludus puerorum* minoris sunt momenti, qvàm ut cum nobilioribus Artis Magistris conferri mereantur.

XXXI.

Correctio fatuorum Anonymi, scripta, ut patet, post ætatem Villanovani, non inutilis est Candidatis Artis libellus, præceptionibus etiam egregiis freqvens. Inter qvas etiam illa: *Sulphur vulgi metallis est extraneum, & contrarium, qvia semper inficit, & denigrat, & corrumpit, qvocunq; modo præparetur. Si autem calcinatur, in terram abit, ut pulvis mortuus.* Seqvitur *Incertus* qvidam de Arte Chemicâ, non imperitus ille qvidem, sed caligine nimiâ circumfusus, licet dictio ejus probè latina sit, immò polita, & nitida. *Liber Secretorum Calidis*, filii jazichi, est profundi & reconditi sensus, cui tamen si nihil luminis afferas, parum inde lucis reportabis. Expendi meretur illud ejusdem. *Qvis est ex illis probatoribus, qvi valeat duo, vel diversa conjungere, qvorum centra sunt diversa, nisi post conversionem naturæ eorundem & mutationem substantiæ. Merlini Allegoria* nihil habet, qvod improbetur, ita placitis aliorum Philosophorum respondet.

XXXII.

Clangor Buccinæ non lassat alienis, sed instruit necessariis, varia etiam adjicit, qvæ non ita clarè ab aliis definiuntur: dignum sanè

nè opuſculum, qvod Curioſis ſæpe legatur, & probetur. Multos emendâſſet, (niſi ſibi ſaperent) illud ejusdem: *Corpus perfectum in ſuâ craſſitie permanens minimè virtutem habere poteſt ſeparandi terram ſulphuream à commiſto inperfecto, & convertendi ipſum commiſtum ad ſuam perfectam naturam.* Item, *ſi non ſublimaveris debitè id eſt, donec nullas materia relinqvat faces, erit aurum & argentum inde veniens obſcurum.* Hic mirari ſubit Interpretem *Parvi Agricolæ*, qvi ex unâ librâ craſſi ſubjecti aſſerit ſe ultra octo uncias puræ & præparatæ materiæ poſſe elicere, *Scriptorem* autem *Clangoris Buccinæ* vix drachmas duas. Verba *Clangoris* hæc ſunt: *Ex integrâ librâ menſtrui vix medium lothonem habebis, qvi facit ad tincturam.* Sed nimirum *Interpres Agricolæ* de minerâ ſaturni dictum explicat, *Clangor* autem in liqvorem alium nobiliorem digitum intendit.

XXXIII.

Theſaurus Philoſophiæ Anonymi, liber claſſicus eſt, & à fundamentis pandere myſteria Artis laborat, qvantum qvidem religio Chemica indulget. Nec facilè alius præparationis ſecretum aperit diligentiùs; cùmq; memor ſacramenti neceſſe habeat qvædam abrumpere, mutilare alia, ſubjicit ingenuè: *Sic ea tranſponunt, qvæ ſtultis pandere nolunt. Cymbalum aureum* Anonymi, non inficetum ſcriptum eſt, ſed nec pleni roboris tamen. Alii per certa intervalla ignem ſolent intendere, hic in eodem ſtatu à principio ad finem perdurat. Audiamus loqventem: *In omnibus*, inqvit, *gradibus ignis unus & æqvalis eſſe debet, talis ſcilicet, ut materia non elevetur, ſed in fundo qvieſcat.* Et id novum: *Pendeat*, ait, *vas in ſummitate furni, qvò melius calor circumeat, non autem teſtæ, aut cineri imponatur.*

XXXIV.

Aurelia occulta Philoſophorum Senioris, opus pium in theoriâ, in praxi ſaniorum dictis congruum, ut ideòq; tyrones non injuriâ ad legendum invitet. Parabola ejuſdem ingenioſa, & per nebulam veritatis viam commonſtrans. Unum hic audax *Senioris* promiſſum cernitur: *Ars hæc*, inqvit, XII *horis addiſci, & octidui ſpatio in opus, ac effectum deduci poteſt.* Qvin immò vel unicâ horâ addiſci poteſt, ſed octidui ſpatio abſolvi operis complementum qvis credat? præter unum illum *Helvetij præmonſtratorem*, qvi totam operationem inclu-

ſit

sit triduo. *Senior Zadith* Arabs non sine acumine persequitur argumentū suum, verùm & sæpius Oedipo conjectore indiget: clarior omnibus dictis ejus *figura* illa est *novem Aquilarum*, quæ si penitus inspiciatur, disertius mysterium enucleat, quàm sententiæ *Senioris* universæ.

XXXV.

Consilium Conjugij de massâ solis & Lunæ Anonymi, in tres dispescitur libros, quorum secundus præstantior est, ut rationibus, monitisq; salutaribus refertus; primus & tertius non poenitendi, sed secundo neutiquam pares. Ex horum lectione nisi proficias, crede vel fata, vel hebes ingenium obstare. *Lilium inter spinas*, verè spinosum opus est, &, ut paucis multa, tenebricosum. *Practica Ortolani*, sive *Hortulani* itidé ob inductas tenebras intellectu difficilis.

XXXVI.

Dicta Alani nubila sunt, & provectum requirunt lectorem. *Secretum Jodoci Greveri* satis recto tramite circa initia procedit; est tamen, cur suspicer eum ad complementum operis non pervenisse; quid enim perfectionis materiæ jam præparatæ accedet ex multis Antimonii floribus, quos largiter superaddit? Ut taceam, non videri, materiam à *Grevero* ante conjunctionem legitimè purgatam esse. *Correctorium Richardi Anglici* prudenter, & ex arte elaboratum est, sed ita ut per intermissa aliena genus profanum arceatur. Unicam ejus sententiam advocare huc non piget, ut meditatione profundâ dignam: *Mercurius crudus*, inquit, *dissolvit corpora, & reducit ea in primã materiam, sed Mercurius corporum hoc facere non potest; est enim propter cruditatem sui sulphuris, quod in primâ habuit terrâ albâ, ex quâ cum aquâ clarâ factus est initio; quia illud crudũ semper appetit corrodere, quod suæ naturæ vicinius est. Sed Mercurius corporum facere id non potest, quia per congelationẽ illud crudũ sulphur, quod antea in illo fuit, est alterũ in naturâ, & ideo non corrodit sicut primũ, nec foratum aperit, sed unius vis non manat in aliũ, licet sint fluctualiter conjuncta.*

XXXVII.

Georgij Riplæi XII Portæ publicum jam diu applausum consecutæ sunt, tanquâ germanæ magni Operis janitrices, & quidem

meritò ; nam ſtylo ita temperato apertæ ſunt, ut prædeſtinatũ, hoc eſt, attentum, piumq; lectorem non difficulter admittant, irruenti autẽ manibus illotis Centauro opponant modeſtè obicem. Intelligeretur etiá vulgo *Riplæus*, ſi tractu continuo proceſſum ſuum proſeqveretur, nunc, more *Gebri*, ſpargit variis locis mella ſua, qvæ jungere, & in favos ſtipare circumſpecti eſt. Inter prima Artis tentamenta trutinentur Candidati illud *Riplæi*: *Lapis noſter eſt vapor potentialis metalli: inviſibile profectò eſt hoc menſtruũ, qvanqvã cum ſecundâ aqvâ Philoſophicâ apparere poteſt formâ aqvæ claræ.* Floruit *Riplæus* Edoardo IV regnante, eidemq; anno Chriſti MCCCCLXXVII opus hoc dedicavit; artem didicit non à *Lullio*, licet eum qvandoq; alleget, non à Cremero, de qvo omnia incerta, ſed ut ipſe agnoſcit: *ſecretum in longinqvis regionibus didici, & mihi indigno Divinitus concreditũ eſt.* Ita tamen Divinitus, opinor, ut interceſſerit, DEo volente, Magiſtri opera; id qvod perſvadere videtur dictũ ipſius alibi pronunciatum, ubi: *hoc meus Doctor*, inqvit, *mihi oſtendit.* Simili ratione in *Codicillo Lullius* profitetur ſe Divinâ inſpiratione artẽ edoctũ; & nihilominus in eodẽ libro ita ſe explicat, ut non immediatè, ſed mediante *Villanovano* geſtum id eſſe agnoſcat. Cætera ſcripta, qvæ *Riplæo* attribuuntur, & in Germaniâ leguntur impreſſa vel *Riplæũ* non fatentur Auctorẽ, vel ab eodem nondũ veris myſteriis initiato profecta ſunt.

XXXVII.

Circa ætatem *Riplæi* prodiit in hoc genere *Thomæ Northoni Ordinale*, qvod & in lingvam Germanicam tranſiit: item *Samuelis Northoni Conſiderationes in Alkymiâ* & *Ejusdem Alkymiæ complementum*. *Conſiderationes Samuelis* tenebris involutæ ſunt, in *Complemento* paullò clariùs ſe expedit. *Thomæ Ordinale* magis probatur, & qvantum conjicere licet, viâ Regiâ procedit. Scripſit principatu Edoardi IV. qvem narrat ejus fuiſſe humanitatis, ut *Daultonum* ad ſe productum à *Delviſio*, tanqvam magni ſecreti Chemici conſcium, immunem, liberumq; à ſe demiſerit; *Delviſium* autem poſtea capite truncatam fuiſſe, de qvo conſulatur *Stow* in Annalibus. Sed de *Thomæ Northoni* ſcripto, ut & reliqvis lingvâ Anglicâ per *Eliam Aſhmole* publicatis, nimirum *Gothofrido Chaucer, Monacho nigro,*

Caro-

Carpentario, *Charnoc*, *Blomfeldio*, *Rovinsono*, *Gowero*, accuratiùs judicabunt, qvi idiotismorum lingvæ ejus, qvàm ego, intelligentiores sunt. *Somnia Dastini* ab *Ashmole* Anglicè edita, cùm jam ante in lingvam latinam ab erint, illam mihi exprimunt sententiam, esse *Visionem Darstenii* (ita interpretor *Dastin Dreams*) bene conceptam, & secundum præcepta Artis, legitimè dispositam. *Rosarium* autem *Daustonii Angli* esse qvidem obscuriori filo contextum, sed non sine evidentibus hinc inde magnæ Artis vestigiis. Inprimis unum *Daustenio* excidit dictum, qvod multis aliorum sententiis præferendum est.

XXXVIII.

Thomæ Aqvinati etiam locum inter Chemicos indulgent nonnulli: attribuitur eidem libellus, qvi *Secreta Alkymiæ* inscribitur; item alius, *de Esse, & Essentiâ Mineralium*. Qvicqvid horum sit, ipsa hæc scripta non sunt magni momenti, immò indigna tam nobili Auctore, & caligine obsepta. Agnoscit tamen, qvisqvis est ille *Thomas*, se regulas Artis ab Alberto traditas sectatum. Et mox: *Seqvere*, inqvit, *Divum Albertum Magnum, Magistrum meum*: id qvod cum ætate utriusq; parum convenit; obiit enim *Thomas Aqvinas* anno Christi MCCLXXIV, & *Albertus Magnus* demum anno MCCLXXX, secundum *Petavii* calculum, qvomodo ergo Thomas appellare potuerit Albertum (licet antea Magistrum suũ) *Divum*, non satis asseqvor. Opusculum *Johannis Mehung* obscuri nominis est, & luce optatâ destitutum. Neq; aliter censendum de *Epistolâ Antonii de Abbatiâ*, de *Johanne Belye*, *joanne de Lasnioro*, de *clave Sapientiæ Alphonsi*, & similibus. *Naturalis Philosophia magni Lapidis jo. Saigner* magis adhuc exerrat, ut cujus opus ex sale comũni variè soluto, & divexato procedit, id qvod à fontibus Antiqvorum Philosophorum alienum est.

XXXIX.

Vellus aureum, ita dictum, Rorsarchi anno Christi MDXCIX impressum scatet nugis, & imposturis. Qvæ ibi *Salamon Trismosin* sive ex propriâ Enchiresi, sive ex itinerum suorum curriculo in unum compegit, omnia, si ut jacent, intelligenda, spirant ineptias. Nec ferè aliter de *Hieronymi Crinoti* processibus sentiendum. Nec

succedit augmentum *Trithemij* ibidem signatum, ut nec *Tinctura Barthol. Korndorfferi. Speculum Ulrici Poyselij* pedem luto effert, & suprâ cæteros aliqvid conatur; sic & *Dialogus Philosophiæ*. Qvæ ex *Rogerio Bacone* eidem Operi annectuntur, non contemnenda sunt, eorundem tamen non tàm verba, qvàm sensus spectandus.

XXXX.

Dionysius Zacharius Gallus varios errores suos recensèt, atq; post eos, in portum veritatis se perveniisse asseverat; dignus, cui in hoc negotio habeatur fides, cùm & sapienter in Opere suo, ad morem Antiqvorum versetur, & monitis efficacibus Candidatos à lapsu & errore præmuniat. *Studiosos amatores*, inqvit, *rogo & admonitos volo, priusqvam operari incipiant, ut omnibus dubiis, qvæ circa operationes in compositione necessarias, versantur, collatis, & qvæ sibi mutuò contradicere videbuntur, ænigmatum æqvivocationibus, & id genus aliis, animum adeo resolutum, atq; liberum habeant, ut videant, ac intelligant, non nisi meras esse concordantias, non diversorum, sed vario modo prolatorum in unum & eundem sensum. Hæc est unica via cognoscendæ veritatis in hâc Arte præsertim.* Fatetur autem *Dionysius Zacharius* se in rectam viam reductum esse ex lectione *Testamenti Lullij*, & *Codicillo Ejusdem*, collatis cum epistolâ, qvam *Lullius* vicinus morti scripsit Regi Roberto, &c.

XXXXI.

De *Nicolai Flamelli* scientiâ Chemicâ adversis certatur sententiis. Qvi Chemici professione sunt Parisiis, ostendunt figuras ad sepulcrum ejus hieroglyphicas, qvibus Artem totam succinctè inclusam volunt; qvi ab his dissident, omnia alia de corrasis divitiis ejus congerunt, de qvibus pluribus agit celeberrimus *Morhofius* in *Epistolâ* de metallorum transmutatione; ego rem in medio relinqvo. *J. Aurelio Augurello*, licet non humillimi spiritus carmine Artem exponat, parum in his sacris tribuendum existimo, qvia parum scientiæ ejus Chemicæ defert *Lilius Gyraldus*, & alii populares ejus, qvibus vel facie, vel famâ erat cognitissimus. Certum qvoq; est, Leonem X Pontificem Romanum, librum hunc sibi dedicatum irrisisse, & laborem ejus inanem crumenâ vacuâ ad *Augurellum* remissâ instituisse compensare, addito mordaci dicterio

rio, nihil illi qvi hanc Artem calleret deesse præter crumenam, cætera de suo posse subministrare.

XXXXII.

Isaacus Hollandus qvis fuerit, qvando præcisé vixerit, obscurum est; *Paracelsi* pleraq; ipsi deberi, sunt qvi existiment, sed incerto itidem rumore: juniorem tamen esse *Alano* & *Villanovano*, ex eo conficitur, qvòd utrumq; in scripto suo advocat in testimonia. *Opera* ejus *mineralia* scatent processibus, sed ambiguis, & ex qvibus nihil certi, etiam post multos labores colligere licet, ita ex laboribus in labores credulum tyronem invitant. Est tamen, qvando minimè creditur, ubi veram aliqvam, & operi magno necessariam inspergit sententiam, sed & id adeo rarò, ut deprehendi nisi ab eo, qvi aliunde lumen accepit, neqveat. *Colloqvium Bejeri* cum spiritu Mercurii habet, qvod abhorreas, si qvidem veram refert historiam; habet qvod instruat, si Auctor sub velo fabulæ veritatem instituit patefacere. Qvæ sub nomine *Lamspringij* circumferuntur, respondent qvidem Antiqvorum sententiis, sed secretum Artis oblivione sacrâ sepeliunt.

XXXXIII.

Bernhardus Trevisanus, magni nominis Chemicus, & sine controversiâ absolutus disciplinæ hujus [licet extremo senio post infinita laborum inania] magister floruit circa annum Christi MCCCLXXXX, familiaris Th: Bononiensi, Caroli VIII. Gallorũ Regis Archiatro; cui etiam de toto arcano epistolã scripsit, prolixam illam, & solidis incumbentem fundamentis, qvam hodieq; Curiosi *Scripto Trevisani de Arte* longè præferunt, & meritò; nam licet & in *scripto suo* prudenter & doctè versetur, articulum tamen illum de secreto Artis ita necessarium ibidem præterit, & utilissimas ad præparationis elementa monitiones silentio involvit, de qvibus *in Epistolâ* hinc inde, licet satis parcè commentatur; id agit tamen ut provectiores facilè assequantur, qvò metam intendat. Tyrones id hîc assequuntur, ut a spuriis Magistris discant, Trevisani exemplo, abstinere, fortunam tamen operandi feliciter, necesse est, hauriant ab aliis,

XXXXIV.

XXXXIV.

Basilius Valentinus, Benedictini ordinis Monachus, notissimus scriptor hodie, sed qvi diu à morte suâ doctis tandem cœpit innotescere, aperta, ceu perhibent, per ictum fulminis columnâ Templi Erffurtensis, in cujus medio diffracto scriptum ejus hactenus delituerat: Sed & hæc, utcunq; in vulgus etiam typorum ministerio sparsa, nullius certâ nituntur auctoritate. Scriptum ipsum omnibus ferè germanum, vereq; aureum æstimatur: verum enimvero neq; *duodecim ejus claves*, ut jacent secundum literam, cuiqvam hactenus (qvantum constat) servierunt ad intrandum Regis palatium; neq; illa, qvæ ita sanctè commentatur de Vitriolo, deqve particularibus, ceu vocant, qvenqvam optatæ adstituerunt metæ, utcunq; toties sacramenti religione fidē suam de veritate obstringat. Ego, qvantum ex omnibus colligere licet, verum nihilominus Artificem puto fuisse *Basilium*, sed vel ab editoribus castratū, vel qvæ de *balneo pugilum*, qvæq; de *vitriolo* inculcat, alio longè sensu intelligenda, qvàm prima fronte promittunt. De cætero, nemo dubitat *Basilium* ætatem inter experimenta consumpsisse; sed experti itidem notarunt à scriptis ejusdem, qvalia hodie doctis exponuntur, parum in magno opere præsidii posse exspectari. Qvin & nonnulli mihi familiares viri docti, & enchiriseos Chemicæ gnari *Vitriolum* ad mentem *Basilij* exqvisitissimâ diligentiâ eviscerarunt, sine ullo emolumento.

XXXXV.

Teophrastus Paracelsus proavorum ætate celebris famam, qvā medicandi dexteritate acqvisivit, mordaci in Medicos dicacitate aut corrupit, aut sanè imminuit. λεγυσοποιήσεως peritum fuisse nè qvidem inimici ipsius rotundè sustinent negare, & *Oporinus*, domesticus ejus, aliiq; oculatos se testes fuisse perhibent, de qvo plura *in Opere meo adversus Conringium*. Et sanè hospitem omnino esse oportet in lectione *Paracelsi*, qvi inficiari sustinebit, multa ipsum, & variis in locis de hoc Arcano disseruisse. Agnoscit qvidem semel atq; iterum *Lapidem* ab aliis descriptum sibi ignotum esse, sed rursus alibi scientiam suam in hoc genere prædicat, & procedendi modum *libro de Vexatione Alkymistarum*, atq; alibi proponit, licet

satis

latis suo more tectè, ut sunt ejus professionis magistri ad simulandum, dissimulandumq; in eodem ferè ludo edocti, & ideo in scribendo, pollicendoq; lubrici, ut si, dũ adhuc in vivis sunt premantur à potentiori, ictum securiùs eludant. Nolim interea spondere cuiqvam, fore, ut ex lectione *Paracelsi* ad exspectatam perveniat metam, qvòd ipse passim testetur, nolle se præmansum in os cujusqvam ingerere.

XXXXVI.

Michael Sendivogius (sive is Auctor est *Novi Luminis Chemici*, sive *Sethonius Scotus*, qvem Germani *Sidonium* vocant non multum refert) inter classicos Artis hujus scriptores omniũ hactenus judicio solet numerari: Auctor ingenuus (qvantum permittit religio Philosophorum) & sine processuum commentis, sine inversis, subricisq; verbis sententiam suam aperiens; in parabolâ etiam liberior, & propior veritati: sed ne qvid dissimulemus, in illa ingenuitatis imagine callidus, & aliò vertens calamum, aliò mentem; adeo ut qvi pressiùs, secundum literam ipsum seqvuntur, facilè abripi possint in devia. *Dialogus ejus* inter Mercurium & Alkymistam, lepore suo & jocis blanditur, sed in principe nodo non se satis explicat. Exstat & *Tractatus Sendivogij de sulphure Philosophorum*, non is perfunctorié scriptus, sed tamen, ut ex certis liqvet indiciis, *Sendivogio* neqvaqvam attribuendus.

XLVII.

Aqvarium Sapientum (Wasserstein der Weissen) à *Jacobo Böhm* tantopere commendatum, incerto Auctore, experitur doctorum judicia. Ipse Scriptor Adeptorum [ceu vocant] classi se adscribit, multusq; est in limo laudando, de qvo ita erumpit. Thust du den Thon/auch gesang verstahn/ So bist du warlich ein weisser Mann. Item: *etiam ex stercore, & limo potest aurum conficere*. Qvòd si tamen limũ vulgarem intelligat (id qvod vix crediderim) procul vero abest. Et agnoscit haud dubiè celeberr. *Clauderus*, qvi in eadem sententiâ hæsit, processûs sui imbecillitatem. In processu operis & coloribus se conseqventibus studiosè delineandis fideliter occupatur *Aqvarium*, & errores in operando per imprudentiam commissos ita studet emendare, ut de novo incipere non sit necessarium.

cessum. *Jo. Chrysippus Fannianus*, diligens, & eruditus scriptor agnoscit se ex purgato plumbo, ité ex cinnabari vulgari posse solé elicere, an cum fructu viderit expertus. Conatur autem persvadere, metamorphosin ope salis cujusdam fusilis procurari; qvod ut non de nihilo est, ita salem illum naturæ metallicæ esse oportet, alioqvin hebescet vis ejus, nec metalla constanter ingredietur. Ex Magistris autem Artis esse hunc *Fannianum*, nullum ex scripto ipso indicium est.

XLVIII.

Elucidarius Christophori Parisiensis inter generalia se Antiqvorum præcepta continet, unde parum lucis accedet tyronibus: Minus adhuc ex *Elucidario Brotofferi*, qvi non est nisi farrago ex variis scriptoribus sine magno delectu consarcinata, præcipuè ex *fratribus Roseæ Crucis*, unde promissa magnifica exscu pes prætereaqve nihil. *Lucas Rodargyrius* ficto nomine ita appellatus, ante hos centum annos de *solutione Philosophicâ* scripsit, non inficetè qvidé sed nec Antiqvis Philosophis per omnia congruenter. Vult enim menstruum Philosophicum per vegetabilia reddi fortius; vult circa finem operis, aliâ viâ incedendum, qvàm optimus qvisqve hactenus incessit. De coctione, & ponderibus sic satis examussim loqvitur. Versus ejus rotundi sunt, & ita comptè diserti, ut ab imperitioribus censeri non difficulter possint omni ex parte veraces.

XLIX.

Jo. Picus Mirandulanus scriptum eruditum de Auro reliqvit, naturam ejus, & qvæ istuc spectant, ex Auctoribus, & proprio ingenio, magno apparatu declarans, legiq; meretur tyronibus in Artem primum introducendis. Post eum legatur *Theobaldus ab Hoghelande*, qvi de difficultatibus Chemiæ, ex suâ, aliorumq; experientiâ nervosè disserit. Neutrum tamen inter *Adeptos* [qvos vocant]communis fama collocat. Laudant docti in hoc genere *Gerb. Dorneum, Penotum, Libavium, Gastonem Dulcem, Kelleum Anglum, Edm. Deanum, Dienhejmium, Laurentium Venturam, Parnardum, Lagneum*, aliosq; ejus censûs plures, ut strenuos inqvisi ores, & diuturnos Psyches nostræ procos, sed ut Magistros neqvaqvam. *Dorneus* in suo *Vitriolo* infructuosè consenuit; *Barnardus*, cùm tandem

dem sciret, se nihil adeo scire, hortatur Philo-Chemicos, *ut qvàm primùm lapidem invenerint*, eum Principi Mauritio, & ordinibus General. Belgii offerrent, scilicet egregiè memor Philosophici sacramenti. *Penotus* etiam nosocomio Helvetico immortuus est. *Nicolaus Niger Happelius*, auctor *Theatrogoiæ Helianæ*, item *Disqvisitionis de Heliâ Artistâ* plus ex diligenti librorũ lectione visus est sapuisse, qvàm ex Vulcani ergasterio; unde qvæ in experimenta adducit de Mercurio ferri, plumbiq́; omnia irrita sunt, nec in manu oculati Magistri fidem ullam inveniunt.

L.

Aureum Vellus Guil. Mennens, puro speculatori probari potest, blanditurq; inexpertis; sed qvi veracium ignium judicia consulunt, rident omnia alia, facileq́; intelliguntur ea, qvæ in Rore majali, & meteoris delitescunt, non esse ejus acuminis, & vivacitatis, ut metallorum penetralia ingredi, aut in iis cum fructu durare possint. Et tamen *Mennens* ex sacris, ex profanis multa aggerat, & specioscè colorat, ut gratiam opinioni suæ conciliet. *Dn. Nuysement* libro, *de vero sale Philosophorum* multa hinc inde disputat de spiritu Mundi Universali, cujus radicem investigat in äere, sed nimis subtiliter in äere piscatur, cùm id Natura pedibus qvasi nostris subjecerit, qvod ille ex sublimi instituit captare. Mentiuntur talia veritatis speciem, præsertim apud simplices contemplatores, sed ubi ad praxin ventum est, sperantem ludificantur. Licet enim non malè dicantur *radices metallorum volitare in äere, corpora eorum qviescere in terrâ*, proxima tamen metallorum semina è tellure eruenda sunt, cùm remota non unius Nestoris ætate in proxima vertantur.

LI.

Henricus Conrad de *Igne Magorum*, deqvé variis ignium generibus justo opere commentatur, sed mirum, qvòd verum illum Philosophorum ignem nè verbo qvidem attingat, & nihilominus in aliis censendis prolixus est. *Andreas Goldmayerus* Harmoniam Chemicam digessit, sed qvæ non est nisi indigesta farrago ex variis Chemicorum scriptis collecta, qvæ cùm plures Lapides Philosophicos, eorumq; parandi modũ edocere sustineat, nè unũ qvidem rectè, & ex disciplinâ proseqvitur.

LII.

Manifestatio Maiestatis Divinæ (Offenbarung Göttlicher Majestät) cujus Auctor putatur *Ægidius* Guetmann / versatur toto opere, eoq; satis prolixo in explicandis tribus prioribus versiculis capitis primi Geneseos, in qvodum se se exercet, multa hinc inde Chemica inspergit de metamorphosi metallorum, nec ea inconvenienter; licet ad ipsam praxeos methodum specialiter non descendat. Sed qvia in illo *Opere* varia alia ingeruntur, eaq; in scholis Theologorum non ubiq; toleranda, nemini Candidatorum usum ejus diuturnum svaserim. Idem propemodum esto judicium de *Opere Jac. Böhme*, Philosophi, ut vocant, Teutonici, qvod *Mysterium magnum* inscribitur, ubi de Chemicis varia hinc inde inculcat, sed opinor, ex nudâ Contemplatione; nam in praxi minus peritum fuisse, vel id judicio fuerit, qvòd *in Epistolâ ad Amicum*, excusâ Amstelredami apud Betke, respondet cuidrem discipulo suo, putare se integros sex reqviri annos ad opus ab initio ad finem usqve absolvendum. Nec adhuc constat, qvenqvam ex lectione sive *Guetmanni*, sive *Böhmij* ad intima artis pervasisse.

LIII.

Iohannes Thornburg, Episcopus Vigornienſis, in Chemicis librum scripsit, titulo: *Nihil, aliqvid, omnia*, in qvo ita orditur: *Qvisqvis in componendo Philosophorum lapide ad aliqvid vult pervenire, à nihilo incipiat, & ad omnia, per aliqvid progrediatur.* Scriptum pium est, & rationibus Philosophicis appositè distinctum, adeo ut Auctorem in viâ Regiâ ambulâsse non dubitem, licet fortassis ad complementum praxeos non licuerit pervenire, Causam ipse eloqvatur: *Nemo autem judicet*, inqvit, *ex scriptis meis, posse me Philosophorum lapidē componere. Nomen non arrogo tantū; sed si placeret sapientissimo potentissimoq; Regi nostro Iacobo* (qvo regnante florebat) *gratiosè filius Philosophiæ veniam indulgere, non obstante statuto contra auri multiplicationem edito, tentarent procul dubio boni Viri adhuc sub silentio secretiores, an scientia eorū responderet rei veritati, aut rei veritas superaret scientiam.* Unam hîc sententiam ejus allegare libet, qvæ haud scio, an omnibus se probatura sit: *Probabile videtur*, inqvit, *qvòd viscera terræ post maledictionem, pro perfectio-*

imo

imperfecta, & prosanis leprosa metalla plerumq; producebant. Neq; enim opinor, qvòd filij Adam, nisi propter peccatum Patris, unqvam eguissent vel stanno pro candelabro, vel ferro pro calcitus eqvi, vel cupro pro lebete, vel plumbo pro tectur â domûs, non magis qvàm ante peccatum eguisset Adam sicuum foliis. Præcipuè lectori suo ad initia Artis plenius imbibenda commendat caput decimum *Samuelis Otreb Britanni*, qvod & ipsum videtur ab initiato compositum fuisse, licet omnia alia vulgaris oculus ibidem inveniat.

LIV.

Parvus Agricola (Der klein und groß Bauer) Auctor *Apertæ arcæ arcani artificiosissimi*, plerisq; æstimatur in Chemiâ summus Artis sex; sed qvæ mihi de eo dubitandi ansam præbuere hæc ferè sunt: 1. Si ex minerâ saturni vulgaris, aut Antimonii, etiam præstantissimâ (qvò videtur inclinare) materiâ magni operis elicere satagit, non seqvitur vestigia Antiqvorum, adeoq; extra oleas, haud dubié, evagatur, 2. Ex epistolâ hujus *Agricolæ* ad Ernestum, Electorem Coloniæ satis evidens est, ipsum ne tum qvidem, ex propria confessione, ultra primam materiæ veræ præparationem processisse. Scriptam autem esse hanc epistolam trieñio toto post editam *Apertam Arcam*, mihi asseveranter concredidit Amstelredami *Dn. Raschius*, & ipse in harenâ Chemicâ vetus & exercitatus gladiator. Immò ut in eodem articulo persistamus, possessor. *Manu Scriptorum* verissimorum hujus *Agricolæ*, natione Livonus, qvi jam ab añis triginta (ut scribit in *Mysterio occultæ Naturæ*) totum Opus cognitisimum habet, agnoscit ibidem se Mercurium universalem tantùm adhuc obtinuisse, nondum tamen ad optatum finem perductum. Fierine posse credibile est, ut aliqvis de totâ præparatione securisimus totis triginta añis non ultra primas lineas progrediatur? 3. *Johannes Harprecht*, Professoris Tubingensis filius, (qvi sub nomine filii Sendivogii latere amat) Secretarius qvondam Rigæ Baronis Cronsternii mihi totâ hyeme, anni MDCLVII adfuit, atq; in familiari conversatione fassus est, sibi eadem *Manu Scripta* parvi Agricolæ, hoc est, *Johannis Grassei*, sive *Chortolassei* ab amico Livono concessa, & sæpe lecta esse, immò descripta; neq; dubitare se de processuum veritate, materiam autem Operis Chortolasseani haud aliam

esse, qvàm mineram Saturni è Misniâ aptiùs hauriendam, sibi autē hactenus nullam fuisse occasionē experiundi (ut erat sanè id temporis in ergasterio ignium planè hospes) eoq; festinare in Belgiū, ut veritatem *Manu Scripti* oculatis manibus periclitetur. Qvid multis? venit Amstelredamū, varia ibi scripta edit tanqvam germanissimus Adeptus *de sale Philosophorum*, item *Lucernam salis Philosophici*, &c: assumpto filii Sendivogii titulo; ubiqvidem piè, & ubinde Antiqvis sapientibus convenienter incedit, verùm an cùm illa scripta ederet, verè fuerit Adeptus, dubitare me non dissimilo, non modò qvia nuper ante decimasiam metallicam planè ignorabat, sed præcipuè ob duas causas in scriptis ipsius adhuc obvias: qvarum *una* est, qvòd tradat *materiam magni Operis initio dulcem esse* (& hoc saturni minerâ indicat) *altera*, qvòd scribat, *crudum adhuc spiritum tingere licet fugaci colore*: qvæ duo Antiqvorum materiæ non congruunt. *Harprechtum* autem illa hausisse ex scriptis *parvi Agricolæ* vel id argumento fuerit, qvod hic in *Apertâ* suâ *arcâ*: *Possum* inqvit, *spiritu ex metallis* (aut ex minerâ) *corporaliter elicito, momento tingere cuprum in aurum, sed non constanter*. 4. Particulare (ceu vocant) *parvi Agricolæ* etiam suos patitur manes; licet enim ex minerâ saturni, peculiari eliciatur per spir. salis armoniaci tinctura viridis, ut respondeat Agricolæ interulæ viridi (Den grünen unterzuck) nihil tamen inde extorqvetur, qvod in cineritio ultimum ignis supplicium sine fugâ exspectet.

LV.

Arcanum Hermeticæ Philosophiæ opus, editum ab eo, qvi sub his verbis: *penes nos unda Tagi*, se recondit, creditur q; senator Parlamenti Tolosani, *Don janus Espagnet*, id enim nomen ex superiori ænigmate elicitur, omnium, qvos hactenus legerim, prudentissimè, candidissimeq; (qvantum permittit taciturnitas imperata Philosophis) in arcano hoc argumento versatur, nullis diverticulis, nullis ambagibus lectori illudens. Utrum autem *Espagnet* ipse auctor fuerit hujus scripti, an editor tantùm, in ambiguo est, dubitantq; Gallorum curiosi, qvibus *Espagnet* satis, superq; innotuerat. Id inficiari nefas, filium *Espagneti* senioris, & ipsum *Espagnetum* nomine, jam tum annorum circiter sexaginta, itidem senatorem Tolosanum (ut olim

olim pater) mihi anno seculi labentis sexagesimo qvarto, familiari conversatione notum fuisse, virum probum, eruditum, Chemicũ, & uni *Lullio* addictissimum, qvo nemo mortalium, opinor, *Lullium* fideliùs excusserat, qvòd in eo solo totam scientiam Chemicam delitescere asseveraret, ideoq; de nullo alio Chemico scriptore sollicitum se ostendit. Is à me privatim interrogatus, Paterne verè fuisset *Adeptus*? an scriptum superius publico exposuisset? de secundo fassus est, primum autem asserere non sustinuit. An pater, memor silentii huic studio debiti, filio nihil revelârit, an certi nihil scierit, in suspenso relinqvo. Qvicqvid horum sit, obstrinxit nihilominus Pater sibi Curiosos omnes insigni beneficio, qvòd librum hunc aureũ publico asserverit.

LVI.

Seqvitur alterius Galli scriptum (*Les oeuvres de David planis campy*) in qvo Chemica varia, *Tractatus de Auro potabili*, seu medicinâ universali, item schola *Transmutatoria* &c. Auctor Gallis plerisq; sagacioribus non admodum probatur, ut jactator nimius; mihi tamen videtur non nihil subolfeciſse de vero ad Lapidem itinere, sed in viâ medi à declinâsse ad avia, adeoq; sperata Hesperidum poma non decerpsisse. Sed & alius Gallus mihi notus, *Ludovicus du Buisson*, scrutator indefessus, vir multæ lectionis, qvi cùm initio famæ *de Auro potabili* scripsisset, neq; tamen in medendo superaret alios Medentes, rogatus à me causam respondit, se *aurum* suum *potabile* confeciſse ex bracteolis auri spiritu terræ arvorum nigerrimæ dissolutis, ex eo autem, observatum sibi esse, non adhibitum fuisse legitimum menstruum, & hinc vim ejus medicam hebetiorem deprehendi. Pòst meliora, ceu sibi pollicebatur, edoctus à Duce Megapolitano in arcem Stinkenburg, ad experimenta Artis suæ edenda benevolè invitatur: ubi, qvòd fortassis grandia promisisset, nec præstaret, in carcere demum contabuit.

LVII.

Tumba paupertatis Philosophi incogniti, edita Gallicè, sed mox in lingvam Germanicam versa (das grab der armut nuncupata) Auctorem fatetur *Arremontium*, eqvitem Gallum, qvi cùm Hafniæ, ad dies aliqvot, apud me viveret, post varia in Oriente itinera, secretum

tum ſuum, qvâ erat humanitate, mihi benignè cõunicavit, qvod & ego hîc publico non invidebo. Nimirum, inſtitutum ejus hoc libro eſt, tam diu Mercurium vulgi cum auro ſubigere, toties iterum indè deſtillando evocare, donec tota auri maſſa evadat levis, ſpongioſa, irreducibilis, & ſplendore omni caſſa: cui tum affundit (mihi enim clavem characterum ſuorum aliàs omnibus ignotam aperuit) acetum optimum ſtillatitium, illudq; tamdiu inde abſtrahit, &, ceu vocant, cohobat, donec abeat aurũ in ſubſtantiam fuſilem, intrantem, tingentem. Mihi ut hæc methodus laborioſiſſima occurrit, & ab Antiqvorum ſcriptis aliena, ita tentaminibus aliorum, qvibus magis arridebit, eandem volens relinqvo.

LIIX.

Anonymi Verbum dimiſſum ſpirat indolem Veterum Philoſophorum, atqve multa adducit placitis Adeptorum ſolennia; ſed & multus eſt in alienis, & â ſcopo abducentibus. *Vincentius* Koffsky in ſuâ *Tinctura radice* meras tenebras Ægyptias vendere apparet, ſed qvæ tamen ſubinde radiis qvibusdam lucis diſtingvuntur. Qvi hunc adit ſine lumine, & ſine lumine recedet. Scriptum traditur opuſculum hoc anno Chriſti MCCCCLXXXVIII. Sed & non ita pridem Hamburgi prodiit ſcriptum: Ein altes Tracktätlein von den gebenedeyeten Stein; in qvo *Auctor* nonnunqvam, præſertim in *rhythmis*, qvaſi aliud agens, veritatem patefacit, ſæpius autem latet poſt carecta, & circumfundit ſe tenebris. *Aliud*, editum Argentorati, Eröffnetes Philoſophiſches Vatterherz nuncupatum, etſi ingenuam magni Operis explicationem promittat, ſcientiam tamen ſuam qvaſi in vaginâ recondit, unde nemo evadat ſapientior. *Aliud*, cui titulus: das Pontiſche oder Mercurial-Waſſer der weiſen inter ſpeculationes ſe continet, nec vel ſibi, ut credibile eſt, nec aliis tacem accendit.

LIX.

Introitus Apertus ad occluſum Regis palatium Philalethæ, claſſicis ſcriptis jam diu à totâ Chemicorum familiâ accenſetur; eſt autẽ primâ fronte candidus, ingenueq; diſertus ſcriptor; verùm ubi nodus ille Vulcanius de *Arcano Artis* occurrit, *geminas Dianæ columbas* oſtentat, de qvibus hodieq; ad ravim usqve diſſident Candidati,

&

& qvibus ignoratis totum ædificium corruere neceſſe eſt. Sed & illa per *columbæ Dianæ* via, plena eſt tædio, nec Antiqvis, immò nec ipſi *Philalethæ*, opinor, calcata; qvod longè propior alia detur, & Antiqvis, & hodiernis Adeptis familiaris. Ubi autem illas primæ, & abſtruſiſſimæ operationis ſalebras evaſiſti, praxis reliqva *Philalethæ* non difficulter ſuccedet.

LX.

Johannes Segerus Weidenfeld de *ſecretis Adeptorum* opus practicum nuper concinnavit, & illud magnæ induſtriæ lectionisq; omnino variæ argumentum. Decretum illi, hoc ſcripto omnes veros Chemicos in ſpeciem diſſidentes redigere in concordiam; atq; ideo omnium proceſſus, etiam primâ fronte pugnantes approbat, tanqvam veros, dummodo in illis aliqvid ſpiritûs vini Lulliani vel tacitè, vel explicitè reperiatur; creditq; nullum adeo dari proceſſum, in qvo is non deliteſcat vel ſub proprio, vel alieno nomine. Sed ut hæc ipſi conceſſeris (qvod tamen vix ferent delicatiùs judicantes) nuſqvam docet, qvid ſit ſpiritus ille vini Lullianus, qvo genio incaleſcat, ex qvâ progerminet radice, ut proinde, qvam diu hoc ignotum eſt, menſtruum qvoq; verè univerſale ignorari neceſſe ſit. Qvin & difficile eſt creditu, ſpiritum illum Vini Lullianũ innoxiè permiſceri tot aqvis fortibus, Regiis, tot lixiviis, ſalſis, acidis, ut nihil de integritate ſuâ deperdat. Circumſpectiùs, meo judicio Veteres, omnes hîc aqvas fortes exterminarunt, qvòd qvemadmodum bene *Lullius* in ſuo *Vade mecum*, *non ſit bona* matris filios ſuos interficere.

LXI.

Anonymus ille illuſtris, qvi *Pantaleonis* nomen induit, magnæ eruditionis, & experientiæ Roſcius, in *Bifolio* ſuo *metallico*, in *Tumulo Hermetis aperto*, & in *Alchymiſtico Examine* prodit clariſſimam in his ſacris lucem, promptum, ſubactumq; judicium, & liberrimum in cenſendo acumen. Credibile eſt, *Diſceptationem* de *Lapide Phyſico*, contra *Auctorem Tumbæ Semiramidis* ab eodem calamo profluxiſſe, ita iisdem principiis, fundamentisq; innititur is Scriptor, qvibus *Pantaleon*. Et ſi ſcapham ſcapham appellare fas eſt, is *Tumbæ Semiramidis Auctor*, in qvem invehitur *Diſceptator*, magnis exci-

excidit ausis, liqvidoq; imperitiam suam in Hermetico opere declarat; nec potuit fortiùs, generosiusq; contundi, qvàm ab illo *disceptatore*, hoc est, opinor, *Pantaleone* præstitum est.

LXII.

Iohannis Friderici Helvetij Vitulus Aureus non eqvidem artificium Lapidis aut describit, aut profitetur, sed, qvod tamen ad notitiam Candidatorũ pertinet, factam ab Adepto projectionem [ut loqvuntur) ejusq; discursum graphicè exponit: in qvo illud mirum, qvòd Artifex istę tam levi negotio, tam exiguis sumptibus, tam angusto temporis intervallo absolvi negotium asseveret. Vox ejus: *præparari lapidem qvatriduo, & id ope salis cujusdam cœlestis, nec ultra novem florenos toti opificio impendi.* Qvòd si ejus standum auctoritate, major hic magister censendus *Lullio*, qvi in *Accurtationibus* profitetur, curâ singulari adhibitâ, diebus triginta totam præparationem expediri. Qvòd idem potuisse *Chortolasseum* tradit hæres ejus Livonus. Sed si id veritati consonum, cur idem librorum ejus hæres totis ex eo triginta annis præstare nihil potuit? sunt, qvi existiment *Mariam Hebræam* triduo negotium potuisse transigere, immò tandem & trihorio, juxta illud vulgatum: *Maria lux roris ligam ligat in tribus horis.* Verùm haud dubiè de repetitionibus post absolutum iterum, iterumq; lapidem hæc intelligenda, Ut ut sit, sat cito, si sat bene.

LXIII.

Anonymi tres Tractatus de Metallorum transmutatione per Mart. *Birrium* evulgati, abundant rationibus, præceptis & monitis Philosophicis, nec dubium, qvin sint hinc inde de optimâ notâ. Exaphorismis illis hi expendantur: *Id purum, qvod in imperfectis metallis est, propter cruditatem suam in igne avolat - - - Totus sol semen est, ubi dissolveris - - - In tingendo pars una tincta contigua parti est instar fermenti - - - Ordo colorum determinari neqvit, qvia is varius est, pro varietate menstrui perfectioris aut imperfectioris. Anonymi Cabala Chymica* Hamburgi anno MDCLXXX publicata, ex arte sublimioris Chemiæ secretũ suum persequitur, gratior tamen illa provectioribus in hoc studio, utiliorq; qvàm iis, qvi nondum sine cortice natare didicerunt.

LXIV.

LXIV.

Anonymus in Lucernâ Mercuriali (neu angezündt hellbrennendes Mercurial Liecht) Errores suos anteactos ingenuè depingit, ut tyrones à similibus præcipitiis absterreat, sed ubi ventum est ad cardinem rei, circumcidit præcipua, non invidiâ, sed amore silentii Philosophici. Nec qvisqvam etiam facile divinaverit, qvid illa ejusdem sibi velint: materiam jam puram tradendam esse qvatuor spiritibus igneis, futuris per biennium ejusdem custodibus. *Cyrus refrigeratorius jerusalemitanus* multa promittit magnificè, sed qvò tendat ampliſſimis illis promiſſis, ignotum non modo aliis legentibus, sed forsan & illi ipsi. *Radix Chemiæ Anonymi* totus in eo est, ut liqvorem Alkahest vel conficiat, vel commendet: cujus tamen an verus sit possessor, ex hoc scripto neqvaqvam constat. Et verò fac esse ad Lapidem tamen conficiendum is liqvor non desideratur.

LXV.

Fridericus Geisler in suo *Auro potabili* vult genuinum solis menstruum ex rubrâ qvadam terrâ, sive *aretz* præparandum esse; per terram autem illam rubtam sive bolum rubentem intelligat, sive (ut supicio est) vitriolum in calcem rubicundam perustũ, opportunũ solis radicibus intimis aperiendis menstruum non ministrabit, qvia heterogeneum neqvaqvam dissolverit homogeneum, qvippe natura non gaudet nisi suâ naturâ *Anonymi particulare ex universali* procedit ex Mercurio per terram aliqvam rubram (an colcothar) in statum fixum transformato. Neq; negare fas est simili Mercurio vim suâ in morbis, sed in cupellâ procul dubio constantia illa evaneſcet. *Vera fundamenta Chemiæ* anno MDCLX edita parum instruunt sitientem veritatis animum, parum tangunt nervum difficultatis, licet aliàs variè, nec indoctè de Lapide, atq; liqvore Alkahest philosophentur.

LXVI.

Anonymum Mercurii caducei (Zweifacher Schlangenstab) Auctorem orgyis mysteriorum Chemicorum initiatum fuisse, non difficulter adducor ut credam: saltem ita opportunè de materiâ, de toto opere sermonem instituit, ut in theoriâ probè subactum esse oporteat, de praxi ejus nihil definiero. Pænè omiseram *Anonymum de principiis naturæ, & arte Chemicæ*, Geismariæ luci publicæ

expositum, qvi licet diu hæreat in elementis, non definit tamen arcem rei subinde invadere, & puteum hunc Democriti attentè scrutari. *Helmontium*, colloco inter argutos qvidem, & nobiles Philosophos (ut Mercurio diaphoretico, corallatoq; felicem) sed inter Roscios magnæ Artis neqvaqvam, qvòd & ipse se agnoscat in frugiferâ illâ metamorphosi metallorum Hermeticâ hospitem fuisse, & totus liber ipsius persvadeat idem, utcunq; beneficio liqvoris Alkaheſt medicinam, post Paracelsum locupletârit. Sunt nihilominus, qvi suspicantur *Helmontium* nunqvam propriis manibus hunc liqvorem præparâsse, sed possedisse ab alio præparatum, ideoq; graviter alicubi conqveri, lagenam, qvâ Alkaheſt continebatur; sibi furtim ablatam fuisse.

LXVII.

Phœnix Adropicus de morte redux Anonymi, qvantum ex caliginosâ ejus delineatione licet expiscari, ex rubrâ qvadam terrâ per validam destillationem oleum qvoddam γαλακτῶδες exprimit, & postea oleum rubicundum (an & hîc colcothar locum habet?) qvo imbuit scobem solis & lunæ, fovetq; blando calore, donec conjungantur, immò figantur. Et hæc qvidem parum versatis in hâc palæstrâ non difficulter persvadentur, sed cùm olea ejusmodi bolis expressa constanter sociari auro, ob naturæ utriusq; discordiam, neqveant, vereor ut thesaurus ille transeat demum in carbones. *Alterius Anonymi Phœnix* Philosophic. in pervestigando Artis secreto spem suam videtur in aqvâ pluviâ collocare, qvo eventu, viderit ipse. Ego qvi ex eadem salem cubicum, & rubicundissimam tincturam oleosi generis sæpe extraxi, argentum exteriùs aureo colore inbuentem, ingressum tamen ejus in metalla, licet post longas decoctiones, nunqvam potui observare. Qvod idem judicium esto de rore majali, cæterisq; in aëre natantibus liqvoribus. *Johannis Ristij Phœnix Philosophicus* Hamburgi editus, anno MD XXXVIII. magis adeo concinnatus videtur propitiando facundissimi Pöetæ genio, qvàm investigandæ Artis hujus sinceritati; ita qvæ de cucurbitâ ex ossibus balænatis confectâ, & succo cancrorum, scobe chalybeâ, & silicibus imbutâ commentatur, ad captandam ex sublimi spiritu universalé, olent svavé ad irridendos stolidos fabellam.

LXVIII.

Joh. Christophorus Steeb in *Elixire solis per dulcem liqvorem* comparato, recipit (qvæ verba ejus sunt) magnesiæ solis rubicundissimæ partem unâ, Mercurii Philosophici partes duas, hæc jungit ad aram Vulcani, &c. Sed qvid hîc intellectum velit per *magnesiam solis*, per *Mercurium Philosophorum*, oppidò ambiguum est. Non prætereundum hîc *Vellus aureum Möglini*, in qvo potissimùm agit de Auro potabili, cujus natales sint aurum, & terra rubra. Si hariolari liceret, putarem, à *Möglino* intelligi mucilaginem illam, qvæ rubicundâ facie, aqvis stagnantibus, æstate fervidâ incumbit; sed cùm neq; exercitatissimæ dextræ *Kunchelius*, nec alii in Artis operibus probè subacti ex illâ massâ aliqvid potuerint elicere, qvod intimam solis texturam dissolveret, vero simillimum fuerit, nec fortunam *Möglino* aspirâsse faventiorem.

LXIX.

Huginus à Barmâ in *regnis Saturnii* Arcanum Hermeticum ita depingit, ut adyta ejus præcipua videatur penetrâsse. Inter alia: *Mercurius* noster, *inqvit, mollia indurat, dura mollit, volatilia fixat, & fixissima volatilia reddit, viva mortificat, mortua vivificat, ac resuscitat humida siccat, sicca humectat.* Hunc qvi sibi reddiderit obnoxium, haud dubius est Hermetis antiqvi hæres. Interea *arcanum* ejus *corallinũ*, qvod ita liberaliter publico communicat, vix multos inveniet imitatores, propter & diuturnum in laborando tædium, & suspicionem imperfectionis, qvòd in præparatione desideretur enucleatio liqvoris Alkahest, cujus unius ministerio, secundum *Helmontium*, Mercurius debitam hîc constantiam addiscit.

LXX.

Johannes de Monte-Snyders in suâ *Medicinâ universali* id potissimùm agit, ut metalla per mineralia destruantur [hoc est, ut impurum eorundem sulphur, operi noxium removeatur] & post destructionem ope butyri Reguli Antimonii reviviscant in statum, & vitam meliorem. Destruit autem eâdem pulvere illo solenni Paracelsico (qvem *verbenas adole* vocant) qvi recipit tartari partes duas, nitri qvatuor, sulphuris octo. Processum totum, ex ore *Monte-Snyderi* exceptum graphicè delineat *Kenelmus Digbæus* in *secretis* suis jam in scripto posthumo luci publicæ expositis. Et qvidem ve-

rè

rè inter Adeptos cooptandum esse *Monte-Snyderum* plures existimant, inq; iis celeberrimus Aqvisgranensium Medicus, *Dn. Blondellus*, qvi mihi frustillum auri ab eodem Aqvisgrani confectum unà communicavit, addito oculatorum Aurifabrorum, qvi metamorphosi adfuerant, testimonio. Ego qvi nec qvicqvam *Monte-Snydero* per me, nec amicissimo Blondello detractum velim, putârim Artificem qvidem esse *Monte-Snyderum*, sed vix noto illo processu vestigia Antiqvorum in magno Opere signata esse secutu, utcunq; particulare qvoddam fortassis naturæ hoc pacto extorserit.

LXXI.

Fons fontium Arcani Naturæ aperti, qvem *Anonymus* Germanus anno MDCXXVIII publici juris esse voluit, sic satis aptè, ex disciplinâ Veterum, se explicat, adeo ut non difficulter credam intima Artis penetralia eidem patuisse; id qvod & ipse non obscurè præ se fert. *Johannis Othonis Helbigij* scientiæ Chemicæ, *Introitu in venam, & inauditam Physicam*, aliisq; scriptis Orbi literato ostentatæ famam, cùm ampla, & magnifica esse cœpisset, oppidò imminuit *Anonymus*, retexendo Arcanum secreti ejusdem symbolum, *Vis alienata tessæ*, in sententiâ hanc Latinâ: *Essentia Salivæ*; qvæ Antiqvorũ unanimi de Lapide opinioni neqvaqvâ respondet, licet eorũ nonnulli, inq; iis *Morienus* videri possit istuc collineâsse, cùm aliud prorsus intuens ita scriberet: *Materia hæc, ô Rex, in te est, immò à te capitur.*

LXXII.

Theodorus Mundanus epistolâ, *de qvintâ Essentiâ Philosophorũ*, ad illustrem Archiatrum Britannicum, *Edmundum Dichinson*, ex multis ibidem signatis vestigiis colligitur verus sine controversiâ Magisterii Philosophici possessor; sed ita per ambages & diverticula incedit, ut circumspectum esse oporteat, qvi, ubi seriò, ubi simulatè loqvitur, possit internoscere. Neq; enim ut jacent, intelligenda sunt, qvæ prolixe affert pag. CLXXXXVII. seqv. qvæq; ad infinitos, immò eos supervacuos labores aperiunt fenestram. Interea vel ex hoc ungve leonem æstimamus, sed qvi ungvẽ suũ callidè tegit, qvoties propter insidiatores necesse est. Vir cæteroqvin maturus judicio, pietate gravis, & ab ineptiis seculi alienissimus.

LXXIII.

Wilhelmus Schröter, Baro, & socius societatis Regiæ Anglicanæ

canæ, in *Instructione suâ necessariâ de Chrysopoeâ*, satis declarat in-
genium locuples, sensus argutos, experientiam omnino variam,
sed in sinum intimum Naturæ metallicæ se admissum, qvâ est inge-
nuitate, Lugduni in Batavis mihi olim cognitâ, nusqvam sustinui
profiteri. Meditationes qvidem suas de subjecto magni operis hin-
inde proponit, sed qvas nemini desiderat obtrudere. Qvæ de Wa-
gnerekii artificio inspergit, mihi qvidem ferè persvadent, Wagne-
reckium in progressu operis rectam instituisse viam, sed principio
non satis sollicitè purificâsse materiam, atq; inde secutam in pro-
jectione infirmitatem.

LXXIV.

In nucleo Alchymiæ, Irenæi Philoponi Philalethæ via illa, qvam
calcavit in *Introitu Aperto* ipsius antecessor Philalethes, aperitur,
muniturq; uberius. Hanc autem initio operis, mille fastidiis, lon-
goq; obseptam esse labore, non potuit diffiteri primus Philalethes.
Sed si qvis semel primos in hac viâ progressus fecerit salutares, in
praxi postea sine magno sudore versabitur. Interea, varia addidit
hic *Irenæus* diligentiæ singularis argumenta, ut: *uni libræ Mercu-
rij in projectione non decedere nisi scrupulum unum*; id qvod facilè o-
stenderit, non esse tantum aqvosæ humiditatis, aut fæcum arsenica-
lium in Mercurio, qvantùm Auctores qvidam prædicant; *Item,
pondus jovis tingendo crescere, excluso aere, qvi in poris ejus antea con-
tinebatur: Solem affusâ tinctura visum sibi abiisse in vitrum album,
qvod permistum aliis metallis pondus solis expediit, non colorem, &c.*

LXXV.

*La vera Dichiaratione di tutte le metaphore, similitudini, & enim-
mi, degl' Antichi Filosofi Alchimisti*, &c. per *Evangelistam Qvattmi*
Venetiis A. MDLXXXVII excusa vix aliud est, qvàm perpetua in
spurios seculi ipsius Chemistas invectiva; pauca enim deverâ metal-
lorũ naturâ Philosophicorũ attinguntur, & ea non qvidem inutilia,
sed ad conciliandũ in magno opere lumen parũ profutura. *Nuova
Miniera d' Oro* di *Flavio Girolami*, Venetiis A. MDLXXXX edita, in
eo præcipuè versatur, ut majestatem, veritatemq; Artis Chemicæ
strenuè vindicet, id qvod etiam disertè, eruditeq; exseqvitur. Scri-
ptor variæ, vastæq; lectionis, nec à rationibus Philosopho dignis
impa-

imparatus; qvi tamen operi praxeos vix manum admovit ipse, contentus dignitatem Artis primariæ pro virili propugnâsse.

LXXVI.

Lux obnubilata suapte naturâ refulgens, de lapide Philosophico (qvem *Anonymus* vetustior versu Italico expressit, recentior *Anonymus* illustravit commentariis, Venetiis A. MDCLX) paucis qvidem sed efficacibus aphorismis docet, se plenam Artis cognitionem assecutum esse; qvam tamen ex consvetudine Artificum & celat simul; & simul revelat. *Breve Tesoro Alchimistico Josephi Marini*, Venetiis A. MDCXLIV, evulgatus, hæret in particularibus, ceu vocant, iisq; maximam partem incertis, & exspectationi non respondentibus. Nec aliud ferè judicium ferendum de *Lapide Lydio Naturæ Aureæ*, qvem scripsit A. MDCLXIX *Sertimontius*. Laudatior *Justinus Pustevinec*, qvi licet præcipuè stylum adversus Sophistas convertat, circa finem tamen opusculi, de veritate Magisterii & vestibulo Operis sobriè, & ex Arte differit.

LXXVII.

Ludovicus de Comitibus, variis scriptis Chemicis inclutus, & Venetiis mihi olim familiaris, multa mecum de secreto Hermetico disputavit, candidè, humaniter, docteq; omnia, sed ex qvibus tamen exsculpere non licuit, ipsu ultra theoriam in hoc genere processisse. Accedebat jam tum Viro optimo fatale malum, cæcitas, absq; qvâ fuisset, meditationes suas fortasis ad optatam provexisset metam. Liqvorem *Alkahest* visum sibi aliqvando professus est, sed alienâ manu præparatum, adjiciens, enchiresin ejus laboriosissimam esse, præparari ex Mercurio dulci vel trecentis sublimationibus fatigato, & pòst in cellâ tandem in liqvorem fatiscente: totam conficiendi legem à se communicatem esse Dn. *Vaibel*, Ducis Neoburgensis Archiatro, eumq; in eo esse, ut rem experimento permittat.

LXXVIII.

Petri Arlensis de Scudalupis opus præ se fert non levem in his sacris experientiam, sed ex qvâ nihil adeo hodie proficies, ita Parentis experimenta castravit filius, successor imperitus, de qvo disertiùs scribit celeberrimi *Dan. Georg. Morhofii Polyhistor. G. Clauderus methodum conficiendæ Tincturæ Universalis* non ita pridem scripto

pto consignavit, docto qvidem illo, & candido, sed cùm certam argillæ speciem pro genuino Magisterii subjecto agnoscat, mentem tabulæ Smaragdinæ non satis liqvidò assecutus esse videtur. Nisi forsan credere oporteat, Virum celeberrimum magis adeo ita scripsisse, ut peritorum experiretur judicia, qvàm ut in eam se constanter ingredi sententiam testaretur. Ad summam, qvicqvid ex istiusmodi argillis (qvarum non paucas ad examen vocavi) exprimitur, vel fugax est in igne, vel cadaveris instar metallis fusis non permiscetur, sed obiter tantùm incumbit, qvod contra ingenium veri subjecti esse qvivis animadvertit.

LXXIX.

Magni Philosophorum Arcani Revelator nuper adeò Genevæ in hanc scenam prodiit; sed pauca ita revelat, ut lectori veritatis avido usui, aut luci esse possint; qvin & habet aliqvid rhapsodiæ simile, unde lectionem ejus tyroni puto infrugiferam. *Icon Philosophiæ Claudij Germain* novo instituto ad Mercurium Arsenici, tanqvam sacram anchoram confugit, illo in subjecto certú Artis magnæ principium latere existimans. Nobis autem iste arsenici Mercurius (qvi non difficulter elicitur) nihilo generosior est vulgari, qvicqvid etiam de Imp. Caligulæ experimento tradat *Plinius*. Etsi seriò ita arbitratur *Cl. Germain*, cur non perstitit in Opere, etiam à morte Reginæ Poloniæ? [cui manum in operando locaverat] sed nimirum arsenicum & Sibyllæ, & Antiqvorum aliorum, designat non fugax illud minerale, sed ἀρσενικὸν ἓν, hoc est, masculum qviddã, qvod Mercurium sive vulgi, sive corporum cogat in obsequium.

LXXX.

In infinitum propemodum excurreret dissertatio, si vel ad omnes, qvi secreta ejusmodi pollicentur, se se diffunderet, vel unà iatro-Chemicos, *Hartmannum*, *Crollium*, *Libavium*, *Schröderum*, *Beqvinum*, *Glauberum Minsichtum*, *Zwelferum*, *Rolfincium*, *Glaserum*, *Feburium*, &c. complecteretur: qvorum industriam, ut in suâ palæstrâ laudabilem meritò commendamus, sed unà putamus, hos omnes plus temporis collocâsse in extorqvendis naturæ per violentiam suis dotibus, qvàm in genuina ejus virtute modestè & svaviter eliciendâ. Unde satis appositè *Sendivogius*: *Si hodie*, inqvit

revi-

revivisceret ipse Philosophorum Pater Hermes, & subtilis ingenij Geber, cum profundissimo Raymundo Lullio, non pro Philosophis, sed potiùs pro discipulis à nostris Chemistis haberentur; nescirent tot hodie usitatas destillationes, tot circulationes, tot calcinationes, & tot alia innumerabilia Artistarum opera, quæ ex ipsorum scriptis hujus seculi homines invenerunt, & excogitârunt. Unicum tantùm nobis deest, ut id sciamus, quòd ipsi fecerunt, Lapidem scilicet Philosophorum, seu Tincturam Physicam.

LXXXI.

Coronidis loco id unum nunc reliquũ est, ut qvibus peculiaris Numinis æterni providentia Dianam hanc nudam spectare dedit, peculiari etiam sanctimoniâ vitæ cæteris mortalibus præluceant, memores dirarum Philosophicarũ, si cuiqvam indigno Eleusinia hæc sacra aperiant. Audiatur *Rosarium Philosophorum*: *Qvi revelat*, inqvit, *secretũ Artis, maledicetur, & morietur apoplexiâ*. Nec mitior *Lullius* in practicâ: *Sub anathematis pœnâ*, inqvit, *prohiberis, ne alicui discooperias, nam à Deo maledictus est, qvi discooperit. Et ideo Philosophi sic celaverunt, &, Deo dante, celabunt futuris temporibus.* Iterum *Lullius* in *Testamento novissimo*: *Nè thesaurum*, inqvit, *indignis dispergas, nè Deus judicium à te deposcat.* Tandem & *Idem* in *Theoriâ*: *juro tibi*, inqvit, *supra animam meam, qvòd si ea reveles, damnatus es, nam à Deo procedit, & ei debetur.* Eodem modo fulminat *Aqvarium Sapientum*: *Si*, inqvit, *cuiqvam indigno, aut impio Arcanum revelaveris, æternæ salutis facies jacturam.*

Tantum.

OLAI BORRICHII
DE
USU PLANTARUM,
INDIGENARUM IN MEDICINA,
ET SUB FINEM,
DE
CLYSSO PLANTARUM, & THEE specifico,
ENCHIRIDION.

HAFNIÆ,
Literis & Impensis *Joh. Phil. Bockenhoffer*,
Reg. Maj. & Acad. Typogr. Anno 1690.

Florentissimæ

In

Regiâ Hafnienſi Academiá juventuti, aliisqve ſaluti hominum natis ſalvere, & rem bene gerere.

EX qvo, inter cætera ôficij munia, ad Floræ noſtratis divitias, delitiasqve aditum Vobis jam diu patefeci, non viſum fuit operæ, inani nomenclaturæ diverſæ herbarum ſtrepitu, aut, niſi in pompam, infrugiferis peregrini orbis germinibus plerisqve memoriam Veſtram fatigare; ſed uno, aut altero contentus nomine familiariori, ad uſum, & fructum in medendo direxi omnia, vires plantarum in excurſionibus partim botanicis, ſubjecto oculis germine ipſo, aperiens, partim ſcripto ex cathedrâ Academicâ uberiùs explanans: ſatis gnarus, plures Veſtri ordinis ad Divina pleniori impetu, qvàm ad Hippocratis, Theophraſti Ereſij, aut Dioſcoridis aſpirare oracula. Nunc ut ef-

 ficaci-

ficaciùs, qvod mihi polliceor, qveam prodeſſe tum Artis ſaluberrimæ Candidatis, tum qvoqve iis, qvi apud nos ſacris operantur ſtudiis, & mecum toties in campum hunc vel deſcenderunt potitores, vel poſthac, ſi gravior jam ætas patiatur, deſcendent, ſcriptum hoc elucubravi, mole qvidem minutum, ſed forſan non inutile futurum illis, qvi vel ſibi olim, vel amicis, vel egenis, & hîc, & in mediterraneis qvoqve Cimbrorum, in remotis Norvvegiæ, Islandiæqve (ubi vix nomen Medici cognitius eſt, qvàm Pelopidarum) in illo vitæ triſtioris articulo opitulari deſiderabunt, & hac qvoqve viâ partibus ſinceræ charitatis defungi. Qvot enim ægri in agris, in littoribus, in rupium, ſylvarumqve aviis infeliciter pereunt, non tam defectu plantarum, qvas paſſim tellus, mater benigniſſima ſuppeditat, Indorum, Afrorumqve exoticis ſalubriores, ſed aſtantium ſæpe, amicorumqve ignorantiâ; qvam poſt hac ut paullatim etiam hac parte emendent, qvi è ſinu noſtro iſtuc, ut animarum Curatores proficiſcentur, per genium Chriſtianismi oro, obteſtor. Non poſſunt utiqve ſine incommodo, ſine pretio de afflictis mereri præclariùs, qvàm peractis ſacri muneris officiis,

hujus,

hujus, illius, istius plantæ, malo, convenientis, aperire usum, atqve ita duplici nomine, tam inemptâ scientiâ tot sibi ægrotos devincire. Præivit viam licet Diviniori methodo Salvator Christus, & animæ, & corporis, qvoties libuit, cœlestissimus Machaon; sed & hunc titulum exuere detrectavit Divus Lucas, etiam cùm totus amore cœlestium ad genua Apostoli Pauli arderet, liqvesceret.

Verùm, ut in instituto pergatur, non fuit consilium, scriptum hoc vernaculâ consignare lingvâ, id qvod videri potest desiderâsse patria; qvippe propter idiomatum in plantarum nomine definiendo varietatem, non conveniunt sæpe cum mediterraneis maritimi, cum insulis insulæ distantiores; cui malo occurritur latinâ, qvam Auditores nostri per remotissima qvoqve septentrionis sparsi facilè reddent populariter, & ægris astantibusqve ostendendo, intelligenter. Video autem hîc non defuturos, qvi glaciem hanc ab aliis fractam censebunt; qvibus ut neutiqvam adversor, ita certiorem ab hoc opusculo fructum audeo pæne Lectoribus spondere, cùm nec, ut Scriptores botanici, singulis plantis suas proximè hîc subjiciam virtutes, sed singulis morbis

plantas ſuas, ut non neceſſe ſit, ægrum per omnia ſcrutando volutari, ſed in morbo, qvo premitur, ſubitum inveniat ſubſidium. Accedit (& id palmarium eſt) qvòd ſine delectu, ſine varietate ſymptomatum, ſine normâ medendi in hoc argumento verſentur illi, atqve adeo id, qvòd non rarò noxium eſt, in hoc, aut illo affectu improvidè commendent. Exemplum nobis miniſtabit *diarrhoea*, aut *dyſenteria*, in qvâ, ſine exceptione, laudant tormentillæ, pentaphylli, gladioli lutei radices, qvas æger ſanitatis avidus ſi ſtomacho inconſultè objecerit, adeo non tollent illæ morbum, ut tollant potiùs ægrum, qvòd ſine prævio levi cathartico vitioſos humores adſtringendo reddant ferociores. Sic in *cephalalgiâ* in unum vulgò conjiciuntur faſciculum, qvæ diverſiſſima operantur, adeoqve ægri, non intellectâ medendi ratione, cauſæ calidæ qvandoqve per imprudentiam opponunt calefactantia, frigidæ frigorifica, diſcrimine manifeſto. Neqve tamen laude ſuâ fraudandi Botanici, ut qvi proſeqvuntur inſtitutum ſibi iter; ſpargunt paſſim mella, qvæ colligant alij, & in favos, cellasqve juſtâ methodo digerant, & circumſpectè partiantur.

Mihi

Mihi autem præcipè hîc propositum fuit, largam ex Botanicis, Medicis, propriisqve tot annorum experimentis segetem indigenarum plantarum in diversas veluti sanitatis procurandæ classes distribuere, & levi, qvod dicitur, brachio medendi qvoqve attingere leges, ut, qvemadmodum in parvâ tabellâ Orbis terrarum repræsentari solet non inutiliter, ita in brevi hoc compendio totum illud, & vastum Medicinæ latifundium uno velut intuitu conspiciatur, in ægrorum, & præcipuè, egenorum solatium; nam divitibus, qvicqvit Arabs, & Indus metit, nascitur; hi ubi pressiùs investigârunt vernaculæ telluris opes, recognoscent noviſſimè, non novercam hîc esse patriam terram, sed posse cum Ægypto, si pauciſſima exceperis, suis contentam bonis edurare. Valete, Hafniæ die XV. Novembr. Anni M.DC.LXXXVII.

De usu plantarum indigenarum in MEDICINA.

Febri non immeritò ducitur exordium, ut â malo corporis universali, & totum sangvinem, omnesqve artus perambulante. Est autem *febris* insigniter turbata sangvinis mistio, qvam receptæ in eum particulæ heterogeneæ variè inducunt, unde variæ febres oriuntur impetu, intervallis, violentiâ diversæ, ex qvibus usitatiores hîc, pro ratione instituti, brevissimè attinguntur, subjectis ex plantarum indigenarum familiâ remediis.

In *tertianâ intermittente exqvisitâ* (qvæ alternis stato tempore diebus affligit, & tertiana duntaxat vocatur inclusivè, oriturqve præcipuè à bile in tubulis hepaticis & chyliferis stagnante, eoqve vitiatâ, atqve in sangvinem demum admissâ) convenit initio *emeticum*, seu vomitorium ex *radice*, aut foliis asari, *succo* sedi vermicularis, & fumariæ, *acinis* baccarum sambuci, *cortice* frangulæ. Deinde, horâ ante paroxysmum unâ *diaphoreticum* seu sudoriferum, ex infuso *radicis* taraxici, cichorij, gentianæ, lappæ flavæ; *herbæ* agrimoniæ, fumariæ, genistæ, centaurij minoris, carduibenedicti, eqvisæti, anserinæ, & inprimis chamæmeli vulgaris; *seminis* urticæ urentis, *roh* sambuci,

buci. Qvibus accedat, si libet, aliqvid salis lixivi absinthij, carduibenedicti, centaurij minoris, ut sudor eliciatur potentiùs, & vasa obstructa aperiantur. Inter symptomata *sitis* mitigatur *aquâ* acetosæ, acetosellæ, oxytriphylli, lactucæ hortensis, cyani; *decocto* hordei, fragorum, cerasorum acidorum, *succo* pomor. acidulorum. Lingvæ siccitatem lenit *folium* sedi maj. impositum, aut succus ejusdem aqvæ rosarum permistus. Pedibus æstuantibus subjicitur *cataplasma* ex centumnodio, lenticulâ palustri, sedo majori, alsine. Ad carpos *epithema* ex floribus pulsatillæ, aut foliis ranunculi flammulæ, excitatâ vesicâ, & sero inde prodeunte sæpe solvit morbum. In *tertiana spuriâ* (qvæ stato tempore non redit, sed sæpius anticipat, & paroxysmum ultra horas XII. producit, turbati sunt præter bilem & alij humores) eadem fere prosunt remedia, & freqventandus *succi* vel *infusi* fumariæ, gentianæ, absinthij, cichorij, taraxici chamæmeli usus etiam extra paroxysmos. Missio sangvinis circa principia morbi toleratur, si adest plethora, & circa finem purgatia, ut excludatur recidiva.

Sitis.

In *qvotidianâ intermittente* (qvæ stato tempore qvotidiè affligit, oriturqve præcipuè à pituitâ in ductibus glandularum ventriculi, pancreatis, vasorum chyliferorum vitiatâ, & tandem infusâ sangvini) vomitorium convenit ex iis, qvæ ante allata, vel ex *cortice* radicis esulæ maj. ex *foliis* primis sambuci adhuc in se involutis, ex *baccis* rhamni cathartici, *julis* juglandium. Postea utile est infusum fumariæ, absinthij vulg. lupi salictarij, genistæ, car-

dui tomentosi, cardui sphærocephali, chamæmeli nostratis, unde simul *diaphoretica* fiunt, si calidè horâ unâ ante paroxysmum assumantur. Atqve ut hîc sudor exprimatur abundantior, prodest major vis salis lixivi carduibenedicti, fraxini, ut nimirum ad Scrup. ij. propinetur. Pedibus supponatur raphani minoris radix. Si *non affligit* stato tempore, spuria est, & potiùs *tertiana duplex* appellanda, qvæ iisdem ferè præsidiis tollitur, qvibus tertiana simplex spuria.

In *qvartanâ intermittente exqvisitâ* (qvæ tertio qvoqve die recurrit, qvarto inclusivè, oriturqve ab humore præcipuè acido, in ventriculi glandulis, pancreate, mesenterio, vasis capillaribus mesaraicis vitiato, & postea sangvini permisto) convenit initio *emeticum*, & qvidem ex *infuso* radicis hellebori nigri, rad. polypodij, asari, *succo* sedi vermicularis, si qvidem hæret adhuc in primis viis. *Si invaluit*, aperientibus, & acidum enervantibus opus est, ut radice angelicæ, filicis maris, gentianæ, acori; *herbâ* ceterach, scolopendriæ, fumariæ, *floribus* centaurij minoris, hyperici; *cortice* fraxini, *visco* oxyacanthæ, *jusculo* raporum subacrium; præcipuè radice imperatoriæ, & oleo rutæ, *Bovvlæus* Anglus & radicem cicutæ laudat, sed ibi cauto opus. Fracto jam pæne malo, etiam in paroxysmo conveniunt ex helleboro nigro, & radice polypodij cathartica. Ex laudatis plantis vel infusa parentur, vel decocta, vel extracta vel salia lixiva, pro arbitrio. *Si exqvisita non est*, ferè ut tertiana spuria curatur.

In *semitertianâ*, seu *hemitritæo legitimo* (ubi qvotidiana con-

continua, & intermittens tertiana miſcentur; apparet eſſe continua, ſed alternis diebus cum rigore & horore infeſtat. Diverſi hi humores è diverſis prodeunt latibulis, & fermenta ſua remiſcent ſangvini) id agendum, qvantum vires ferunt, ut tertiana primùm juguletur; id qvod poſt leve emeticum præſtabit ſuccus cichorij, fumariæ, taraxici cum cremore tartari *præparando; infuſum* carduibenedicti, & centaurij minoris *ſudorem exprimendo;* qvorum & ſalia eſſentialia, & lixiva hîc locum habent. Ceſſante tandem morbo, purgandum metu recidivæ. *Si horror non redit* alternis diebus, *ſpuria eſt*, & more qvotidianæ tractanda.

In *hecticâ febri legitimâ* (qvæ mitis qvidem apparet, ſed periculoſa eſt, ipſisqve partibus corporis ſolidis, etiam oſſibus, medullisqve pertinaciter inhæret, & tempore diſtributionis alimentorum evadit tandem conſpectior; naſcitur ex ulcere pulmonis, aut alterius partis notabilis, & corpus paulatim ad maciem redigit, nares reddit acutas, cutim aridam, & contractam) humectantia & leniter refrigerantia reqvirùntur. Sed ante omnia, *ad cacochymiam minuendam* convenit initiò ſerum lactis, cui *radix* graminis, aſparagi, cichorij incocta eſt. Pòſt *ad temperandam humorum ex ulcere purulento acrimoniam*, *cremor* hordei, avenæ; ſerum lactis *herbâ* ſpinachiæ, endiviæ, lactucæ, marrubii albi; *floribus* prunellæ, borraginis, bugloſſæ, violarum, althææ, nymphææ albæ, papaveris rhoeados, echij Alcibiadei temperatum; *emulſio* ex ſem. cucum. cucurb. melon. papav. alb. Tandem

absterso ulcere, humor radicalis deperditus restituitur, & cicatrix inducitur *infuso* (in lacte recenti) musci terrestris, & præcipuè saxatilis flavi, item pingviculæ Clusti, & tandem florum, atqve radicis symphyti majoris. Qvod si calor tantillum augeatur ab usu *infusi* lactis, serum ejus substituendum. *Si hectica spuria est*, (qvæ jam ab ulcere partis alicujus ignobilis, jam ab obstructionibus arteriolarum capillarium, vel vasorum chyliferorum oriri solet) sæpius utendum aperientibus, *radice* cichorij, helenij, taraxici, asparagi, graminis, *herbâ* cuscutæ, genistæ, scolopendriæ, *cortice* fraxini; qvibus subinde aliqvid rhabarbari adjiciatur; pòst ad superius annotata veniendum.

In *febri malignâ* (qvæ continua est, & veneficæ naturæ, cum insigni & plerumqve subitâ virium dejectione, pulsu frequenti, urinâ sæpe sanorum simili, calore mitiori, qvàm pro morbi violentiâ, subinde & in cute maculis, contagium non rarò spargens in adstantes; causam agnoscit subtiliùs, eoqve nocentiùs turbatam misturam sangvinis ab excitatiori, &, ut ita loqvar, spirituosiori putredine jam in corpore ex obstructionibus natâ, jam alimentorum, aqvæ & aëris vitio nitroductâ) post missionem sangvinis ante qvartum diem celebratam, itur ad alexipharmaca, qvæ sudorem moderatum, sed eò freqventiùs eliciant, in qvibus est *radix* morsûs Diaboli, bardanæ, scorzoneræ Hisp. vincetoxici, gentianæ, rhabarbari monachorum, petasiditis, bistortæ, fæniculi, carduorum pæne omnium, tormentillæ, pentaphylli; *herba* scor-

scordij, alliariæ, scabiosæ, olsenichij, rutæ, pimpinellæ sangvisorbæ; *florũ* rosarum rubr. bugloss æ, borraginis, violarum, ulmariæ; *fructus* rubi idæi, cerasorum nigrorum, unde fiant decocta, infusa, aqvæ stillatitiæ, qvibus subinde addatur saporis, & sitis gratiâ, aliquid aceti rosacei, rutacei, calendulati, qvo & pulsus & nares, & tempora subinde irrorentur. *Alioqvin sitim hic restinguit*, aqva carduibenedicti, acetosæ, acetosellæ, cerasorum acidorum, & florum eorundem, succo pomorum acidulorum redolentium imbuta; *decoctum hordei* radice scorzoneræ Hisp. bardanæ, & fæniculi prægnans; *serum lactis* clarum foliis acetosellæ, floribus borraginis & bugloss æ, succo citri, aut rubi idæi medicatum.

In *pestilentiâ* [quæ malignarum febrium violentissima est, & summus febris veneficæ gradus, in quo præter alia tristia symptomata accedunt parotides ad aures, carbunculi, seu anthraces sub axillis, & bubones, ut alibi, ita præsertim in ingvinibus] laudatur, ad sudores ciendos, infusum *radicis* angelicæ, petasitidis, acori, gentianæ, bardanæ, morsûs Diaboli, scabiosæ, pastinacæ agrariæ, imperatoriæ, pimpinellæ saxifragæ, tormentillæ, vincetoxici, ulmariæ, valerianæ, levistici, helenij; *herbæ* scordij, carduibenedicti, rutæ, galegæ, thalictri, veronicæ; *pulveres* baccarum hederæ arboreæ, baccarum herbæ Paris, & juniperi; *succus* fl. calendulæ, cæpæ; rob sambuci, juniperi aceto rutaceo permistum. Inter omnia nihil efficaciùs agit succo scordij, calendulæ, rutæ &c. dummodo aceto excipiatur, bibaturqve calidè, seqvente largo su-

dore, sed ad extremum, fœtido. Angli hodie laudant
„ radicem asari Virginiani, nec frustra; sed qvod nonnulli
„ eorum hîc etiam commendent radicem cicutæ, id est,
quod securiora desiderat experimenta. Sitis castigatur
iisdem, qvibus maligna simplex; inter amuleta referunt
colchici radicem. Si *bubo* pestilens, aut *carbunculus*, aut
parotis retrocedit, aut recusat maturari, imponatur cæpa
„ in cineribus cocta, & pulvere scordij farcta, addito fimi
„ columbini momento; vel imponatur eidem ex fuligine,
ficu, & sinapi emplastrum. Si hoc nondum satisfacit,
aperiatur locus tumens butyro Antimonij liqvido, & po-
stea cucurbitulis extrahatur venenum.

In *variolis* (qvæ tubercula sunt, seu pustulæ cum ichore pu-
rulento in summâ cute, partibusqve ei vicinis, quibus fe-
bris continua maligna accedit, nobis Smaapocken;
causam reddunt, impuritatem sangvinis materni, vel la-
ctis nutricis, vel deniqve effluvia aëris heterogenea) ob-
stinatas papulas, & prodire reluctantes expellit *infusum*,
seminis aqvilegiæ, napi, nasturtij hortensis, raporum al-
borum, fæniculi; item *infusum herbæ* scordij, carduibe-
nedicti, scabiosæ; *florum* calendulæ, buglossæ, violæ tri-
coloris; *radicis* harundinis phragmitæ, *succus* urticæ
urentis, & deniqve sal subflavus fraxini. *Si nimiùm ebul-
liunt humores*, mittendus parcè sangvis ante eruptionem,
pòst neqvaqvam, nè retrocedant. Ante omnia, non co-
„ gendus æger stragulis nimiùm calentibus, aut pharmacis
„ fervidioribus, ut subitò proruant, nè ex benignis, & *sepa-*
„ *ratis* evadant *confluentes*. Ubi prodiere, calor tempera-

tus

tus efficit, ut sensim maturentur, siccescant, decidant.

In *morbillis* [qvi nobis Meßlinger / etiam ex genere malignarum sunt febrium, & ubi erupere, cutim tantùm maculis, aliqvando furfuribus exasperant] qvòd easdem propemodum agnoscant causas, qvas variolæ, eadem conducunt remedia, nisi qvòd ad plenam eorundem expulsionem, præ cæteris commendetur ~~infusum radicis petasitidis~~.

In *Causo* (id est febri ardentissimâ, & siti propemodum inextingvibili, sed nullis comitatâ symptomatibus diris; cujus causa abundantia sangvinis, juvenilis ætas, meri potio liberalis, exercitia violenta) præter necessariam sangvinis missionem etiam iteratam, & vomitum, si natura eò propendet, beneficio radicis asari, malum placat serum lactis succo acetosæ, acetosellæ, fragorum liberaliter imbutum: idem sperandum ab aqvâ endiviæ, lactucæ, cichorij; idem cremore hordei, sive ptisanâ succo rubi idæi, berberum, aut myrtillorum perfusâ.

In *febri lipyriâ* (ubi interiora ardent, frigidis exterioribus, pulsû parvo, formicante, oppresso; qvòd ab acido hostili sangvis velut in grumos abeat, stagnetqve in vasis majoribus, in minora ægrè penetret) agendum præcipue alexipharmacis diaphoreticis, *infusa* rad. angelicæ, petasitidis, morsûs Diaboli, & iis, qvæ sangvinem reddunt subtiliorem, unde præcipuè locum hîc habent salia volatilia plantarum alexipharmaca, more Wedeliano præparata, ex carduobenedicto, scordio, rutâ, aliis; item sal volatile su-

le fuliginis, Cornu Cervi, urinæ. Conveniunt & frictiones universales ex linteo asperiori, & mox inunctiones ex aquâ juniperi, scordij, oleo anethi.

In *febri amatoriâ*, sive *icteritiâ albâ* (qvæ virgines quandoqve infestat; erratica illa est cum pallore & langvore conjuncta; oritur ex mœrore, desperatione conjugij &c. unde sangvis paullatim acescit stagnando, menses sistuntur, succedunt uterini affectus, absurdæ imaginationes, adeo ut non rarò excantatæ videantur) potentissimè juvat conjugium; cujus spes si decollet, agendum aperientibus ex *rad.* hellebori nigri, bryoniæ aristolochiæ rotundæ, *herbâ* matricariæ, artemisiæ rubræ, aliisqve antihystericis, & tandem chalybe. Inter plantas hic nihil efficacius essentiâ fl. hyperici, aut infuso ejus.

In *febri catarrhali* (qvæ cùm vehementibus capitis, pulmonum & mesenterij affectibus solet qvandoque supervenire, vitio pituitæ in sangvinem copiosè irrumpentis) agendum per epicrasin pituitam incidentibus, & expurgantibus, de qvibus alibi, qvâ sublatâ tollitur febris, cùm symptomatica tantùm sit. Est autem symptomatica febris symptoma ratione morbi præcedentis, morbus ratione actionum, qvas lædit.

In *febri lumbricali*, seu *vermiculari* (qvæ qvotidiana esse solet, & à pituitâ vitiatâ oriri; licet aliqvando biliosos qvoqve infestet, nam & in iis qvandoqve pituita vitiatur, causa mali non sunt vermes, sed signum; designant enim præsentem humoris putredinem, à qvâ & ipsi producti; nec enim ubi vermes, ibi statim & febris. Potest tamen

ali-

aliquando febris hæc à vermibus oriri, non tamen viventibus, sed putrescentibus à morte) eadem conveniunt, qvæ in *qvotidiana* intermittente, nisi qvòd ea qvoqve admiscenda, qvæ adversantur lumbricis, de qvibus suo loco.

In *febri epialâ*, sive *algidâ* (ubi æger simul horrorem, frigus, & calorem sed mitem sentit, & id qvidem ad finem usqve paroxysmi. Causa ejus, vitiata pituita tenax, sive vitrea, qvæ sensim ingeritur sangvini, & inæqvaliter: refertur inter *continuas*, qvia sincerum intervallum non agnoscit) convenit initiò *vomitorium* ex cortice radicis esulæ majoris, acinis baccarum sambuci, radice polypodii; hinc *extractum* absinthii vulg. centaurii minoris, fumariæ, chamœmeli nostratis; item *sal* fraxini, genistæ, cichorii; deniqve leve *catharticum*, & id qvidem, si necesse est, iterandum.

In *febre salivativâ* (ubi æger plurimum sudat, plurimum per alvum & vesicam egerit, & manifestè emaciatur; oritur malum ab ulcere in aliqvâ parte visceris alicujus delitescente, & præsagit affuturam brevi vel hecticam, vel phthisin, nisi caveatur) agendum initiò emulsionibus ex semine cucumeris, cucurbitæ, melonum, papaveris albi cum sero lactis; hinc mitigato sudore vertenda cura ad ulcus illud intestinum abstergendum, & consolidandum, de qvo uberiùs, ubi de *hectica*, & *phthisi* agitur.

In *synocho putridâ* (sive febri æqvaliter sine intermissione à principio ad finem affligente, sed moderatiùs; qvam veteres à putredine sangvinis serosi, in venâ cavâ stagnantis deducunt; sed ægerrimè concipitur, qvomodo sangvis in magnis vivi corporis vasis qveat putrescere; unde

credibilius est, materiam fermentantem & vitiatam alicubi in mesenterio hærere, atque inde continuo lapsu, pro rata parte, in venas recipi, ibiqve turbas movere) post largam venæsectionem prosunt sudorifera, qvæ serum illud putre per corporis poros exigant; inter qvæ „ laudatur sal centaurii minoris, alkekengi, chamæmeli „ nostr. ononidis ad scrup.ij. in aqvâ petroselini, cuscutæ, „ rubi idæi. Freqventetur & usus Julapii ex aqvâ lactucæ, endiviæ, portulacæ, acetosæ, nymphææ albæ, succo pomorum acidulorum cum syrupo de rubo idæo. Cessante morbo, instituatur semel atque iterum lenis purgatio, qvæ recidivam excludat. Robur postea nativum accedit, ex freqventi vsu *conservæ* rosarum rubrarum, buglossæ, borraginis, violarum &c.

Synochus non putrida, sive ephemera plurium dierum, (nam ephemera simplex unius diei tantùm est, eoque sponte cessare consvevit spiritibus abstinentiâ pacatis) cùm malum hæreat præcipuè in spiritibus, sive subtilissimâ parte sangvinis, solet missione sangvinis & diætâ refrigerante atque humectante sopiri. Profuerit & usus seri lactis endiviâ, acetosella, lactucâ, succo pomorum acidulorum redolentium temperati. Accedat balneum aqvæ dulcis tepidum.

Numerantur & aliæ febres cum singultu, spasmo, syncope, aliisqve symptomatis conjunctæ; qvarum sublatis causis tollitur effectus. Sed jam ad morbos capitis &c.

In *intemperie cerebri, qvæ oritur à flatibus*, post leve catharticum, insistendum carminantibus, radice levistici, herbâ veronicæ, floribus chamæmeli nostratis, seminibus cari, anethi, levistici; *si oritur à sangvinis nimiâ abundantiâ*, confert,

confert, post missionem sangvinis, diæta tenuis, hæmorrhoidum apertio, acidorum usus; *si à bile*, diæta refrigerans & humectans, *infusum* radicis cichorii, taraxici, fumariæ, cuscutæ, acetosellæ, *serum* lactis tamarindinatum, aut temperatum succo pomorum acidorum; *si à pituitâ*, post unam aut alteram evacuationem, decoctum corticis fraxini, tamarisci, radicum capparum, rad. chinæ, ligni gvajaci & sassafras. Potenter etiam incidunt & attenuant pituitam salia carduibenedicti, chamæmeli, chelidonii maj. subflava; *si à nimiâ seri copiâ*, juvant diuretica, radix levistici, petroselini, semen daveì, pastinacæ agrestis, & præsertim *sal* genistæ, ononidis, juniperi, qvæ & potenter expellunt urinam, & diaphoretica sunt in aqvâ carduibenedicti, fæniculi, halicacabi; *si ab humore acido, sive atrâ bile*, nihil præsentius *evacuatione* per extractum hellebori nigri, infusum rad. polypodii, *alteratione* per serum lactis fumariâ, scolopendrio, cuscutâ, filice, rad. cichorii, taraxici, graminis medicatum.

In *cerebri inflammatione*, post missionem sangvinis convenit herba crassulæ, portulacæ, sedi majoris, herba & semen lactucæ, semen papaveris albi, flores nymphææ albæ, flores papaveris rhoeados, item aqva ex iisdem elicita.

In *cephalalgiâ à causâ frigidâ* prodest infusum salviæ, majoranæ, serpilli, buxi, rorismarini, florum lavendulæ; à *calida* infusum lactucæ, portulacæ, acetosellæ, cerasor. nigror. flor. nymphææ albæ, rosarum rubrarum, emulsio seminum cucumeris, cucurbitæ, melonum, papaveris albi; à *pituitâ*, aqva foliorum tabaci naribus excepta, sternutatorium ex flor. liliorum convallium, succus

ſuccus hederæ terreſtris in nares attractus; ab *humore acido* infuſum verbenæ, betonicæ, primulæ veris, fl. ſambuci, & tiliæ, ſeminis carduibenedicti; à *quacunque* radix, flores, & ſemina pæoniæ maris, item infuſum betonicæ, verbenæ, ſalia ex cephalicis plantis volatilia.

In *hydrocephalo, peccantem humorem exſiccat* infuſum radicis angelicæ, pimpinellæ ſaxifragæ, pæoniæ maris tormentillæ; florum fumariæ; ſeminis fraxini, pæoniæ maris, davci.

In *vigiliis nimiis, tumultuantes ſpiritus compeſcit* ſuccus lactucæ ſylveſtris, ſemen papaveris albi, ſemen lactucæ hortenſis, & infuſum ejus, odor & fumus ex herba, & ſemine anethi, infuſum muſci terreſtris, florum nymphææ albæ, florum populi; balneum pedum ex foliis ſalicis & atriplicis, bedegvar capiti ſuppoſitum, ſuccus vermium bedegvar temporibus illitus, ſic & oleum ſtillat. hyoſchyami affrictum; lactuca hortenſis ſub noctem cum aceto comeſa.

In *Comate vigili, ſpiritibus nimiùm agitatis modum imponit* emulſio ex ſemine cucurbitæ, cucumeris, melonum, papaveris albi, cum aqvâ lactucæ, aut portulacæ; tinctura radicum cynogloſſæ, acetum in qvo ſummitates rutæ, flores chamæmeli vulg. & roſarum rubrarum leniter deferbuerunt. Vel ℞. Aqv. lactuc. endiv. portulac. ceraſ. nigror. an. unc.ij, verbenæ unc. iiij, ſyr. fl. pæon. vel nymphææ albæ unc.ß, acet. roſac. Drachm.iij. Doſis unc. iv. Vel bibatur acetum rutaceum dilutius, in qvo ſemen naſturtii hyberni, & herba rutæ permaduerunt

In *Comate ſomnolento, ſive cataphorâ;* item caro, & lethargo, *ſpiritibus à pituitâ oppreſſis viam aperit* infuſum ſcillæ, ſalviæ,

salviæ, rorismarini, thymii, serpilli, betonicæ, hyssopi, melissæ, florum lilior. convall. lavendulæ, tiliæ, radicis hellebori nigri; lingva perfricetur radice pyrethri, & semine sinapeos. Conducit qvoque aqva majoranæ, flor. tiliæ, flor. lilior. convallium.

In *Vertigine, qvando cerebrum primario laborat*, actos in gyrum spiritus placat infusum flor. lilior. convallium, primulæ veris, tiliæ, herbæ majoranæ, auriculæ ursi fl. flavo, rorismarini, *serpilli, melissæ; aqva & spiritus ceraſorum nigrorum, tinctura, & oleum serpilli*; spiritus rosarum rubrarum, liliorum convallium, lavendulæ; *succus chærefolii, & aqva ejusdem, qvæ ter destillavit*, semen urticæ urentis, *semen carvi* & *sinapeos* aceto immaceratum. *Qvando causa mali latet in hypochondriis*, agendum extracto radicis polypodii, herb. scolopendriæ, fumariæ, viscı qverni, seminis pæoniæ maris. Laudantur & apophlegmatismi ex radice pyretri, ptarmicæ, fl. lilior. convall. nigellâ Romanâ.

In *læsione memoriæ, fibras cerebri nimis extensas, madidas, occallescentes in integrum restituit* infusum melissæ, antequam florescat, collectæ, aqva & spiritus liliorum convallium, infusum betonicæ, seminis, & radicis pæoniæ maris. Si *cerebrum siccius est*, proderit interiùs aqva ceraſorum nigrorum, exteriùs foveatur qvandoqve caput decocto fl. malvæ, althææ, betonicæ, nymphææ albæ, rosarum rubrarum.

In *delirio, à temulentiâ* juvat emulsio seminis cucurb. cucumer. papaver. albi, & melonum, item somnus, & missio sangvinis; *à narcoticis* emeticum ex fol. aut radice asari, ex infuso rad. hellebori nigri, brassicæ succo.

Qvin & odor salicis recentis solatur, & pedum balneum ex foliis salicis atqve villis cynosbati. *In vesicio*, salutare habetur infusum flor. hyperici, infusum viſci qverni, & baccarum herbæ Paris.

In *phreneſi, fervorem, acrimoniam, & motum inordinatum ſpirituum compeſcit* (præter freqventem venæſectionem) ptiſana, aqva lactucæ, acetoſæ, acetoſellæ, endiviæ, nymphææ albæ, bugloſſæ, violar. Martiarum; ſerum lactis chalybeitum, velcum ſucco ribium, & nitro præparatum, acetum roſaceum. Aqvam lappæ perſonatæ hîc laudat Prævotius. Nec in malo, ſi invaluit, fugiendus qvandoqve ſuccus ſedi majoris, ſero lactis infuſus.

In *melancholiâ, ſpiritus animales ſubacidos, & obſcuros, qvorum cauſa ab hypochondriis plerumq; oritur*, emendat radix hellebori nigri, radix cichorii, radix ſcorzoneræ Hiſpan. item infuſum fumariæ, cuſcutæ, epithymi, bugloſſæ, meliſſæ, betonicæ, borraginis, primulæ veris, rad. polypodii, corticis med. ſambuci in ſero lactis chalybeito. Convenit & ſpiritus ceraſorum nigrorum; ſal eſſentialis fraxini, hyperici, meliſſæ; ſal volatilis herbarum cephalicarum, rorismarini, lavendulæ, ſalviæ, majoranæ, liliorum convallium, &c.

In *maniâ, vapores melancholicos jam ex fumo velut in flammam erumpentes, & aqvæ forti ferreæ ſcobi infuſæ aliqvatenus ſimiles, adeoq; ſpirituum animalium naturam turbantes* pacant ſenſim illa pharmaca, quæ melancholiæ opponuntur; ſed qvia malum hoc validius, freqventandus hellebori nigri uſus, tum ut per vomitum, tum ut per ſeceſſum agat; & nè longâ uſurpatione operetur tandem ferociùs, radix aceto priùs imbuenda. Inter ſpecifica hîc

hic numeratur infusum agrimoniæ, roris solis, flor. & semin. aqvilegiæ, anagallidis flore phœniceo.

In *hydrophobiâ*, seu *rabie ex morsu furentis animalis*, vulneri mox applicetur allium contusum, & scarificetur locus affectus. Si malum moram ibi contraxit, veniendum ad infusum radicis hellebori nigri, gentianæ, pimpinellæ sangvisorbæ, angelicæ, florum & radicis cynorrhodi, herbæ alyssi Germanorum.

In *tremore corporis, & artuum, vitia nervorum corrigit, spiritus recreat, & flatus dissipat* infusum radicis helenii, foliorum betonicæ, urticæ urentis recentiss. fl. tanaceti, & primulæ veris. Si malum à nimio attactu vivi argenti est, sudetur freqventer, assumpto infuso radicis pimpinellæ saxifragæ. Exteriùs in omni tremore juvat affrictus spiritus hordei, in qvo folia & flores tanaceti, fl. lil. convallium, lavendulæ, & salviæ permaduerunt.

In *paralysi* vel partis unius, vel plurium, *interceptum spirituum cursum restituit* infusum rad. hellebori nigri, rad. iridis nostratis cœruleæ, raphani majoris, angelicæ, valerianæ, liliorum alborum; florum primulæ veris, levcoji lutei, hyperici, lavendulæ; herbæ abrotani, salviæ, ericæ, melissæ, roriſmarini, chamæpityos; seminis angelicæ. Perfricentur exteriùs membra oleis empyrevmaticis fraxini, angelicæ, liliorum convallium, salviæ, & præcipuè ligni colurni; item infuso fol. tabaci in vino malvat. spiritu hordei.

In *spasmo, & convulsione, violentam musculorum versus suum principium retractionem à materiâ atri nervos pungente oriundam* sistit infusum, aqva, & spiritus

serpilli,

serpilli, spiritus tanaceti, lavendulæ, granorum juniperi, verbenæ; qvæ & exterius affricentur; sicut & oleum majoranæ, serpilli, tanaceti.

In *epilepsiâ idiopathicâ* laudatur infusum rad. pæoniæ maris, dentariæ, valerianæ pratensis, imperatoriæ, fraxinellæ, filipendulæ, saponariæ; herbæ millefolii, melissæ, rutæ crucigeræ, sambuci salignæ, origani, hormini, roris solis, visci qverni, & colurni, baccarum herbæ Paris, florum calendulæ, tiliæ, buglossæ, cerasorum nigrorum, seminis pæoniæ maris. Item spiritus liliorum convallium, cerasorum nigrorum, tanaceti, thymi, florum calendulæ. In *sympathicâ, cujus causa ab inferioribus membris producitur*, radix hellebori nigri, ejusque extractum, infusum herbæ glycypicri cum stipitibus, scolopendriæ, radicis bryoniæ, pæoniæ maris. Pueris in paroxysmo inflandus in fauces tabaci fumus, ut ad vomendum stimulentur. Adultioribus in paroxysmo, per os violenter diductum, ingerendum erit oleum rutæ, & naribus inflandus florum lil. convallium pulvis.

In *apoplexiâ, ut nervi obstructi aperiantur*, statim à missione sangvinis propinandum radicis, aut foliorum asari infusum; & postquam materia peccans vomitu nonnihil excreta est, ingerendus sp. lilior. convallium, foliorum tabaci, rorismarini, cerasorum nigrorum, lavendulæ cum aqva apoplecticâ dilutiori, aut fl. tiliæ. Si moram res patitur, veniri qvoqve potest ad infusum radicis hellebori nigri, imperatoriæ, herbæ betonicæ, majoranæ, salviæ; florum levcoji lutei, tiliæ, hyperici; seminis sinapeos, crucæ, imperatoriæ. Oleum still. ligni colurni hic etiam commendatur. Qvin & pulvis errhinus paretur ex flor.

liliorum

liliorum convallium, & tantillo radicis pyretri. Si malum permittit inducias, curatur ut paralysis.

In *incubo* seu *ephialte*, asthma illud nocturnum, quod quandoque epilepsiæ præludium est, expeditur emetico ex radice, aut foliis asari; item ex rad. hellebori nigri; postea curatur iis pharmacis, quæ epilepsiæ medentur; item spiritu fuliginis in aqua cari, lavendulæ, fæniculi.

In *catarrho*, serum vitiosum, & pituitam ex glandulis capitis in nares, & fauces descendentem educit cortex radicis esulæ majoris, radix bryoniæ, frangulæ, succus cæparum, iridis nostratis, & raphani majoris in aqv. rutæ. Quòd si *crassum* est id, quod excernitur; dicta jam pharmaca prosunt, ut & infusum hyssopi, serpilli, lavendulæ, sideritidis purpureæ, corticis fraxini, veronicæ. Si *tenuius, & sero simile*, præstat infusum florum papaveris albi, seminisque ejus, item radicis althææ, caryophyllatæ, cynoglossæ. In *utroque*, si nimis invalescit, fiat errhinum ex aquâ majoranæ, chæmæpityos, liliorum convallium, hormini, folior. tabaci, cum succo betæ rubræ. Si *suffocativus est* & præ respirandi difficultate minatur mortem, ingeratur statim syrupus frangulæ eâ copiâ, ut vomitum cieat: accedat infusum asari, aut corticum interiorum sambuci, item foliorum scillæ, aut cæparum.

In *debilitate visus*, tunicas oculorum, spiritus, nervos opticos firmat vinum radice helenii, chelidonii majoris, & valerianæ temperatum. Fit & pulvis ex semine fæniculi, petroselini, sileris montani, anethi; & ex iisdem, si placet, infusum. Oculis instillatur aqua cyani, hieracei, consolidæ regalis, fæniculi, lysimachiæ cœruleæ, cichorii, fumariæ, sambuci, dentis leonis, radicis helenii.

Quibus in hoc malo *pituita* quoque molesta est, utantur infuso florum evphragiæ albæ, & sale volatili radicis helenij, unde vinum evphragiâ prægnans, atque helenii radice, senibus utile est.

In *ophthalmiâ*, sanguinem in tunicam adnatam effusum, ferventemque imminuit venæsectio liberalior; & postea inflammationem mitigat epithema ex aquâ flor. cichorii, rosarum, echii Alcibiadei, sambuci, cyani, linariæ, aparines, chelidonii majoris, ex mucilagine seminis cydoniorum. Farina erucæ occipiti imponenda.

In *cataractâ*, seu albugine, nobis Hvide star/ quoties pituita nondum in tunicam, sed nebulam tantùm coaluit, post universalia utendum est radice chelidonii majoris, valerianæ majoris, semine fæniculi, floribus evphragiæ albæ; item infuso florum cyani, consolidæ Regalis, herbæ lactucæ sylvestris. In oculos instilletur succus foliorum chelidonii majoris, aqua, quæ in foliis dipsaci colligitur, liquor vesicularum ulmi, aqua florum roriſmarini, aut radicis caryophyllatæ.

In *guttâ serena*, quæ nobis forte Star / si nervus opticus planè induruit, & cavus esse desiit, frustra speratur auxilium, licet oculus ipse appareat saniſſimus; si autem radiorum aliquid adhuc transit, tentanda fortuna est (post universalia) *infuso* radicis valerianæ majoris, chelidonii majoris, florum euphragiæ albæ, *salibus volatilibus* plantarum earundem, *sternutatoriis* ex foliis tabaci, majoranæ, floribus evphragiæ albæ, semine fœniculi.

In *suffusione*, obstructio circa pupillam nata ab humore lento, pòst universalia, tollitur aquâ fæniculi radici gentianæ affusâ, & oculis instillatâ; item aquâ verbenæ, lysimachiæ

simachiæ cœruleæ, anagallidis flore phœniceo, florum convolvuli, cyani, levcoji bulbosi, hyssopi, foliorum dipsaci.

In *surditate* nondum confirmatâ, nervo auditorio tantùm obstructo, non coalito, insistendum aperientibus: instilletur in aures aqua generosa carduibenedicti, succus cæparum cum spiritu vini, succus raphani maj. oleum rutæ, in quo vermes ligni querni macerati sunt, oleum amygdalarum amararum expressum, succus vincæ pervincæ, oleum carvi, oleum siliginis, tinctura flor. lavendulæ, rorismarini, betonicæ, majoranæ, vincæ pervincæ. Sunt & qui ex rad. raphani maj. turundam formant, auri immittendam.

In *tinnitu aurium*, si *à flatu est*, instilletur tinctura seminis rutæ, & cari, vel admittatur in aurem per tubulum vapor hederæ terrestris, vel fumus herbæ Mercurialis exsiccatæ, item mentastri, vel succus vermium ligni querni cum tantillo olei rutæ. Si *pituita* abundat, aut *bilis*, catharticis convenientibus utendum. Aliàs qvæ surditati medentur, etiam hîc spondent opem.

In *hæmorrhagiâ narium symptomaticâ*, opus propemodum naturæ relinquendum; si *ex violentâ sternutatione, lapsu, contusione*, &c. nascitur, post missionem sanguinis ex adversi lateris brachio, propinetur emulsio ex semin. cucum. cucurb. melonum, papav. albi, cum aquâ plantaginis, bursæ pastoris, cichorii; naribus intrudatur turunda ex lupi crepitûs laciniis. Confert & hîc *radix* nigellastri recens, *radix* pimpinellæ sanguisorbæ, hyoscyami albi, cichorii, *herba* equiseti, lagopodis, centumnodii, bursæ pastoris; *flores* lysimachiæ luteæ, gallii lutei, *semen* plantaginis,

taginis, sophiæ chirurgorum, & thlaspios scutati; fungus betulæ accensus, & mox ab exstinctione naribus immissus, succus sedi majoris naribus & ore haustus, vel ejus loco succus urticæ. Nec inutile fuerit, lintea aceto rosaceo, & nitro imbuta verendis admovere.

In *gravedine*, seu *coryzâ*, non convenit humorem tenuem in nares cum impetu proruentem statim sistere, sed potiùs educere sternutatoriis ex aquâ fl. lilior. convallium, aquâ radicis hellebori nigri, radicis ranunculi flammulæ, seminis thlaspios scutati, & majoranæ naribus exceptâ. *Si violentiùs ruit*, non alienum fuerit incrassantibus uti, ut diacodio, syrupo de sem. papaveris albi, &c.

In *paralysi linguæ*, præter ea, quæ de *paralysi* antè allata sunt, proderit affricare linguæ, & fræno ejus *oleum* anisi, *spiritum* cerasorum nigrorum, calendulæ, serpilli, primulæ veris; *folia* tabaci, *semina* erucæ, *radicem* pyretri.

In *scabritie linguæ*, conducit mucilago ex semine cydoniorum, lenticulâ palustri, succo sedi majoris, aquâ plantaginis.

In *ptyelismo*, si symptomaticus est, paret gargarismos ex foliis myrti, plantaginis, nummulariæ, quercûs, ex baccis rosæ caninæ, & eorum aquâ stillatitiâ.

In *oris fœtore*, si causa est impuritas stomachi, valet radix imperatoriæ, ireos Florentinæ, cydonia, cortex citri, semen erucæ; sunt & qui lysimachiam purpuream loco amuleti è collo suspendant.

In *dolore dentium*, affluxus humorum acrium educendus (post venæsectionem) foliis tabaci masticatis, radice pyretri, semine levistici, staphidis agriæ, sinapios; item *sistitur oleo* origani cretici, buxi; *decocto* herniariæ, radi-

cis

cis pentaphylli, raphani majoris, tormentillæ, filicis, pimpinellæ saxifragæ : item herbæ salviæ, rutæ, betonicæ, anserinæ, saturejæ, thymi, gummi hederæ.

In *dentium corrosione*, quæ plerumque scorbuti soboles est, opportunum remedium est in fusum plantarum antiscorbuticarum, rad. gentianæ, raphani majoris, lappæ maj. flavæ, herbar. absinthii, centaurii minoris, trifolii palustris. Quin & mundentur dentes à cibo, & manè, aquâ subsalsâ cum tantillo seminis cochleariæ, nasturtii hyberni, & florum aquilegiæ permistâ : accedat dentiscalpium buxeum reliquias ciborum, & tartari expurgans.

In *dentium mobilitate*, quæ à senio, scorbuto, acribus humoribus, contineatur frequenter in ore decoctum radicis pentaphylli, chelidonii minoris, filicis maris, herbæ anserinæ, herniariæ, fragariæ, foliorum quercûs recentium, florum rosarum rubrarum, conorum abietis recent. baccarum prunor. sylvestrium, seminis aquilegiæ, gallarum, cum tantillo aluminis.

In *gingivarum tumore scorbutico*, post universalia perfricentur sæpe gingivæ decocto florum, & seminis aquilegiæ, foliorum salviæ, sedi vermicularis, florum malvæ arboreæ. Vel ex his fiat pulviſculus, vel unguentum addito semine cochleariæ & melle limpido, cum aluminis & sal. tartari momento.

In *relaxatione uvulæ* fiat gargarismus ex radice tormentillæ, pentaphylli, herbæ auriculæ muris, uvulariæ, anserinæ, florum sumach, baccar. prunor. sylvestrium, quibus adjiciatur nonnihil aluminis.

In *tonsillarum inflammatione simplici* parentur gargarismi, & cataplasmata ex herbâ trachelii, floribus jacobææ, mal-

væ arboreæ, aquilegiæ. Si *pertinacior* est, & cum *tumore* juncta, addatur herba chærefolii, fragariæ, hepaticæ nobilis, anserinæ, scabiosæ, flores meliloti, & caprifolii, atque instituatur venæ sectio. Si tumor festinat *in abscessum*, instandum gargarismis ex florib. chamęmeli, sambuci, trachelii, prunellæ, malvæ arboreæ, seminis anethi: maturitate cognitâ vel aperiendus scalpello abscessus, vel collutione ex spiritu vini Gallici communi, quâ repetitâ sponte solet aperiri. Ulcus colluatur decocto herbæ carduibenedicti, veronicæ, betonicæ, prunellæ.

In *anginâ*, sæpe musculi gulæ, vel asperæ arteriæ ob interceptum sanguinis cursum inflammantur; ubi post missionem sanguinis locum habent, quæ in tonsillarum inflammationibus laudantur. Accedat pro gargarismo decoctum corticis nucum, sedi majoris, portulacæ, plantaginis, crassulæ cum tantillo nitri, aut aluminis, præsertim initio, ut affluxus materiæ novæ impediatur; postea agendum floribus meliloti, prunellæ, trachelii, chamęmeli, semine lini, & althææ, ut quod influxit, maturetur. In quem usum laudatur quoque cataplasma ex radice iridis nostratis cœruleæ recenti, cum butyro insulso, aut oleo olivarum, & gargarismus ex albo Græco. Cataplasma ex nido hirundinis cum aquâ sambuci præcipuè adhibetur in *anginâ nothâ*, quę ab irruente pituitæ copiâ oritur, in quâ initio quoque confert infusum radicis, & foliorum asari, cęparum, scillae, herbae hyssopi, marrubii, pulmonariae. In *priori* tanquam specificum aestimatur decoctum fungi sambucini propinatum.

In *strumâ, seu scrophulis*, ubi pituita viscida in glandulis colli induratur, & membranae tandem proprię includitur, post

post universalia convenit infusum radicis scrophulariæ, vincetoxici, filipendulæ, bellidis minoris, gladioli aquatici, bryoniæ, herbæ & florum lamii albi, chamaedryos, aparines, paronychiæ primæ, atriplicis, jacobææ. Ex his ipsis, aut ex baccis visci querni, radicis bryoniæ, & cynoglossæ, florib. chamæmeli paretur cataplasma cum oleo oliv. in quo vivi lacerti virides deferbuerunt. Quin & raporum decoctum spissius frequenter applicetur.

In *asperitate trachææ arteriæ*, ubi à fumo, nucibus, clamore, humore acri raditur, auxilio est syrupus de Althçâ, violarum, infusum fl. verbasci maris, malvae arbor. seminis lini, bismalvae. Si unà adsit pituita acris, utiliter additur infusum, vel syrupus eryssimi, hyssopi, seminis urticæ urentis, radicis iridis, & helenii.

In *peripneumoniâ*, quæ oritur à sanguine in pulmonum substantiam effuso cum respirandi difficultate, tussi, & febre continuâ; & in *pleuritide verâ*, quæ à sanguine in plevram irrumpit, vicina inflammat, tussim, febrim, & dolorem in latere pungentem excitat, eadem remedia conveniunt, quia eædem adsunt causæ; immò sæpe pulmones simul cum plevrâ laborant. Locum hic invenit, praeter missionem sanguinis repetitam, infusum seminis cardui mariae, carduibenedicti, papaveris rhoeados, davci, herbæ scabiosæ, bellidis, tussilaginis, flor. lappæ personatæ, & cynosbati, putaminum nucum, atque ex his præparati pulveres, item oleum lini recens propinatum. Si *expectoratio difficulter procedit*, itur ad oxymel scilliticum, syrupum de cæpis, de hyssopo, de glycyrrhizâ, aquam chamæmeli, seminis urticæ urentis, & pastinacae, succum nasturtii hyb. recentem. Exterius applicatur cæpa lachi

incocta,

„incocta, panis calidus oleo anethi & chamęmeli perfu-
„sus. In *pleuritide nothâ*, quę præcipuè à flatibus est,
(quanquam & vera, & notha quandoque miscentur) ex-
tenditque magis, quàm pungit, & sępe febri vacat, præ-
ter usum seminis carduimarię, carduibenedicti, cari, ani-
„si, juvant exteriùs calidè applicata cataplasmata ex flor.
„chamęmeli, meliloti, semine anethi, cumini, pastinacę
sylvestris, baccis lauri, cum aquâ sambuci, anethi, abro-
tani, aut oleo anethi cocto. In *peripneumoniâ solâ*, lau-
datur infusum radicis acori, helenii, summitates thymi,
semen erucę, sinapi.

In *empyemate*, ubi pus in pulmonibus extra vasa majora col-
ligitur sine febri, & aliquando sine tussi, flaccescente sen-
sim corpore, curatur antiphthisicis, ut infuso hederę ter-
restr. marrubii albi, veronicę, tussilaginis, si abscessus
versus fauces aperitur; si *stagnat intus abscessus sine motu
versus fauces*, agendum infuso radicis helenii, eryngii,
raphani majoris, roris solis, sinapi, cępis, cibariis salsis,
longis itineribus, ut sese aperiat.

In *vulnere pulmonum*, ferri, aut sclopi violentiâ illato op-
portunè succurrit, nisi vasa majora discerpta sunt, infu-
„sum herbę saniculę, alchimillę, fragarię, pulmonarię ma-
„culosę, hederę terrestris, bellidis minoris, radicis & flo-
rum symphyti majoris, vel haustum ore, vel per sipho-
nem ingestum.

In *ulcere pulmonum*, sive *tabe verâ*, sive *phthisi* (quę nascitur
ab humore acri pulmones erodente, & sensim cum hec-
ticâ febri inducit sputum sępe cruentum, tandem etiam
purulentum) convenit præter abstinentiam ab acribus,
infusum radicis althęę, symphyti majoris, eryngii, tussi-
laginis,

laginis, pimpinellæ ſanguiſorbæ, herbæ ſaniculæ, bugulæ, veronicæ, hederæ terreſtris, ſcolopendrii, pulmonariæ maculoſæ, pinguiculæ Cluſii, marrubii, prunellæ, milleſolii, piloſellæ, muſci ſaxatilis flavi; *florum* roſarum rubrarum, roris ſolis, bellidis minoris; *ſeminis* aniſi, lini, althææ; *fungi* ſaligni rubri, lac à butyro ſuo expeditum, hordeacea omnia, & avenacea, *ſuccus* betulæ cum melle, *oleum* lini recens cum cereviſiâ tenui ſæpe hauſtum, *ſerum lactis* gnaphalio, tragopogo, parietariâ, muſco querno, floribus hyperici, anagallidis rubræ temperatum.

In *aſthmate*, ſive anhelâ reſpiratione (quam compreſſio bronchiorum pulmonis, vel obſtructio eorundem producit) præter univerſalia, pugnandum expectorantibus, oxymelle ſcillitico, ſyrupo cæparum, tabaci, hyſſopi; *item* infuſo radicis helenii, leviſtici, bardanæ, ari, raphani majoris, iridis noſtratis, angelicæ, petaſitidis, bryoniæ, ſcabioſæ; *herbæ* eryſimi, thymi, pulegii, marrubii albi, origani ſylveſtris, ſonchi aſperi, alliariæ; *florum* caprifolii, althææ, *corticis* frangulæ, *ſeminis* urticæ, fæniculi. Puerorum *tuſſis ferina* cum aſthmate juncta compeſci ſolet infuſo muſci pyxidis, vel muſci querni vulgaris in hydromelite, item ſyrupo frangulæ, ~~ſucco pulegii.~~

In *tuſſi*, (quæ ab acrihumore irritata membranas pulmonum inquietat) *ſi ſicca eſt*, utendum humectantibus, emulſione ſeminis cucumeris, cucurbitæ, melonum, papaveris albi, hordeaceis, ut præparetur materia, & humida evadat. *Humida* autem, ſi multum *viſcidæ materiæ* ejicitur tuſſiendo, tollitur expectorantibus, infuſo *radicis* raphani majoris, helenii, polypodii, *herbæ* hyſſopi, tuſſilaginis, ~~marrubii albi~~, ~~veronicæ~~, verbenæ, artemiſiæ

rubræ, origani ſylveſtris, ſcabioſæ; *ſeminis* aniſi, fæniculi, davci, violarum Martiarum, paſtinacę, item aquâ parietarię, polypodii, ſucco eryſimi, & raporum. Si *materia aqvoſa, & ſero ſimilis*, craſſeſcet, & mitigabitur infuſo radicis lappę majoris, florum althææ, muſci ſaxatilis flavi, & præcipuè papaveris, ut ſyrupo è ſemine papaveris albi, & diacodio.

In *hæmoptyſi* (cùm ſanguis vel præ copiâ, vel acrimoniâ tuſſi rejicitur) poſt miſſionem ſanguinis, adſtringendum leviter radice caryophyllatę, tormentillę, geranii gruini, pentaphylli, conſolidę majoris, pimpinellę ſanguiſorbæ, pruni ſylveſtris; *herbâ* nummularię, ſaniculę, bugulę, prunellę, burſę paſtoris, centumnodii, equiſeti, gnaphalii albi, menthę criſpę, anſerinę, millefolii, muſci querni; *floribus* ulmarię, cyani; *ſemine* lini, plantaginis, ſumach, papaveris rhœados, urticæ urentis, vel ſucco ejus, tritico; ex his vel fiat pulvis, vel infuſum, non niſi tepidè propinandum. Solet & hic oleum lini recens cum fructu in cibariis adhiberi.

In *palpitatione cordis* (ubi inordinato motu cietur ob acrimoniam ſanguinis, tumorem partium, flatus, animi pathemata, &c.) cura ad cauſas vertenda. Si *plethora* adeſt, aut *motus animi* vehementior, poſt miſſionem ſanguinis, quies convenit; ſi *acrimonia humorum*, agendum emulſionibus è ſemine cucumeris, cucurbitæ, melonum, papavereis, hordeaceis, ſero lactis, violarum Mart. floribus imbuto; ſi *flatus*, ſufficit infuſum ſeminum davci, cari, fæniculi, anethi, & herbæ meliſſæ; ſi *calculi, vermes, pituita viſcida* (quam, ſi cruenta apparet, polypum vocant) tentanda cura radice & ſucco raphani majoris, ſale

radicis

radicis pimpinellæ saxifragæ volatili, spiritu fuliginis camini. Alias hic inter specifica numeratur *radix* caryophyllatæ, fraxinellæ, scorzoneræ Hispan. doronici Alpini; *flores* borraginis, buglossæ, violarum, alyssi Germanorum, cyani, echii Alcibiadei, ulmariæ; *herba* cardiaca, asperula odorata, lingua cervina; *fructus* rubi idæi.

In *deliquio animi*, sive λιποψυμία, ubi pulsus ferè cessat, (si enim planè aboletur, syncope appellatur) ob interceptionem spirituum vitalium, à terrore, nuncio tristi, dolore vehementi, nimiâ sanguinis profusione, affectu hysterico producta) recreandi spir. aquâ meliss. generosiori, spiritu liliorum convallium, rosarum, cerasorum nigrorum, fuliginis. Huc referenda, quæ in epilepsiâ, & apoplexiâ opem ferunt. Aliquando vomitus confert, causâ in ventriculo stagnante. Sæpe revocatur pulsatio liberali affusione, & potatione aceti, in quo radix pimpin. sanguisorbæ, flores rosarum, tunicæ, levcoji flavi, violarum, calendulæ, sambuci, consolidæ regalis, rutæ, vim suam deposuere.

In *mammarum inflammatione*, duritie, pulsatione, à lacte vasa sanguinea nimiùm extendente sæpiùs profectâ, non alienum est, post missionem sanguinis ex pede (si nihil obstat) statim transire ad victum tenuem, & refrigerantem, atque hinc ad topica; in quibus confert cataplasma tepidum ex farinâ avenæ, radicis althææ, liliorum albo-rum, seminis fœnigræci, & lini cum aquâ sambuci. Sunt quibus placet cataplasma ex farinâ fabarum, siliginis, & fegopyri, meliloto, foliis hyoscyami, senecionis, rapis coctis, cretâ, & aquâ cicutæ. Si *durities* perseverat, applicanda ex rapis, chærefolio, & solano cum semine al-

thæ, & fœnigræci, pulticula; si *flatus* adsunt, adjiciendum ex semine carvi, & anethi auctarium; si exulceratio, advocandum ex lampsanâ, althæâ, & senecione cataplasma; si *scissura*, aut *excoriatio*, petendum ex gnaphalio albo, geranio, floribus gallii flavi, & verbasci maris cum amylo subsidium. Scissuras commodè glutinat cerasinum gummi, & pulvis tragacanthi insperſus.

In *defectu lactis*, à morbo, ætate grandiori, vitio sanguinis, lacuna sarcitur copiosiori usu herbæ, & seminis feniculi, anethi, florum polygalactis, herbæ lactucæ sylvestris. Amuleti loco nonnulli suspendunt inter mammas nutricis radicem pimpinellæ saxifragæ horis septem, item herbam verbenæ sub axillis. Quin & *Velschio* credimus, aquam verbenæ potam hic convenire.

In *lactis nimiâ abundantiâ* parciùs alenda nutrix; apponendum mammis ex semine cumini, chærefolio, & tantillo radicis cicutæ cum muriâ & aceto cataplasma. Alii solam cicutæ aquam applicant linteo quadruplicato tepido, aut rectiùs panno cœruleo exceptam, sapone etiam axillæ cavæ impacto. Nec ab re fuerit, addidisse herbam petroselini, geranii & plantaginis aquaticæ.

In *coagulatione lactis*, ex defectu seri sanguinis plerumque oriundâ (unde tumores duri, immò ulcera subinde pullulant) bibat liberaliùs nutrix serum lactis, aut cerevisiam tenuem semine fœniculi fœtam, vinum dilutius, sed nullo modo acidum; comedat jusculà carnium, quibus herba petroselini, & folia brassicæ viridis incocta; applicet mammis cataplasma ex radice althææ, & malvæ, floribus

bus meliloti, semine fœnigræci, ut coagulum lactis emolliat.

In *Cancro mammarum*, id est tumore earundem duro, fœdo, punctim dolorifero, rarò pus, sæpius serum fœtidum effundente, ubi sese aperuit (cujus prima origo ex guttis aliquot sanguineis, extra vasa sua, ex ictu, mœrore, abundantiâ sanguinis, temere elapsis, & paulatim ibi acescentibus, atque hinc contagione vicinarum partium funestis proficiscitur) rarò à plantis securum petitur auxilium, ubi provectius malum est, tutiùs à ferro chirurgi. Tentanda tamen via est frequenti usu radicis hellebori nigri, ejusque sale essentiali & volatili. Quin & aqua ejusdem insignem vim habet. Aptum quoque hîc est *infusum radicis* polypodii, ari, aristolochiæ rotundæ; *herbæ* fumariæ, lupi salictarii, scordii, urticæ urentis, geranii vulg. marrubii nigri, rutæ, solani cum baccis; *florum* gallii flavi, hyoscyami albi, buglossæ, borraginis. Tanquam specificum, exteriùs laudatur succus bellædonnæ, ut emolliens & discutiens, succus chelidonii majoris, succus solani ejus, quod glycypricon vocatur, & aqua ejusdem, item aqua lunariæ, & gnaphalii albi. Securiùs tamen hæc pharmaca adhibentur in *scirrho cancrode doloris experte*, ubi plerumque rem in salvo constituunt.

In *œsophagi ulcere* ab acribus humoribus producto, lentè potandus radicis & florum althææ syrupus, item mucilago seminis cydoniorum cum momento gummi cerasi item infusum seminis lini. In *deglutitione lesâ*, ex resolutione nervorum œsophagi, utendum iis, quæ paralysi interiùs, exteriusque opponuntur. In *obstructione* à bolo majori, à spinâ piscis &c. deglutitâ, præter pul-

 sationem

sationem dorsi iteratam intrudenda per filum ferreum incurvum spongiola, quæ in ventriculum præcipitet; id quod alii moliuntur virgâ balænatiâ.

In *ventriculi imbecillitate, à bile* per pylorum infusâ, cibisque ex eo corruptis, adhibeatur ex asari radice, aut foliis emeticum, exhibeantur juscula radice cichorii, aut aquâ ejusdem, & rosarum, item lactucâ, endiviâ, portulacâ, violis Martiis, ribium, fragorum, berberum succo condita. Si à *pituitâ nimiâ ructibus acidis comitatâ*, præter universalia vocetur in usum radix acori, gentianæ, juglandes conditæ, semen levistici, petroselini, fæniculi, cortex citri, & aurantiorum; præsertim si flatus unà infestent; ubi & olea stillatitia affricentur scrobiculo cordis ex absinthio, pulegio, caro, cumino, anetho, rutâ, fæniculo, temperata oleo chamæmeli cocto, nè partem exulcerent.

In *ulcere ventriculi* prosunt ea, quæ in œsophagi ulcere. In *vulnere* autem *ventriculi*, præter manum chirurgicam in rustico Prussiaco feliciter attentatam, temperentur modicè cibaria ophioglosso, virgâ aureâ, radice althææ, & symphyti majoris, cum momento gummi cerasi, vel tragacanthi. In *ardore ventriculi* (qui inprimis à bile os ejusdem arrodente oritur) conducit, præter cretam molliorem, & cornu Cervi ustum &c. *vomitio* per asarum procuranda, postea folia quercûs prima & adhuc in se involuta, saccharum rosaceum, cichorii, & taraxici radix. Si malum est, ut fit quandoque, *ab humore aliquo austero, & adstringente*, convenit, ut priùs, *vomitio, cathartica*, & ari, atque acori radix; sed *absinthium*, & *mentha* quæcunque formâ hic meritò regnant, quæ in bilosis sæpe noxia

xia præsertim absinthium. Utile quoque est *infusum* radic. aristolochiæ rotundæ, althææ, baccarum cynorrhodi; *Cerevisia* salviâ, serpillo, caro temperata. Scrobiculo cordis affricetur oleum in ventriculi imbecillitate laudatum superiùs.

In *vomitu*, si ab acri humore peristalticam agitationem inducente manat, efficax est aqua menthæ, & rosarum, cydonia condita, conserva absinthii, menthæ, florum acaciæ nostratis; florum symphyti, acetum flor. cyani cum sale absinthii flavo, radix ari, & acori condita. Fiat & exteriùs epithema ex absinthio, menthâ, caro; aut ex iisdem oleum loco affecto affricandum. Si *à calculo renum*, sponte cessat, translato in vesicam calculo. *Si sanguis vomitu rejicitur*, plerumque is à pulmonibus est, atque adeò floridus & spumosus apparet, de quo in hæmoptysi actum; *si à ventriculo*, concretus cernitur, & cum nausea excernitur; in quo malo, post missionem sanguinis, assumenda radicis symphyti majoris conserva, vel radix tormentillæ, pentaphylli, gladioli lutei; miscendum cibariis tantillum gummi cerasi, aut Arabici, aut tragacanthi.

In *ventriculi anorexia*, sive *prostrato appetitu*, quem vel nimius bilis lentæ allapsus excitat, vel frequens crapula, vel acidi naturalis defectus, id agendum, ut bilis illa noxia emetico tollatur, diæta strictè observetur, & acidum deficiens paulatim restituatur cibariis subacidis. Aliàs roborabitur postea ventriculus extracta absinthii, centaurii minoris, gentianæ, si peccet præcipuè pituita; acori, ari, caryophyllatæ, pimpinellæ sanguisorbæ, cichorii radice aut extracto, si ab immodi-

co

co vino, aut cereviſiâ fibræ ejus tonum perdidere; aceta-riis varii generis, acetoſellâ, allelujâ, aceto cyani, ſi nimio uſu purgantium, aut alkalium, nativo ſuo acido exutus eſt.

In *fame caninâ,* ſeu *appetitu nimio* (ubi acidum peccat & copiâ & plerumque auſteritate, quæ juſtam ciborum diſtributionem obturando impedit, & corrumpit eosdem veriùs quàm fermentat) poſt univerſalia, & teſtacea, prodeſt radix ari, & acori, ſal ſubflavus abſinthii, centaurii minoris, gentianæ, fœniculi: non tamen eo usque ut acidum nativum planè obtundatur.

In *nimiâ ſiti,* ſive à febrium oritur fervore, humidum ſtomachi nativum debilitante, ſive à vigiliis, inediâ, evacuationibus nimiis corpus exſiccantibus, ſubſidio eſt emulſio ex ſemine cucum. cucurb. melonum, & papaveris albi, item julapium ex aqu. acetoſellæ, acetoſæ, allelujæ cum ſyrupo cydoniorum, & momento gummi ceraſi, aut tragacanthi. Accedant poma acidula, ſucci ribium, berberum, ceraſorum acidorum. Sitis hydropicorum, ubi humiditas loco errat, non exſtingvitur, niſi æger obſtinatam ſibi imperet abſtinendi legem.

In *ſingultu* (qui oritur ex acri humore fibras ventriculi primùm contrahente, & mox rapiente in conſenſum diaphragma) poſt univerſalia placatur affectus hic ſpaſmodes ſyrupo de ſemine papaveris albi, diacodio liquido, cydoniis conditis, ſemine anethi, & oleo ejus ſtillatitio, „ ſemine dauci, aniſi, aquâ menthæ, oleo ſalviæ cum decu- „ plo ol. amygd. dulcium permiſto.

In *cholerâ morbo* (cùm humores ob ſummam acrimoniam ventriculum, & inteſtina cum vicinis partibus convellunt,

lunt, & ad egerendum ἄνω & κάτω sollicitant) causa, ut venenum, fructus à bufonibus, araneisve perreptati, fungi noxii, tollitur vomitione per asari radicem, aut folia; sistitur malum syrupo de semine papaveris albi, diacodio " cum aqua fœniculi, aut carduibenedicti, oleo olivarum " copiosè assumpto, butyro, jusculis pinguioribus. Tandem mitioribus jam symptomatis, convenit simplex infusum rosarum rubrarum, spongiæ saligna, rosæ caninæ, senecionis, herbæ portulacæ & endiviæ.

In *lumbricis*, tum *longis*, tum *minutis*, seu *ascaridibus* (à quibus, deficiente nutrimento, rodentibus vicina, cruciatus; à mortuis putrescentibus febris vaga oritur) prodest radix gentianæ, graminis canini, scrophulariæ, filicis, petasitidis, helenii, fumariæ bulbosæ; *herba* absinthii, scordii, corallinæ, cardiacæ, marrubii albi, marrubii aquatici, Kunigundis, hellebori nigri, abrotani; *flores* hyperici cum semine, fl. perficorum, tanaceti cum semine, stœchadis citrinæ, centaurii minoris, *semen* cinæ, lupi salictarii; *succus* allii, raphani majoris, glycypicri nasturtii hortensis; ex quibus fiunt infusa, pulveres, aquæ, epithemata. *Lumbrici lati* vix cedunt, nisi diuturno usui radicis filicis dictæ, & si id remedium tardius, Mercurio dulci.

In *herniâ*, ubi intestina excidunt, & quandoque omentum, post aptam repositionem, & ligaturam convenit *radix* symphyti majoris, caryophyllatæ, filipendulæ, sigilli Salomonis; *herba* perfoliatæ, herniariæ, sanículæ, lunariæ, hippoglossi, cannabinæ aquaticæ, geranii columbini, serratulæ, pinguiculæ Clusii, muscí querni, herbæ Kunigundis, nummulariæ, filicis floridæ; *semen* sophiæ chi-

rurgorum. Hinc præparetur vel pulvis, vel infusum, item emplastrum, cujus ope sangvis sensim redditur medicatus, & velut balsamicus, atque ruptura, præsertim in junioribus, tandem coalescit. *Qvando ad umbilicum tale qvid excidit, (exomphalon* vocant) reponitur, ligaturâ coërcetur, foveturque locus decocto musci qverni, florumque prunellæ, & emplastrum adstringens apponitur. Laudatur infus. consolid. Saracenicæ, & perfoliatæ toto anno bibitum.

In *herniâ aqvosâ* (ubi scrotum aqvâ ad tactum fluctuante „ distenditur) post universalia multum præstat succus iri„ dis nostratis aqvas copiosè educens; item sal genistæ, juniperi, stipitum fabarum, cruciatæ, ononidis subflavus in aqvâ crassulæ, unde & per sudores, & urinas serum peccans excluditur. Poros madentes placidè claudit radix caryophyllatæ, filipendulæ, filicis floridæ, bellidis minoris. Confert & arena calens scrotò subinde admota.

In *herniâ ventosâ* (ubi scrotum flatu distenditur, qvod levitas, pressio, & sonus declarat) post universalia sudor sæpè eliciatur *infuso* calente seminis cari, cumini, anethi, fœniculi, anisi; vel radicis levistici, imperatoriæ, pimpinellæ saxifragæ; admoveatur cataplasma ex iisdem cum baccis lauri & oleo ejusdem, atque farinâ fabarum.

In *herniâ carnosâ* (ubi testiculis carnosum qviddam adnascitur, digitis & pondere internoscendum) nisi freqvens usus corticis radicis ononidis ferat opem, quod *Sculteto* observatum, vel fasciâ sustinendum onus, vel ad sectionem veniendum. In *varicosâ herniâ* etiam fasciâ opus est, sectio periculi plena. Locum hîc habet radix hellebori nigri, & polypodii, ut crassamentum sangvinis va-

rices

rices generans expurgetur, pharmaca & cibaria ad ſiccum declinent. In *herniâ gutturis*, ſive *bronchocele* bibitur cum fructu cinis ſpongiæ ad dies xxviii. ſi verus *Qvercetanus*.

In *procidentiâ ani* (ubi extima portio inteſtini recti foràs prolabitur) parti affectæ in locum ſuum repoſitæ adſpergendus pulvis ex gallâ, roſis rubris, cortice radicis pruni ſylveſtris, muſco qverno, ſucco prunorum ſylveſtr. Interiùs confert rad. tormentillæ, pentaphylli, biſtortæ, *herba* eqviſeti, *flores* roſar. rubrarum. Vel inſideat æger, qvoties exoneravit, aſſeri qverno lævigato, & calenti, cui inſpergatur pulvis ſubtilis gallæ, radicis plantaginis, aut muſci qverni.

In *vulnere, aut ulcere inteſtinorum*, qvod à gladio, cultro, globo, acribus humoribus oritur, præmiſſo leni cathartico (ſi neceſſe eſt) & miſſione ſangvinis, non inutiliter adhibentur ſubinde decocta, infuſa, pulveres vulnerarii ex *radice* plantaginis, pentaphylli, pimpinellæ ſangviſorbæ; *herbâ* Kunigundis, virgâ aureâ, eqviſeto, piloſellâ, alkimillâ, millefolio, matriſylvâ, pyrolâ, hepaticâ albâ, ſaniculâ, hyperico, agrimoniâ, lyſimachiâ luteâ, betâ rubrâ. Item *clyſteres* ex iisdem, præſertim in ulceribus inteſtini recti, ubi adjiciantur roſæ rubræ, flores bugulæ, farina triticea.

In *Paſſione iliacâ* (ubi dolor in tenuibus inteſtinis urget, & ſæpiùs ſupra umbilicum, cum convulſiva alvi obſtructione, & rejectione excrementorum per os) *ſi in causâ eſt excrementorum duritiei*, propinetur manna, butyrum inſulſum, oleum oliv. aut amygdalarum dulcium, juſcula pingvia cremore tartari imbuta; clyſteres applicentur

ex oleo chamæmeli cocto, & oleo caſtorei; *ſi inflammatio*, decoctum hordei temperetur aquâ portulacæ, endiviæ, ſemine papav. albi, ſyrupo nymphææ albæ: clyſteres fiant ex florib. malvæ, althææ, verbaſci, decocto raporum alborum, ſemine lini, & althææ; ſi *à flatibus*, utendum *carminantibus*, ut in colicâ; *ſi ab acribus*, convenit emulſio ex ſem. cucumeris, cucurbitæ, melonum; althææ, ſymphyti floribus; ſem. papaveris albi cum ptiſanâ, & vitello ovi: quin & ſæpius bibatur rapor. alborum decoctum cum ſaccharo. Clyſteres ſint ex lacte, fl. malvæ arboreæ, mucilagine cydoniorum, albumine ovorum.

In *paſſione colicâ*, (quæ inteſtinum colon præcipuè afficit, ſæpe tamen etiam vicina) *ſi malum eſt ab ingerente ſe bile*, convenit *emulſio* ex ſemine cucum. cucurb. melonum, papaveris albi, fœniculi; item *ſerum* lactis tamarindinatum, ſperma ceti præparatum. *Si ab acido*, proderunt ſalia volatilia, ut ſal Cornu Cervi volat. ſal volatile ſuccini; *ſi à flatibus*, agendum carminantibus, *radice* pimpinellæ ſaxifragæ, leviſtici, filipendulæ; *herbâ* veronicæ, hederæ terreſtris, chamæmeli, marrubii albi, tanaceti; flore filicis floridæ; membranâ quæ juglandis medullam interſecat; ſemine fœniculi, carvi, cumini, aniſi, dauci, angelicæ, anethi, ſale abſinthii in vino, vel aquâ cari; item aquæ abſinthii quadruplo, aquæ cinamomi ſimplo, miſtis; oleo lini recenti hauſto. Confert & hic clyſter ex emollientibus & carminantibus cum decocto capitis vervecis, aut pedum vituli; item ex carminantibus aquæ aquæ incoctis epithema; & diaphoreticum ex ſale centaurii min. carduibenedicti cum aquâ fœniculi, & momento ſyrupi papaverei.

In *alvi nimiâ adstrictione*, si est *ab austero quodam succo* fibras intestinorum obtundente, vel diætæ siccioris vitio, leniter humectantia prosunt, ut pruna cocta, passulæ minores illotæ, potus liberalior, cerevisia radice lappæ majoris flavâ, cortice fraxini, herbâ cardubenedicti, melissæ condita, freqvens usus butyri recentis, olei olivar. olei amygdal. dulcium; jusculis incoqvantur flores althææ, malvæ, parietariæ; umbilici regio subinde inungatur pingvedine anseris, felle animalium, oleo chamæmeli, & colocynthidis cocto, melle Mercurialis. *Si est ab aversione bilis*, ut stimuli, *in aliam partem corporis*, qvod in ictericis contingit, agendum iis, quæ in *Ictero* laudantur.

In *lienteriâ*, cum alimenta per alvum citiùs egeruntur, & qvidem indigesta, propter nimiam fibrarum laxitatem, aut lacteorum vasorum obstructionem, post leve catharticum, freqventetur usus rhabarbari, cum aqvâ rosarum: post moram aliquam roborandum radice filipendulæ, foliis qvercûs, coronopo, bursâ pastoris, menthâ crispâ, quâcunque formâ assumptis. Si *malum est à nimio usu frigidorum, aut pingvium*, mutanda diæta; *si à fungis*, pugnandum emeticis, alexipharmacis; *si ab ulcere intestinorum*, usurpanda ea, quæ superiùs in hoc malo laudata. *Cœliaca passio*, cùm sit quasi primus lienteriæ gradus, ut illa tractanda est.

In *diarrhœâ*, si critica est, non sistenda; si symptomatica, bilis copiosa, quæ sæpè mali causa est, educenda rhabarbaro iterum, iterumque post modicè adstringendum *radice* tormentillæ, caryophyllatæ, filipendulæ, gladioli lutei: *herbâ* anserinæ, ulmariæ, bursæ pastoris, hederæ terrestris, hepaticæ albæ, lagopodis, plantaginis, foliis quercûs,

coronopi, geranii gruini, gnaphalii albi, Knavvel; myrtillis ſiccis, ſorbis, & prunis ſylveſtribus in furno exſiccatis, farinâ tritici, baccis roſæ caninæ, ſemine lapathi acuti, flore rubro, glandibus toſtis. Potus ſit vinum rubr. Gallicum ſtypticum non niſi leniter acidum, vel ſerum lactis, cui radix tormentillæ, pentaphylli, aut cydoniæ incocta; vel cereviſia tenuis, in quâ ovi vitellus & albumen deferbuêre. Clyſteres freqvententur ex furfuribus triticeis, roſis rubris, lacte, vitello ovi cum momento terebinthinæ ſubacto, item ex ſero lactis, in quo aliquot chalybis candentis fruſta fibilare deſierunt. *Si malum eſt ab hypercatharſi*, confert diacodium, theriaca, qvies; *ſi à venenis*, emeticum lene, & poſtea alexipharmacum.

In *dyſenteriâ*, ſive freqventi fæcum alvi cum materiâ ſæpè cruentâ, ſæpè purulentâ dejectione, eâque dolore moleſtâ, qvam humores acres undecunque orti, & ſæpè contagium ſpargentes inducunt, progrediendum ferè ut in diarrhœâ, ſed ſollicitiùs, & freqventer advocandus rhabarbari uſus, ſæpiùs tamen infuſum ejus, quàm pulvis. Primis ab inſultu diebus, ſi dolor horribilis, ferendus opiati alicujus uſus: poſteà non item, metu gangrænæ, imò ſphaceli. Dolores aliàs leniendi aſſumptâ mucilagine ſeminis cydoniorum cum tantillo tragacanthi; item clyſteribus in diarrhœâ laudatis; cataplaſmatis ex floribus jacobææ, & butyro frixo. In adſtringentium uſu parcus ſit Medicus, donec cauſa mali plenè evacuata; & tum qvidem præter ea, qvæ allata ſunt in diarrhœâ, convenit *radix* biſtortæ, pentaphylli, acetoſæ, pimpinellæ ſangviſorbæ; *herba* auriculæ muris, alchimillæ, polygoni, aparines, eqviſeti, lycopodii, lunariæ, nummulariæ, ſtœbes.

Cibaria

Cibaria prosunt ex animalium extremitatibus, ovis recentibus, pulmentariis triticeis, oryzâ, passeribus marinis in lixivio maceratis, & post, lixiviô ablutô, coctis atque comesis. *Si dysenteria plures simul corripit*, atque ita transit in naturam veneni, intermiscenda qvandoque alexipharmaca, in qvibus est quoque radix tormentillæ, scabiosæ, morsus diaboli, herba scordii, carduibenedicti, veronicæ, & tandem terra sigillata, bolus Armena, &c.

In *fluxu hepatico*, ut appellari consvevit, (ubi post excrementa sangvis per alvum excernitur sine dolore, sine suspicione hæmorrhoidum; non quidem ex ipso hepate, sed ex vasis sangvineis inteſtinorum exilibus in extremitate nimis hiantibus ob acrimoniam humorum) egregiam opem præstat rhabarbarum, quod simul & acrimoniam expurgat, & vasorum extrema roborat; confert & conserva rosarum rubrarum simplex, *radix* cichorii, bellidis, *infusum* radicis plantaginis, semenque ejus, syrupus urticæ urentis, cydonia condita, succus inspissatus cynosbati, tandem etiam chalybêia.

In *teneſmo*, (id est, in continuâ excernendi per alvum cupidine, sine fructu, & cum intenso dolore) si malum oritur *à frigore*, convenit identidem clysterem admovere ex floribus chamæmeli, verbasci albi, meliloti, malvæ, violarum, rosarum, semine lini, althææ, fœnigræci; si *ab acrimoniâ humorum*, aut *austeritate* potiùs *adstrictoriâ*, præmissis clysteribus, per epicrasin leniter purgandum, agendumque iis, qvæ superiùs *in alvi nimiâ adstrictione* commemorata sunt. Si *dolor vehemens*, jungatur clysteribus adductis semen cydoniorum; *si humores salsi*, *aut bilioſi*, jungantur, si libet, inteſtina aquorum, aut vi-

tuli

tuli cerebrum. Si malum *à calculo*, aut *lumbricis*, eò quoque dirigenda cura.

In *hæmorrhoidum dolore*, (qui ex acrimoniâ sangvinis ortus intensior est in cœcis, quàm apertis) præter missionem sangvinis applicetur epithema, vel ex floribus linariæ, verbasci albi, cum tantillo succi sedi majoris, vel ex *radice* scrophulariæ, scabiosæ, *foliis* serratulæ, becaburgae, matrisylvae, plantaginis aqvaticae, porri, floribus senecionis. Convenit & ex iisdem clyster cum lacte recenti. Qvin & per os assumere licet pulverem ex radice scrophulariæ, & chelidonii minoris. Amuleti locò portatur in crumenâ radix scrophulariae recens, & inter scapulas crassula. *Si tumor adest, aut tubercula*, nondum apertis hæmorrhoidibus, vel aperiantur hirudinibus, vel scarificatione, vel affrictu panni asperi, vel ungvento ex medullâ colocynthidis cum oleo amygd. dulcium. Epithema quoque hîc paretur ex florib. linariæ, cinere suberis perusti cum pingvedine capi, flore lactis, & momento croci.

In *hæmorrhoidum fluxu nimio*, (qvem producunt sæpiùs aromata, vina generosa, exercitia valida, unde sangvis acris redditur tenuisque, qui tunicas pertundit) præter missionem sangvinis è brachio utilis est pulvis ex rhabarbaro; posteà ad uberiorem adstrictionem, ex *radice* pentaphylli, *herbâ* sideritidis, eqvisæti, bursæ pastoris, lagopodis, millefolii, musci querni, *floribus* galeopsidis purpureæ fœtentis, lamii albi. Loco affecto admoveantur lacinię ex fungo betulae, aut lupicrepitu compresso. Interiùs convenit rosar. rubrarum conserva cum tinctura florum bellidis, aut radicis pentaphylli. Extra laudatur cingu-

lum

lum ex foliis hellebori nigri recentibus, & conquassatis, nudoque corpori circumfusis.

In *obstructione meseterii* (ubi vel vasa lactea, vel mesaraica, vel pancreas obstruuntur à pituitosis, aut austeris humoribus, item à flatibus) veniendum ad leniter aperientia, *radicem* asparagi, apii, graminis, taraxici, cichorii, bryoniæ, rusci, rubiæ tinctorum, levistici, tragopogi, *herbam* Kunigundis, cuscutæ, fumariæ, agrimoniæ, genistæ, virgæ aureæ, centaurii minoris, brancæ ursinæ, geranii Robertiani, lupuli, chærefolii, linariæ, persicariæ maculosæ, pinguiculæ Clusii, kaly geniculati, sonchi asperi, tragopogi, marrubii, asperulæ; *semen* anisi, dauci, anethi, quæ vel formâ infusi, vel decocti usurpentur; vel præparetur ex iisdem sal essentialis, vel aqua stillatitia generosior. Hinc per epicrasin expurgetur humor vitiosus rhabarbaro; & tandem succedant roborantia ex *radice* acori, ari, gentianæ, *herbâ* absinthii, betonicæ, hepaticæ nobilis, rorismarini; laudantur hîc *coni* abietis, &, si necesse est, chalybêia.

In *obstructione hepatis*, si nascitur *ex pituitâ* cum sanguine crudiori allabente, unde sensim tumor, durities, scirrhus; eadem medendi servetur ratio, quæ in obstructione meseterii; si est *à largiori potu frigido, sanguinis inopiâ, crassioribus nutrimentis*, mutanda in meliorem statum diæta est, & utendum cibis evchymis, vino generosiori, & per intervalla, rhabarbaro. Si accedat *inflammatio*, oportunum est post missionem sanguinis infusum *radicis* cichorii, taraxici, fœniculi; *herbæ* farfaræ, hepaticæ albæ, hepaticæ nobilis, cuscutæ. Si *scirrhus* se ingerit, præter ea, quæ laudata sunt, conveniunt acidulæ, & chalybêia; exteriùs emplastrum de cicutâ.

In *hydrope ascite* (ubi aqua ex vasis sanguineis minutis, aliquando & ex lymphaticis flaccidioribus, & hiantibus erumpit in cavitatem abdominis) duo scopi proponuntur: unus, ut aqua vitiosa evacuetur, alter, ut roborentur partes debiles. *In primum intendunt* aperientia, quæ in mesenterii obstructione memorata sunt; & præter ea, *radix* vincetoxici, evpatorii cannabini, angelicæ, petroselini, iridis nostratis, scorzoneræ Amagricæ, polypodii, morsus diaboli; *herba* chamædryos, kali geniculati, tripolii, impatiens; *semen* sophiæ chirurgorum, thlaspios acerrimi, fraxini; ~~cortex esulæ, & extractum ejus~~, cortex tamarisci & medius sambuci; *succus* bryoniæ, betulæ, & inprimis cortex frangulæ, & succus iridis nostratis cœruleæ, allium, ~~syrupus de spinâ cervinâ~~. Et quia per urinas commodissimè liberatur æger, non omittendus hic sal juniperi, genistæ, ononidis non spinosæ, fraxini, chamæmeli, alkekengi, stipitum fabarum in aquâ petroselini, aut chærefolii. *Secundus scopus attingitur* infuso corticis fraxini, sumach, decocto ligni gvajaci, & sassafras, item chalybe, si res postulat. Emplastrum convenit de baccis lauri.

In *hydrope tympanite* (ubi abdomen à flatibus præcipuè distenditur) post purgantia per epicrasin convenit infusum ex ligno ebeni, gvajaci; ex *semine* cari, cumini, anethi, fœniculi, dauci, levistici; *baccis* juniperi, lauri, cum sale genistæ, item spiritus sassafras. Perfricet se æger spiritu frumenti, cui allium infusum.

In *leucophlegmatiâ seu anasarcâ* (ubi exteriores musculi corporis, non abdomen, ut in tympanite, distenduntur sero vitioso) præter emeticum, & postea frequentem usum rhabar-

rhabarbari, laudatur extractum gratiolæ, centaurii minoris, carduibenedicti, gentianæ; ſpiritus cochleariæ, naſturtii aquatici, ſyſimbrii cardamines, aqua nucum juglandium recentium ſtillatitia. Sed & ſal geniſtæ, juniperi, fraxini in aquâ fœniculi diſſolutus, & calidè propinatus, ut ſudor frequenter proliciatur. Huc pertinet *cachexia.*

In *ictero flavo* (ubi bilis, cùm per obſtructum ab acido, calculo, pituitâ, potu frigido liberali, porum choledochum nequit in inteſtina penetrare, regreditur in ſanguinem, & cum eo perambulat totum corpus) primùm inſtituenda purgatio infuſo rhabarbari, eaque ſæpius, ſi neceſſe, repetenda; hinc laudatur extractum *radicis* curcumæ, rubiæ tinctorum, gentianæ, chelidonii majoris, eryngii, ruſci; *florum* centaurii minoris, fumariæ, aquilegiæ; *herbæ* fragariæ, chamæpityos. Nec minorem hìc operam pollicetur *radix* ſcorzoneræ Amagricæ, lappæ flavæ, urticæ, vincetoxici, leviſtici, raphani minoris, polypodii, petroſelini; *herba* marrubii, cuſcutæ, dentis leonis, origani, chelidonii minoris, hederæ terreſtris, glycypicri, talitri, aſperulæ odoratæ; *cortex* fraxini; *flores* geniſtæ, evpatorii cannabini, cnici, geniſtæ, calthæ paluſtris, cyani; *ſemen* cannabis, aquilegiæ. In malo hoc *inveterato* auxilium ſpondet muſcus pulmonaris quernus in aqua philanthropi, aut herniariæ. In *ictero nigro confirmato* exigua ſpes ſupereſt; tentanda tamen cura extracto helleborinigri, & polypodii, emulſione ſeminum cannabis, & tandem chalybe.

In *atrophiâ*, ſive totius corporis præter ſolitum macie, ſi eſt *ab obſtructione meſenterii*, pancreatis, &c. agendum iis,

quæ attigimus superiùs in obstructione mesenterii; si *ab hecticâ, aut ulcere pulmonum*, consulantur, quæ de iis egerunt, capita. Præterea id in omni atrophiâ curandum, ut diæta sit humectans ex hordeaceis, emulsionibus seminis cucum. cucurb. melonum; usurpetur balneum aquæ dulcis, cui caput, & pedes vervecis cum foliis salicis rubræ, semine lini, althææ, malvæ, & cineribus colurnis incocti sunt. Exteriùs perfricetur corpus urticâ urente, vel aquâ ejus; item oleo cocto verbasci, linariæ, althææ.

In *lienis obstructione* (sive ejusdem à sanguinis, in vasis ejus impedito cursu, oppilatione, quod ex gravitate partis affectæ, & tumore cognoscitur) post missionem sanguinis infusum paretur ex *radice* polypodii, bryoniæ albæ, gentianæ, filicis, ari, graminis, fæniculi, *cortice* fraxini, tamarisci, *herbâ* filicis, epithymi, cuscutæ, caprifolii, cardiacæ, chærefolii, fumariæ, lupuli, marrubii aquatici, scolopendrii; *floribus* centaurii minoris. Postea iteretur pulvis, vel infusum hellebori nigri. Emplastrum applicetur de cicutâ oleo capparum imbutum. Si *inflammatio* hic se infert, pulsatione sinistri hypochondrii extra vehementius exercitium internoscenda, post missionem sanguinis, & hirudines hæmorrhoidum regioni applicandas, frequens usus sit *conservæ* radicis cichorii, taraxici, graminis, *infusi* herbæ endiviæ, lactucæ, fumariæ; neque negligatur emplastrum de cicuta. Si lieni accidat *tumor, & durities*, quam *schirrhum* vocant, ab humore crasso per calorem loci præternaturalem compacto, idem prodest emplastrum, & subinde loco ejus splen bovis recens impositus. Interiùs agendum extracto

hellebori

hellebori nigri, infuso *radicis* polypodii, filicis, *herbæ* scolopendriæ, ceterach, fumariæ, cuscutæ, aparines, lamii albi, *corticis* tamarisci, corticis radicum capparum, tamarisci, &, si necesse est, chalybeiis.

In *affectione hypochondriacâ* (ubi humorum tartareorum, & præcipuè acidorum in hypochondriis circa lienem, colligitur saburra, quæ flatus, ructus, gravitatem corporis, tristitiam generat) post purgationem per extr. radic. hellebori nigri, polypodii, &c. fiat infusum aperiens quotidianum ex *radice* filicis, cichorii, taraxici, scorzon. Amagricæ, *herbâ* scolopendriæ, fumariæ, cuscutæ, marrubii nigri, melissæ, chamædryos, *floribus* borraginis, & bugloss in sero lactis, cui addere licet succum pomorum subacidorum, cum tantillo essentiæ persicariæ maculosæ. Profuerit hic quoque extractum absinthii, gentianæ, centaurii minoris, corticis aurant. & citri, nisi æger sit temperamenti oppidò bilioso. Quin & pleraque huc referri merentur, quæ in obstructione lienis jam ante laudata sunt.

In *scorbuto* (ubi massa sanguinea æeris, & alimentorum crassiorum vitio, intra vasa sua nonnihil corrumpitur, sed præcipuè extra penetrans & stagnans, unde fœtor oris, & tumor gingivarum, pedum, quandoque & abdominis, maculis hinc inde subluvidis & asthmate comitata) ut humores corporis motu segnes, & corrupti partim excludantur, partim recreentur, id agendum, ut post missiones sanguinis, si aliquid simul plethoræ adfuerit, infusum præparetur ope seri lactis aperiens & specificum, ex *radice* hellebori nigri, polypodii, bryoniæ, chelidonii minoris, raphani majoris & marini, scorzoneræ Amagricæ,

gricæ, morsus diaboli, & præcipuè hydrolapathi nigri longifolii Muntingii; *herbâ* trifolii palustris, salviæ, betonicæ, fumariæ, carduibenedicti, halymi, brassicæ rubræ, lactucæ agninæ; *floribus* genistæ, rosæ caninæ; *semine* erucæ, sinapios, cochleariæ, nasturtii hyberni; *fructu* chamæmori Norvvegici, myrtillorum rubrorum. Vel paretur *extractum* ex comis absinthii, centaurii minoris, becabungę, rad. gentianę cum succo acetosæ; & vel aqua, vel spiritus, item succus recens ex cochleariâ, nasturtio aquatico, sisymbrio cardamine, becabungâ, thlaspi acerrimo. Præmisso cathartico convenit quoque cerevisia, cui coni abietis, & pini appendices incoctę sunt. Quin Belovius Medicus se totas legiones sanâsse scribit cerevisiâ, cui sedum vermiculare incoctum fuit, & crura ulceribus scorbuticis fœda eodem lavacro; cui tamen non iniquè addideris folia absinthii, & becabungę cum manipulo ciner. faginorum. Sudorem eliciunt salia absinthii, centaurii min. carduibenedicti in aquâ sambuci, propinata.

In *calculo renum* (qui à strictioribus vasorum, in renibus, tubulis, nutrimento crassiori, arenulis sese æquali facie jungentibus generatur) non incipiendum à vehementer expellentibus, sed ab iis, quę moderatè pellunt, & simul laxant vias, ut *radicibus* asparagi, graminis, chęrefolii, liquiritię, *herbis* virgę aureę, hederę terrestris, veronicę; *floribus* parietarię, malvę, althęę, genistę, *fructibus* fragorum, cynosbati, halicacabi; *semine* violar. Martiarum, chęrefolii, lini, malvę; *gummi* cerasorum in aquâ petroselini dissoluto; *clysteribus* ex malvâ, parietariâ, verbasco, semine fęnigręci, althęę. Loco affecto ex iisdem plantis,

plantis, & seminibus apponenda epithemata calidiuscula; quin & eadem opportunè hîc balneis inserviunt. Propinandum autem interea subinde vinum mitius, & oleo amygd. dulcium temperatum, ut ductus aperti lubricentur, & mitigetur impetus calculi. 2. *Si pellore validiùs necesse est*, ministrabunt *radices* petroselini, bardanę, pimpinellę saxifragę, valerianę hortensis, filipendulę, filicis, raphani majoris, ononidis; *herbæ* artemisię rubrę, becabungę, chamęmeli vulg. Knavvel, geran. columbini, nasturtii aquatici & hyberni, persicarię maculosę, serpilli, lycopodii, perchepierre, herniarię, philanthropi; *flores* caprifolii, saxifragę aureę, *capita* allii; *semina* petroselini, fraxini, bardanę, milii solis, urticę urentis, cicerum rubrorum, baccæ juniperi, sorbi. 3. Adhuc fortiùs pellit spiritus terebinthinae, ol. juniperi, chamaemeli cœruleum, petroselini; *sal lixivus* ononidis, fraxini, genistae, stipitum fabarum, sal volatilis urinae, cornu cervi. 4. Sunt qui hîc inter specifica numerant lignum nephriticum, auriculam muris, anserinam, & pręcipuè muscum saxatilem flavum hydromeliti infusum. 5. Inunctiones frequententur ex ol. chamaem. ex liliis alb. & scorpionibus cocto. De infuso silicum albarum, & recto cucurbitularum vitrearum usu in hoc malo, alibi.

In *ulceribus renum, & vesicæ* (quę à calculis, humoribus acribus, cibariis acidis nonnunquam solent excitari) accommodatissimum pharmacum est, praeter terebinthinam Cypriam, infusum *herbæ* veronicae, equiseti, auriculae muris, hederae terrestris, musci saxatilis flavi; *florum*, & seminum malvae, sem. papaveris albi, flor. althęae, rosarum rubrarum, & praecipuè florum, & seminis hyperici,

unde

unde & pro arbitrio pulveres, aquæ, electuaria præparentur.

In *vesicæ calculo* eadem opem pollicentur, quæ in calculo renum: sed præterea ex infusis memoratarum plantarum commodè satis fieri possunt injectiones in vesicam per siphonem catheteri junctum.

In *inflammatione vesicæ* succurrit emulsio ex semine cucumeris, cucurbitæ, melonum, papaveris albi, cremore nucum avellanarum, cum decocto hordei, & aquâ plantaginis. In *vesicæ scabie*, quæ gravi odore, & sedimento furfuroso se prodit, originemque debet humoribus salsis & acribus, item cantharidibus corpori applicatis: eadem emulsio salutaris est, item aqua endiviæ, lactucæ, nymphææ albæ, equiseti, fl. hyperici. Injectiones & hic fiant ex aquâ malvæ, parietariæ, fol. quercus cum tantillo albuminis ovorum. Quod si malum pertinax, addendum infusum virgæ aureæ, saniculæ, plantaginis, millefolii, ulmariæ, alkimillæ.

In *urinæ incontinentiâ* (quæ ab acri urinâ, calculo acutiori, sphincteris vesicæ mollitie, nervorum paralysi, ulcere vesicæ nascitur) laudantur illa omnia, quæ ulceribus renum, & vesicae mederi solent; denique & hîc laudem meretur conserva summitatum agrimoniae, & seminis plantaginis cum pulvere ligni aloës, & ligni mastichini. Ut taceam auxilium, quod vinum chalybëium, & acidulae ferratae promittunt.

In *diabete*, sive celerrimâ, & copiosissimâ urinae excretione, à laxitate, & debilitate tubulorum renum, & acrimoniâ pertundentis seri exortâ, itur meritò adleniter adstringentia (in quibus est conserva rosar. rubrarum, cydonia condita,

condita, & cum tantillo laudani opiati, si res opem poscat, remista; vel fiat infusum ex *radice* tormentillæ, bistortæ, bellidis, *herbâ* virgæ aureæ, nummulariæ, hederæ terrestris, *semine* lini, hyperici, papaveris albi; item prodest lac, in qvo ardens chalybs, vel silices candentes restincti sunt.

In *ischuriâ*, sive suppressione urinæ à calculo, pituitâ, paralysi nervi sphincterem regentis, obstructione renum, concreto sangvine, si *calculus* se prodit, cathetere opus est; si *pituita*, aut sangvis concretus, aut obstructio, juvat spiritus fragorum cum spir. salis armoniaci aromatico, item balnea, fomenta, diuretica, acidulæ; si *sphincter relaxatus*, grana juniperi, mastiche, item *radix* bryoniæ, liliorum alborum, pimpinellæ saxifragæ, rubiæ tinctorum, ononidis, taraxici, petroselini, pastinacæ sylvestris; *herba* salviæ, branchæ ursinæ, pulvis flavus lycopodii; *flores* caprifolii, linariæ, perchepierre; sal juniperi, genistæ, ononidis, fraxini. Clysteres adhibeantur ex *radice* bryoniæ, herb. majoranæ, serpilli, *semine* dauci, *herbâ* parietariæ, *floribus* meliloti, verbasci, althææ. Salia tamen lixiva ononidis, juniperi, &c. ut & sal volatile succini hîc regnant.

In *dysuriâ*, (qvando urina velut ardens, jam pauca, jam copiosa, sed cum insigni dolore redditur) removendæ causæ: *si malum est à calculo*, is excutiendus, ut in *calculi* curâ dictum; *si ab acri pituitâ*, propinetur terebinthina, vel ex aqvâ petroselini, fragorum, halicacabi cum syr. althææ julapium: *si ab admotu cantharidum*, proderit emulsio ex sem. cucum. cucurb. melon. papav. albi; item lac bibitum liberaliùs, præsertim si accesserit aliqva vesica inflammatio.

In *stranguriâ* (sive perpetuo reddendæ urinæ conatu, ubi tamen non excernitur nisi paucum, & id sæpius cum dolore) causa mali acrimonia plerumqve seri est aut acida, aut salsa spincterem irritans; aliqvando tamen & renes purulenti, potus frigidior, & fæculentus. Si *ab acrimonia seri*, vel saliâ, vel acidâ nascitur, convenit serum lactis, hordeacea, emulsiones ex seminibus frigidis, vinum malvativum, cibaria ex ovis sorbilib. amygdalis, oryzâ, qvæ acrimoniam obtundunt; *si à renibus pure flagrantibus*, terebinthîa Cypria, succus glycyrrhizæ, infusum conorum abietis; *si à potu fæculento, frigido*, aut aliter vitiato, vinum cui sabina incocta, aut cardamomum, aut nux moschata intrita: item semen convolvuli, infusum *rad.* graminis, *herbæ* conyzæ, lactucæ, sonchi asperi, & lævis, flores bismalvæ. Decoctum etiam cicerum rubrorum convenit cum guttis qvinqve olei ceræ; item tinctura corticis arantiorum per spir. sal. armoniac. urinosum prolecta. Umbilico affricatur hircina pingvedo, aut bubula calidâ cum tantillo olei anethi, aut ceræ. Si malum persistit, veniendum ad clysteres, & evacuantia.

In *mictu cruento* (qvi à vasis alicujus sangvinei in renibus erosione, aut relaxatione, ex casu, calculo, urinæ acrimoniâ solet contingere) post missionem sangvinis revulsivam in brachio, utilis est terebinthina succo glycyrrhizæ temperata; item *radix* symphuti majoris, pimpinellæ sangvisorbæ, *herbæ* agritonia, millefolium, bursa pastoris, coronopus, prunella, veronica, *semen* plantaginis, & præcipuè virga aurea, sive infusum ejus. *Si purulentum qvid prodit*, in terebinthinâ, virgâ aureâ, & saniculâ auxilium reperitur.

In

In *testibus, scroto virgâ* si oriatur inflammatio, sopitur illa diæta ad frigidum inclinante, incoctâ jusculis tenuibus lactucâ, portulacâ, crassulâ, & nymphææ albæ floribus cum tantillo aceti, aut succi citri; conveniunt ex iisdem cataplasmata lacte tepido excepta. *Et si tumor calens jungitur*, addenda *folia* salicis, & tota planta herbæ puris, *flores* senecionis, linariæ, agrimoniæ, ebuli, *farina* hordei & fabarum, cæpa itidem contusa, permista: ex qvibus aceto, vinoqve incoctis fiat epithema identidem applicandum. *Si inflantur simul partes*, convenit ex herb. & seminib. carminantibus, & foliis hyoscyami cataplasma; *si laborant intemperie frigidâ*, cibaria temperentur calefacientibus, salviâ, betonicâ, roremarino, majoranâ, thymo, semine urticæ; exteriùs serviet ol. coctum anethi, erucæ, serpilli, formicarum. *Ulcera*, si qvæ adsunt, laventur decocto fol. qvercus, rosarum, veronicæ, plantaginis, saniculæ, geranii vulg. malvæ; *excoriatio* sanatur insperso pulvere thuris abiegni, farinâ triticea, muscо qverno, item radice aristolochiæ rotundæ, in pulverem minutissimum comminutis, insperssisqve inter capta linea. Ulcera sordida, præsertim Venera inmeatu urinario, manum reqvirunt chirurgi.

In *genitalium debilitate*, ex jejuniis, vigiliis, frigidâ intemperie, senio, convenit radix satyrii gravior, radix eryngii, radix, & semen dauci, semen fraxini, erucæ, urticæ sinapios, floris solis Canadensis, fungus cervinus, unde conservæ, condita, electuaria cum cubebis præparentur. Jusculis omnibus incoqvantur radices sisari. Inter peregrina laudatur succolata Inda. In *salacitate nimiâ* utendum refrigerantibus, & absumentibus semen, ut lactucâ, & semine ejus, nymphæâ albâ, ejusqve semine, menthâ

crispâ, rutâ, & semine ejusdem, deniqve planta tota, & semine agni casti, nitro. Diæta sit tenuis, ad acidum inclinans, & frigidior, sangvis mittatur subinde, & genitalibus admoveatur empl. ex saccharo saturni aut minio.

In *gonorrhœâ simplici* viris & fœminis communi (ortâ sive ex usu veneris effusiori, sive vitio seminis acrioris, sive debilitate partium, & nonnunqvam nimiâ laxitate vesicularum seminariarum, immò earundem, & glandulæ, qvam veru montanum vocant, ulcere) convenit post leve chatarticum usus leniter adstringentium, inter qvæ præcipuè hîc regnat terebinthina, primùm qvidem illota, postea verò in aqvâ plantaginis probè abluta, & cum succo, aut pulvere glycyrhiza sæpius hausta. Succedit *radix* pentaphylli, cynoglossæ, *herba* bursæ pastoris, philanthropi, *semen* erysimi, brassicæ, plantaginis, cannabis, lactucæ, *baccæ* cynosbati, pulvis in aversâ facie foliorum scolopendriæ collectus; *decoctum* foliorum qvercûs, & ligni gvajaci; inprimis succini flavi pulvis sæpè propinatus, item oleum succini cum tantillo olei acori permistum. In *virulentâ* autem (qvæ plerumqve ab impuro concubitu) si duravit aliqvandiu, licet post rhabarbari, & terebinthinæ usum præstent aliqvid lignorum, & radicum adstingentium decocta, tutiùs tamen pilulis terebinthinæ adjicitur Mercurius dulcis, & subinde balsamum copaivæ.

In *malis uteri* primùm se offert *intemperies*, qvæ si *calida*, sedatur post universalia, refrigerante diætâ, injectione decocti rad. & seminis plantaginis, crassulæ, nymphææ albæ. Si *frigida*, restituitur usu *radicis* eryngii, angelicæ, aristol. rotundæ, *herbæ* pulegii, salviæ, matricariæ, *semine* cari, cumini, anethi, serpilli, *baccarum lauri*, & juniperi,

niperi. Si *humida* (qvæ sæpe abortus, & sterilitatis causa) diæta sit siccior, potus parcior; laudatur freqvens infusum salviæ, rorismarini, musci qverni, & saxei flavi, item succinum. Admittatur per infundibulum fumus ex myrrhâ, succino, salviâ, addito sulphuris momento. Si *ficca*, humectandum borragine, bugloſsâ, violis Martiis, mercuriali, althæâ, medullâ crurum vituli, pingvibus jusculis, balneis aqvæ dulcis.

In *cervice uteri* qvandoqve apparent *ulcera* (qvæ produntur dolore, morsu, nonnunqvam sanie & sangvine, mictu crebro, & ardente, ubi post levem evacuationem fiat injectio ex *herbâ* veronicæ, plantaginis, eqviseti, foliis qvercus, *floribus* hyperici, lacte chalybeio, oleo hyperici cocto: qvæ & in infuso locum habent per os. Si *ulcus simpliciter sordidum* est, fiant injectiones primæ ex aqvâ absinthii, veronicæ, in qvâ aloe priùs macerata; si unà *Venereum*, itur interiùs ad Mercurium dulcem terebinthinæ pilulis remistum, & decoctum lignorum; post cætera satisfaciunt.

In *schirrho uteri*, post universalia freqvens usus esto radicis bryoniæ, moderatus aristolochiæ rotundæ, & seminis lini: chalybs hîc, & acidulæ ferratæ regnant. Plura huc spectantia petenda sunt ex superiùs dictis de schirro lienis. In *hydrope uterino* nihil utilius chalybeiis, item sale geniniſtæ ononidis, stipitum fabarum, juniperi, succo iridis cœruleæ nostratis.

In *uteri procidentiâ* (qvæ sæpius vaginæ est, aliqvando ipsius corporis uteri ad labra usqve pudendi, immò ultra, & nonnunqvam cum inversione ejusdem, prolapsus) causa mala est ligamentorum plerumqve laxitas, subinde semiruptura, aut erosio ab humoribus acribus, longo, &

fœtido albi fluore, item gravi puerperio inducta. Hîc ante omnia, partes qvæ exciderunt, in locum ſuum reponendę, & qvidem ope lintei mollis, ubi priùs vino rubro dilutiori tepido convenienter foveris. Mox imbuenda oleo roſato tepenti vagina, qvod tamen abſtergendum iterum non ita multò poſt, metu recidivę. Poſtea immittendum peſſarium triqvetrum obtuſius, vel circulare in medio pertuſum ut uterus in ſitu nativo retineatur. Paratur illud ex ſubere, & cerâ albâ inducitur. Alii ante repoſitionem fovent adſtringentibus, & ſuffitu pellis angvillę ſalitę. Nonnulli vaginam priùs eluunt infuſo fl. chamęmeli, poſtea decocto fol. qvercus, rad. bellidis min. pentaphylli, tormentillę cum albumine ovorum, fumumqve inſpirant ex thure & maſtiche, loco affecto ungventum Comitiſſę aſtricantes. Si malum chronicum, tutiùs itur ad peſſarium.

In *paſſione hyſtericâ* dictâ, ſeu *uterinâ ſuffocatione* colluvies adeſt humorum vitioſorum acrimoniâ, & pręcipuè auſteritate peccantium, qvi non in ſolo utero, ſed & ſæpè hęrent in hypochondriis, (unde viri etiam qvandoqve ſimili malo tentantur) gignuntqve motus convulſivos epilepticis ſimiles, deliqvia ſenſuum, ceſſationes pulſus, reſpirationem interceptam, anxietates, & in faucibus ipſis qvandoqve periculum velut ſtrangulationis. Hîc poſt miſſionem ſangvinis in talo, ſi plethorica aegra, admovendus naribus pennarum perdicum, ſuccini, capillorum, caſtorei, panni cœrulei ardentis nidor, tabaci, fuliginis, aut ſulphuris fumus, ſpiritûs ſalis armoniaci urinoſi vapor; aut ſi neceſſe, ſvaveolentia genitalibus. Titillentur & pedum inferna. Soluto paroxysmo, poſt leve catharticum, agendum *extracto* bryonię, artemiſię,

matri-

matricarię; aut si aegra nimio abundat semine, extracto rutę, & semine agni casti. Prosunt & hic omnia antepileptica, item *radix* gentianę, fumarię bulboſę, petasitidis; *herba* melissę, pulegii, lamii flore albo, abrotani, cardiacę, sclareę, scolopendrii, boni Henrici; *semen* davci, pastinacę hortensis. Pedibus balneum subinde paretur ex menthâ cattariâ, cotulâ fœtidâ, artemisiâ. Qvin & allium contulum, durante paroxysmo, applicetur umbilico.

In *furore uterinò*, immoderatus adest Veneris appetitus, usqve ad insaniam vehemens, natus à copiâ, calore, acrimoniâ seminis; proinde mittendus statim sangvis, & qvidem sæpius; utendum diætâ frigidâ, & humectante; agendum emulsione seminis cucum. cucurb. melonum, papaveris albi, cannabis, agni casti, plantaginis in aqvâ nymphęę albæ, portulacę, lactucę. Nihil hic ferè potentius nitro puro in aqva lactucę, & syrupo violarum propinato. Exteriùs utilis qvoqve est sal saturni in aceto rosarum dissolutus; & interiùs, exteriusq; camphora.

In *mensium suppressione*, noto malo, qvod à viarum angustia, morbo, sangvinis defectu, aut crassitie, mœstitia, frigore &c. proficiscitur, si plethora adest, mittendus è pede sangvis; hinc utendum prępparantibus, infuso matricarię, pulegii, sabinę, radicis bryonię, seminis davci, & nepetę. Seqvatur catharticum lenius ex hellebori nigri, polypodii, epithymi, seminis violarum Martiarum infuso; postea insistatur *sale* artemisię subflavo, *radice* angelicę, pimpinellę saxifragę, rubię tinctorum, aristolochię rotundę, eryngii, iteros nostratis, valerianę hortensis gentianę; *herbâ* melissę, hormini, marrubii albi, satureję, cardiacæ, menthæ, eryngii, thymi, artemisiæ rubræ chærefolii, roris-

rorismarini, origani, serpilli; *flore* consolidæ regalis, croci, anthos, centaurii minoris, bugloſſæ, conyzæ; *semine* petroſelini, tanaceti, thlaspios acerrimi, angelicæ, daveci, robſambuci recentis; ex qvibus fiunt aqvæ infuſa, ſalia, pulveres, balnea. *Qvando inordinatè fluunt menſes*, aut fœdo apparent colore, poſt uſum rhabarbari, chalybeia, & acidulæ opem pollicentur.

In *nimio menſium fluxu* qvi accidit ob acrimoniam ſangvinis, ſeri ejus copiam, uteri, aut vaſorum ejusdem nimiam laxitatem, poſt leve catharticum ex rhabarbaro, convenit *radix* filipendulæ, caryophyllatæ, pimpinellæ ſangviſorbæ, ulmariæ, gladioli lutei; herba, millefolii, gnaphalii albi, lunariæ, muſci qverni, lyſimachiæ cœruleæ cum floribus, anſerinæ, alkimillæ; *ſemen* papaveris albi, portulacæ, cydoniorum. ſuccinum, chalybeia.

In *fluore albo*, ſive inordinatâ humoris excrementii decoloris, & nonnunqvam fœtentis, immò purulenti per vaginam excretione, cauſa mali in ſangvine impuro eſt, cujus vitioſum ſerum vaginæ glandulas, qvandoqve & uteri inficit, dilatat, corrumpit. Hîc poſt rhabarbari uſum repetitum, proderit terebinthina Cypria; item *radix* bryoniæ, pimpinellæ ſangviſorbæ, polygonati, chelidonii minoris, filipendulæ; *herba* fragariæ, urticæ mortuæ albo flore, ſideritis vulgaris hirſutæ, paronychiæ rutaceo folio; ſemen hyperici, *flores* cynosbati, & tandem, ſi opus, chalybeia. *Si ſola feri erumpentis acrimonia* peccat, juvat freqvens uſus emulſionis ex ſemine melonum, & poſtea freqvens uſus ſuccini.

In *morbo virgineo*, qvem febrim albam, amatoriam, chloroſin appellant, id conandum, ut nimia in ſangvine pituita, qvæ obſtructionem vaſorum in utero capillarium peperit,

peperit, excludatur, & vasa iterum opportunè aperiantur; id qvod præstant ea, qvæ superiùs *adversùs suppressionem mensium* laudata sunt; item *radix* scorzoneræ Hispanicæ, cichorii, taraxici, *flores*, & *semen* hyperici, vinum radice helenij temperatum. Si pertinax malum, nihil efficacius chalybe.

In *sterilitate* fæmineâ, sive impotentiâ concipiendi, *si malum est à nimiùm clausis genitalibus*, advocandæ turundæ, vel pessaria sensim crescentia, & nonnunqvam ferrum chirurgi; *si ab uteri frigidioris, & humidioris debilitate* qvod sæpius contingit, post lenes aliqvot per rhabarbarum evacuationes agendum *radice* eryngij, cichorij, bryoniæ, satyrij; *herbâ* roristmarinj, salviæ, melissæ, majoranæ, hormini, nepetæ, foliis myrti, veronicæ, (qvæ vel sola qvandoq; auxilio fuit) *semine* pæoniæ maris, ammios; si *ab obesitate nimiâ* diætâ tenuiori, & ligni gvajaci, atq; sassafras decocto; *si ab albo fluore pertinaciore*, iis, qvæ jam antè in hoc affectu laudata sunt; *si ova exsucca*, agendum cibis optimi nutrimenti, vino generosiori, cinarâ electuario piasatyrij; *si duriori membranâ tecta* malum ferè immedicabile est, nisi qvid sal volatile succini præstet.

In *fœtu mortuo secundinis, & lochiis expellendis radix* aristolochiæ rotundæ efficax est, *radix* idem levistici, horminum, nepeta, melissa, chamæpitys, *semen* petroselini, pæoniæ maris, & præcipuè lavendulæ; ut crocus, myrrha, & borax tanqvam exotica hîc prætereantur.

In

In *molâ*, sive informi massâ careâ fibris rariis confusè errantibus horrente, & vitio vel seminis virilis, vel humorum in utero subacidorum, loco justi infantis conceptâ, & auctâ, tutissimum est crisin naturæ exspectare, antequam ad expellentia veniatur; licet enim gravitas insveta, situs, distensio, & figura exterior ventris, defectus lactis in mammis, alia, præsentiam degeneris saburræ videantur persvadere, sæpe tamen justum fœtum adesse docet eventus; aliqvando simul cum molâ fœtus in eodem cubili latat, & â partu demum excluditur. Qvòd si omnia autem molam tantùm adesse liqvidò testentur, post missionem sangvinis è talo, utendum iis, pvæ jam ante *suppressioni mensium* tollendæ destinata sunt.

In *partu difficili*, nihil temere pharmacorum propinandum, antequam constiterit, apertum esse qvodammodo uteri orificium, & fœtum legitimo situ, aqvisq; ad loca tumentibus exitum parare; qvo cognito, juvandus parturientis conatus, si nec infans satis ad perrumpendum validus, nec fatigata mater ad juvandum satis accincta, & qvidem *radice* aristolochiæ rotundæ: *decocto* herbæ artemisiæ rubræ, marrupij albi, matricariæ, cardiacæ, consolidæ Regalis; *pulvere* seminis lavendulæ aqvilegiæ, dauci, milij solis: matrisylva conqvassata supponatur pedibus; ex bonyzâ totâ fiat palneum pedum. Qvin & infusum seminis lini supra, infraq; ingestum lubricat vias. Efficaciùs hîc agit oleum succini albi, sabinæ, ligni colurni, in aqvâ pulegij, melissæ, cinnamomi. Inter specifica numerant boletum cervinum.

In

In *arthritide*(qvæ naſcitur ab humore acri, immò acidulo extra vaſa ſangvinea nimis in extremitatibus laxa,& flaccida elapſo,& membranas ſibi vicinas, atq; perioſtia affligente ; cauſamq; agnoſcit,præter diſpoſitionem à parentibus relictam,diætæ vitium,vina acidiora,clace,tartaro, eruditate noxia, ſedentariam vitam, animi pathemata) remedium optimum eſt,accuratam in edendo,bibendoq; legem ſibi imperare,acidis parcè uti diureticis pleniùs; rarò enim, qvibus liberaliter fluit lotium,hoc malo tentantur. Proinde cereviſia herbâ betonicæ, floribus virgæ aureæ,& ſemine dauci condiatur,vinum radice,& ſemine leviſtici. Ex plantis,qvæ huic affectui medentur,occurrit *radix* bryoniæ albæ, angelicæ ſylveſtris, leviſtici, vincetoxici, taraxici, ariſtolochiæ rot. hellebori nigri, lappæ flava, polypodij, aſari, helenij, ranunculi bulboſi, artemiſiæ, *qvæ vias aperiunt urinæ, nè ſerum in alveos peregrinos irrumpat. Idem præſtāt herba* trifolij paluſtris, pulegium, chamædrys, chamæpitys, *flores* primulæ veris, ſambuci, ebuli, hyperici, anagallidis fl. phœniceo, *bacca* halicacabi, juniperi, cynosbati, *ſenem* dauci, leviſtici, chalaſpi acerrimi, bardanæ, & fere omnia antiſcorbutica. *Vaſa flaccida roborant etiam ex antedictis non pauca,* & præterea *radix* ſigilli Salomonis ſymphyti maj. filipendulæ, pentaphylli, caryophyllatæ, *ſtrobyli* pine, & abietes. *Dolores mitigant* cataplaſmata ex herbâ ſenecionis, pingviculæ Cluſij, parietariæ, boni Henrici, algæ vulgaris viridis, *floribus* althææ, ſymphyti majoris, malve, ſambuci, ebuli, jacobææ, tanceti, ſemine lini, cannabis, tritici.

„*Ex his omnibus freqventior vsus esto radicis*, & seminis levistici, *herbæ* chamædryos, chamæpityos, trifolij fibrini, „betonicæ, fl. virgæ aureæ, hyperici, *strobylorum* abietis, & *seminis* dauci, ex quorum decocto, aut infuso fiunt diuretica, sudorifera, roborantia; quorum & efficacia intendi potest addito sale ononidis, genistæ, juniperi, item „sale volatili Cornu Cervi, & præcipuè succini flavo, qui „& partibus salinis diureticus est, & oleosis balsamicus, atque roborans. Non magnopere interest specierum arthritidis, podagræ, chiragræ, gonagræ, ischiadis, arthritidis vagæ, meminisse, cùm eodem ferè modo percurentur; nisi quòd *arthritis vaga* sit quasi ante ambulo reliquarum, & antiscorbuticis ferè tollatur, servatis diætæ strictioris legibus.

In *Lue Venereâ* (qvæ nascitur ex humore virulento, acri, & acido corrodente, unde dolores artuum, ulcera faciei, frontis, nasi, sæpe etiam bubones, & gonorrhœa pertinax; causamqve agnoscit, impurum plerumqve concubitum, aut cum infectis familiarius commercium, unde, non rarò sævit contagione) si recens est, & nondum vires collegit, laudantur statim sudorifera diu continuata „ex decocto, vel infuso *radicis* pimpinellę saxifragæ, mor„sùs diaboli, lapathi flavi, cichorij, *herbæ* scordij, fumarię, „agrimoniæ, saponarię, *florum* pruni sylvestris, *conorum*, abietis, *baccarum* juniperi, foliorum buxi, corticis ligni qverni, ligni gvajaci, sassafras, & eorundem spiritibus, atque extractis salibus qvoqve diureticis juniperi, ononidis, genistæ, item volatilibus; verùm si invaluit malum,

fer-

ſerpſitqve latiùs, vix unqvam curatur, niſi ptyelismo per Mercurium, qvi *leniùs* agit, ſi dulcis eſt; *validiùs*, ſi in præcipitatum, aut turbith redactus, aut cum pingvedine illitus, aut deniqve in fumum converſus.

In *morbis à veneno foſſilium*, aqva *fortis* imprudenter hauſta infringitur liberali potu lactis, item mucilagine ſeminis cydoniorum, & gummi tragacanthi; *fumus Antimonij* butyro infuſo, & rutæ infuſo; *arſenicum auripigmentum, ſandaracha* largâ potione butyri infuſi, & olei amygd. dulcium, vel olei pini nucleis expreſſi cum aqvâ tepidâ, ut vomitus ſeqvatur, item mucilagini ſeminis pſyllij, & cydoniorum; item cryſtallo Norvvegicâ; *Mercurius ſublimatus* lixivio fagino, aut qverno dilutiori propinato; *Mercurius vivus* inter inaurandum ſuffitu naribus, & poris corporis exceptus ſudorifero iterato ex decocto radicis pimpinellæ ſaxifragæ.

In *morbis à veneno vegetabilium*, hauſtus *napellus* corrigitur ſubito vomitu ex oleo communi, & aqvâ tepidâ, atq, mox infuſo ſcordij, vel theriacæ, item terrâ noſtrâ ſigillatâ Clacherenſi; *tumor capitis inde exortus* affricto hyperici oleo; *laureola* infuſo ſcordij; *hyſcyamus* rutâ, ſemine dauci, & urticæ; *radix cicutæ, cicutariæ maculoſæ, œnamthes, Chriſtophorianæ, nymphææ flavæ*, it. *opium nimium* aceto rutaceto, ſemine urticæ; *nux vomica* ſucco citri, & cydoniorum; *fungi venenati* lixivio fagino dilutiori cum hydromelite, item theriacâ.

In *morbis à veneno animalium, morſus viperæ, & ſerpentis* curratur affrictu ſubito porri, decocto abſinthij, radicis

vincetoxici, seminis fraxini, item cataplasmate ex bono Henrico; *ictus scorpionis* salviâ, absinthio, scordio, rad. gentianh; *morsus lacertæ* cucurbitulâ primùm carni sacrificatæ impositâ, hinc decocto rutæ, gentianę, allij, propinato, & affricto; & methodus in morsu aliarum bestiarum venenetarum pariter succedit, *morsus hirundinis spuriæ* cataplasmate ex agrimoniâ; si penetravit intestinum rectum addendus clyster ex infuso cæpæ; *virus rubetæ*, decocto rutæ, scordij, Orvietano; *venenum aranea* primùm qvidem subito vomitu, hinc scordij, & carduibenedicti decocto, theriacâ: *si plagam inflixit*, perfricanda illa erit aqvilâ salsâ. Sed & in universum, „omnes venenatorum animalium ictus sanantur ferro „candente, anteqvam serpserit malum, vel applicito, vel ita supra suspenso, ut plaga sentiat validum fervoris impetum, qvo facto particulæ veneni spiculis suis exuuntur, & lædere desinunt. Alij in ictu serpentum ferro candenti oleum petræ affundunt, eoqve fumo locum fovent, atq; ita venenum exarmant.

Seqvuntur ex plantis indigentis *pharmaca*, qvæ *universalia* Medicis appellantur, in qvibus nec adeo infœcunda est tellus vernacula, ut non suppeditet *purgantia, clysmatica, sudorifera, emetica, alia.* Et qvidem inter cathartica, sive purgantia.

Purgat lentam, & tenacem pituitam cortex radicis esulæ maj. ad scrup. ij.

pituitam, & bilem flavam radix polypodij ad drach. ij.

bilem *flavam & adustam* hausfus largior decocti fumariæ.

pitui-

pituitam, & bilem flavam semen atriplicis ad drachm. ij, vel drachm. iij.

flores polygalæ aq Mj. in sero lactis infusi.

baccæ rhammi cathartici in sero lactis infusæ.

glandes terrestres in sero lactis infusæ, qvandoqve ἄνω, & κάτω.

acini baccar. sambuci triti. ad drach.j.

prima folia sambuci adhuc in se involuta. ad drachm. ij.

juli juglandium siccati adj scrup. j. sæpe ajunt ἄνω, & κάτω.

seminis ocymastri infusi in sero lactis liberalis haustus.

pituitam, bilem, & serum asari folia, vel radix ad drachm.j. purgat sæpius ἄνω & κάτω.

bilem atram florum, & seminis violar. Martiarum, sero lactis infusi largior haustus.

radix hellebori nigri ad drachm.ß. cum corrigentibus.

extracti ejusdem ad scrup.j

epithymi in sero lactis infusi liberalis haustus.

pituitam, & serum radix byroniæ vino generoso sæpius infusa, & sæpius leniter exsiccata, ad drachm.j.

cortex rad. esulæ maj. ad scrup.ij.

acini ebuli ad drachm.j.

decocti pingviculæ Clusij plenior haustus.

Serum præcipuè succus iridis nostratis cœruleæ, ad cochleare unum, in sero lactis.

Horum

florum persicorum infusum in sero lactis modicus haustus.

Omnes humores purgat, sed paulò molestiùs cortex frangulæ ad drachm j. & in infuso modicus haust^s. radicis evpatorij cannabini infusum ad aliqvot unicas.

Ubi advertendum est, drachmam unam pulveris, in substantiâ propinati efficaciorem esse, qvam tres vel qvatuor, in largâ infusione, qvòd infuso non nisi partes expeditiores secùm initiò rapiat. 2. Purgantia hæc indigena minori molestiâ propinari in infusis, atqve addenda esse semina anisi, carvi, & si libet, aromatum qviddam, ut agant tranqvillius sine stomachi injuriâ. 3. Fatendum ingenuè, nos in Medicinâ ægre carere posse, ut glyzirrhizâ, tragacanthi gummi, succino, terebinthinâ, opio, aromatis nonnullis, chalybe, Mercurio, ita qvoqve sennâ, & rhabarbaro in classe purgantium, utcunqve sennæ vires apud nos imitentur in hortis freqventia coluthæ vesicariæ folia, & rhabarbari naturam succus radicis lappæ acutæ flavæ, item radix rhab. Monachorum aliqvatenus repræsentet; item folia & radices thalictri, si fides Palmeriò. 4. Ut infusorum vires facilè, & innoxiè intendantur, adjiciendum singulis dosibus salis ulmariæ, aut fraxini scrupulum, bibendumqve infusum calidius. 5. Pridie purgationis ad lubricandas vias non incommodè hauriri liberalius jusculum folijs malvæ, halymi, lactucæ agninæ imbutum.

Emetica, seu *vomitoria* nobis domestica, sunt folia & radices

dices afari, cortex frangulæ, hellebori nigri, & albi(sed albus ferocior est, ideoqve longè minor dosis conceditur) infusum sedi vermicularis, lageæ lupi, herbæ senecionis, corticis interioris sambuci, implicata in se foliola prima sambuci, & ebuli, herbæ impatientis, Knauvvel, julorum juglandium, radicis iridis nostratis cœrul. recentis, radicis raphani esculenti, foliorum viridium tabaci, de qvorum dosi ex purgantium articulo judicandum; nisi qvòd infusum foliorum tabaci violentius sit, atqve adeo minori dosi offerendum.

Clysteres emollientes conficiuntur ex *herbâ* malvæ, parietariæ, mercurialis, rumicis, thalpios scutati, violariæ, atriplicis, boni Henrici, *floribus* althææ, malvæ aboreſcentis, verbasci albi, *semine* lini; *carminantes* ex *floribus* chamameli, cotulæ fœtidæ, & inodoræ, marrubij albi, sambuci, origani, *radice* levistici, *seminibus* cari, cumini, anethi, dauci, anisi, fæniculi, angelicæ; *anodyni* ex *radice* althææ, malvæ, *floribus* verbasci, rosarum rubrarum, linariæ, *semine* lini, lini oleo, farinâ, aut furvuribus tritici cum lacte recenti. Dosis *emollientis*, aut *carminantis clysteris* rarò ultra unicas XIII. ascendat, anodyni vix ad x.

Diaphoretica, sive *sudorifera* sunt Rob sambuci, ebuli, juniperi, ad drachm. vi in proprijs aqvis stillatitijs dissolutum, spiritus sambuci atqve ebuli ad unc. ß. in aqvâ carduibenedicti, aut fumariæ, sal absinthij, juniperi, vinetoxici, fraxini ad scrup. ij. in aqvâ fœniculi, aut scordij, infusum radicis angelicæ, imperatoriæ, pesasitidis, scabiosæ &c. in aqvâ carduibenedicti ad modicum haustum.

Præter hæc universalia neqve desunt hîc, qvæ *aëris*, & *aqvæ vitia emendent*; nam, ut alia prætereantur, solus ligni juniperi, baccarumqve ejus fumus hoc præstat officium; aqva verò qvæ cruditate suâ, & fœtore sæpe totis legionibus pestifera est, corrigitur, si momentum radicis acori eidem primùm incoxeris, postea sine noxâ & bibitur, & incibaria transit.

Cosmetica nostratibus ministrat *radix* sigilli Salomonis, dracunculi aqvatici, lappæ minoris flavæ, liliorum alborum, pimpinellæ saxifragæ, *flores* pulsatillæ, hepaticæ nobilis, linariæ, fabarum, primulæ veris, ranunculi flammulæ, & ex his evolatæ destillando aqvæ; item aqva florum omnium. *Maculas faciei* è sole inustas abstergit aqva anserinæ, florum linariæ, felli bubulo permista, item succus brassicæ viridis, allij, betulæ. *Capillos in flavum colorem* reformat decoctum florum verbasci, lysimachiæ luteæ, stœchadis citrinæ, pingviculæ Clusij. *Firmat capillos* decoctum radicis nymphææ luteæ, radicis bardanæ, muscí qverni, capillorum Veneris, adianthi aurei, abrotani, liliorum alborum, cinis radicum harundinis vulgaris, cinis putaminum nucum. *Tineam capitis*, & *capillorum abigit* decoctum centaurii minoris, & urticæ urentis. *Plicam Polonicam* curat decoctum branchæ ursinæ & potum, & capillis affrictum, item decoctum lycopodij, qvod Lithuanis usitatum. Eidem malo occurritur oleo, qvod ex lycopodio, radice brioniæ, & adipe erinacei conficitur.

Veneficijs, & *fascinis*, qvæ vulgò æstimantur, medetur decoctum visci colurni, ex *Henrico ab Heer*, decoctum florum hype-

hyperici, ex *Paracelso* & *Carrichtero*, item baccæ herbæ Paris, amuleta ex herbâ thalictri, & floribus lysimachiæ purpureæ, secundùm *Pharamundum Rhumelium*. In hanc rem *Rajus Britannus: Non videmus*, inqvit, *cur herbæ non possint corrigere, & sanare morbos, qvos spiritus mali, humores corporis depravando intulerunt.*

Et hæc qvidem hactenus de plantis indigentis, earumqve in medendo viribus; nunc id unum reliqvum est, ut easdem sine apparatu operoso, & fructu nihilominus salutari, in usum oportunè vocemus. Proinde non est hîc instituti mei sive de communibus aqvis stillatitijs, oleis, spiritibus, qvi ex plerisqve fermentando elici consvevere, sive de solennibus plantarum decoctis, sive deniqve de lixivis earundem salibus tum fixis, tum volatibus Wedelianis prolixè differere; sed duas hîc vias aperire decretum est, non ita freqventi usu publico tritas, & tamen, ubi ad rerum testimonia venitur, humano generi impensè salutiferas.

Et qvidem prima via eò tendit, ut nihil plantis adjiciatur, nihil præter fæces, subtrahatur, nihil mucidum, verminosum, putre in iisdem, etiam asservatis qveat reperiri, sed virtus tota, qvantacunqve in eo germine delitescit, ad nutum parata imperium exspectet. *Clyssum* cum nonnullis vocamus, hac methodo obtinendum. ℞. plantam qvamlibet recentem, vel florem, vel semen, vel radicem, vel junctim hæc omnia, contunde in morario saxeo, aut ferreo, & mox, non exspectatâ fermentatione, ex cucurbitâ humili vitreâ, satis amplâ liqvorem omnem, qvi hoc modo elici potest, calore Balnei Mariæ, vase in arenâ udâ profundè sepulto evo-

clyssus pla

ca, & ad usum reserva. Notabis ex plerisqve prodire aqvam longè efficaciorem vulgaribus stillatitijs, & oleo sæpe comitatam. Qvo facto reliqvias plantæ jam siccessimas, adeoqve à putredine securas exime, & in thecâ ligneâ ad futuros usus custodi: qvoties autem ad utendum provocat necessitas, sicco huic magmati, qvantum libet, affunde aqvæ propriæ tantum, ut digno uno alterovè emineat, & in cinere calido per horæ qvadrantem relinqve; mox exprime succum validiùs, & si necesse, percola, ut per subsidentiam inclarescat: qvod clarum est, cum momento sacchari, si fastidiosus æger, vel cum jusculi triplo permisce, propina. Qvod adhuc in vase supereſt fæculentum, id clauso tilligo incluſum in cineres nigrantes perure factoq; inde lixivio salem flavescentem inde collectum vel succo superiùs expresso adjice, vel, si placet, seorsum conserva. Hac viâ nihil plantæ virium nativarum perierit, nihil in thecis pharmacopœi inutile, corrumvè invenietur. Nec metuendum in sapore empyrevma, si ex suppositis aqvis perpetuò madeat harena, in qvâ cucurbita fovetur. Hoc modo tot syrupi pharmacevtici, tot urceoli aqvarum inanium abdicari non injuriâ possent, & in modicis vitris custodiri lymphæ salubriores. Huic misturæ jam purissimæ, sive clysso si adjiciatur probæ notæ acetum, parabitur inde momento temporis, pro diversitate clysti, jam acetum scordij, jam rosarum, florum tunicæ, rubi idæi, salviæ, &c. Qvod si compositæ desiderentur misturæ, eadem & illæ facilitate transeunt in clysſos, qvâ plantæ simplices, per destillationem evocando simul ex pluribus, & pòst ad arbitrium cum succis suis spissatis jungendo, clarificando.

Perin-

Perinde autem proponendum fuerit, sive magna illud siccum in cucurbita post destillationem restitans, in thecis ligneis asservetur in usus, sive idem coctura statim in aqva fontana, & posteà lentâ evaporatione cogatur in crassamentum, rob dictum, atqve adeo in vitris ad subitum auxilium reponatur. Neqve juverit obduxisse, hic spiritus plantarum, ut efficacissima sanitatis instrumenta excludi; enimverò, qvo spiritus illi puriores sunt, hoc vehementiùs sæpe offendunt ægros, & spiritibus corporis nativis vim faciunt, cùm mistura hæc agat moderatè, & nihil adeo, si à prudente regatur, in corpore humano incendat. Plantæ aridiores, & semina exiguum qvidem liqvorem sibi exprimi destillando patiuntur, qvi vix suffecerit magmati satis irrigando, eoqve in hoc articulo, magma in cucurbitâ post destillationem reliqvum, aqvæ fontanæ incoqvendum est, & in Rob spissandum; qvo facto, poscente usu, liqvor ipsi nativus restituatur, ut in convenientem abeat consistentiam. Ratio autem, qvæ nos impellit ad eligenda potiùs flavescentia salia, qvàm alba illa, ut flammæ violentiâ diu perusta amiserint propemodum omnes plantæ vires, ut vocant, essentiales; flava verò ut in clauso vase ustulata plus olei, sulphurisqve nativi adhuc conservent. Certum qvidem est, parum salis hoc modo elici, sed id, qvod elicitur, tanto corpori suo deprehenditur accommodatius. Si qvis interea velit nigrans illud spissamentum posteà apertis subjicere flammis, plus eqvidem salis consequetur, sed virium plantæ nativarum minus.

Via secunda fructuosè utendi plantis, ad certum genus infusionis, vulgò dictæ, referri potest, sed qvod ipsum rarò

hactenus Medici in usum jam jam enarrandum vocavere, nisi in foliis sennæ ad purgandum sine torminibus sollicitè accommodandis: ubi folia illa non facilè jubent incoqui aperienti misturæ, sed misturam ferventem foliis frigidis superfundi; satis gnari, ebullitionem strenuam non convenire sennæ, quòd hoc pacto cum placidioribus partibus, ea quoque extrahat, quæ viscera arrodunt, & cient in corpore turbas, cùm infuso sola (unicâ & subitâ ebullitione, si necesse fuerit, comitata) illa duntaxat, quæ agunt mansvetiùs, & naturæ congruentiùs, soleat prolicere. Et hæc consvetudo iis hodiè familiaris est, qvi in Thée Indico & delitias, & sanitatem venantur; qvem morem cur non oporteat in usum qvoque popularem verti per alia terra germina, causam video omnino nullam, cùm & minori tædio similia infusa bibantur, & paucissimis hac ratione sanitas humana constet expensis. Spectamus qvotidie, qvàm ægrè decocta assumant ægri, qvam cito ab eorum usu, præ fastidio, desistant: iidem tamen cùm vident optimates, & divites qvotidiè plures Thee, Coffeeqve evacuare calices, non difficiliùs istuc inducuntur, ut in plantis vernaculis paulatim eorum seqvantur consvetudinem, qvàm atavorum memoriâ secuti sunt mores navarchorum, fœtidum illum ex Indis fumum tabaci in Europam asportantium; unde prima consvetudo ad purpuratos Lusitanorum, legatumqve Nicotium transijt, atqve ab ijs noviſſimè ad usqve militum, agricolarumqve etiam in septentrione plebeculam. Et hoc qvidem eò sperandum impensius, qvò certius est, fumum tabaci non facilè in Europâ invenire par succedaneum, Thée autem vicini à plantis

mor-

morborum, ceu appellant, ſpecificis pænè univerſis. Me-
qvod attinet, jam à pluribus annis, non ſine fructu eam in-
greſſus ſum medendi viam, nec facti pœnitet, qvòd morbos
alioqvi ferè interpugnabiles longo ejusmodi infuſi ſpecifici
uſu domitos ſæpe viderim. Neqve ratio in ambiguo eſt,
qvippe fervens illa aqva, dum cruditate jam per calorem
victâ plantæ convenienti ſuperfunditur, duo agit: neqve e-
nim tantùm vires ejusdem mobiliores, atqve excitatores ſu-
bitò arripit, ſecumqve concorporat, ſed & mox easdem cum
viſceribus immò ſangvine ægri communicat ita calentes, ut
eò faciliùs, feliciusqve obſtructiones, dum humores hoc
modo fluidiores reddit, qveat reſerare, & flaccidas organo-
rum partes firmare uberiùs. Qvò videri poſſunt, velut fugi-
ente oculo ſpectâſſe Veteres, cum ἀπ' ἀπορίαν laudarent, et-
iam nullâ plantarum admiſtione gravidam. Apparatus au-
tem ſimplicisſimus hic eſt: ℞. Aqvæ fontanæ, qvantum pla-
cet, probè incaleſcat ad ignem per horam unam, aut alte-
ram, mox plantæ convenientis malo, conciſæ drachmis
qvatuor, vel ſex tantum ejus adhuc ferventis affunde, ut ali-
qvot digitis emineat: duret hæc infuſio extra ignem ad qva-
drantem horæ, aut paullo ultra: interea nè ſegneſcat calor,
tantillum ſubinde ferventis illius aqvæ reliqvæ tum vaſculo
infundatur, tum affundatur liberaliter exteriùs. Ubi jam
ſubtiliorem plantæ virtutem aqva combibit, adeoqve flave-
ſcit ſatis, poculo excepta, qvantum commodè fieri poteſt,
hauritur caldiſſime, ad plures etiam cyathos, ſi id properan-
dæ ſanitatis cura perſvaſerit. Exempla aliqvot iſtiusmodi
infuſi, ſeu *Theè ſpecifici* mihi familiaria annectere forſan non
erit opere ſupervacuæ.

Thee

Thee Antipilepticum.

℞. *Rad. pœoniæ maris unc. j.*
valerianæ pratenſ. maj.
dentariæ,
filipendulæ,
imperatorib ana drachm. iij.
Fl. lilior. convall. Mj.
tiliæ.
calendulæ an. M. ß.
Baccar. herbæ Paris. P. j.
Viſci qverni recentioris unc. ß.
Sem. pœon. maris drachm. vj.

Inciſa, & contuſa in vitro aſſerventur in uſum qvotidianum. Egeni, qvibus apparatus ille multarum plantarum gravis eſt, vel ſolum millefolium, vel viſcum qvernum infundant aqvæ ferventi, & uſum ejus diu freqventent.

Thee Antiphiſicum.

℞. *Rad. tuſſilag. unc. j.*
althæ.
conſolid. maj.
Cortic. med ſalicis tenellæ an. drach. ij.
Herb veronic.
bugulæ,
hederæ terreſtr.
ſanicul æ an. Mij.
Muſci pulmonar. ſaxatillis flavi P. ij.
ſem. aniſi unc. ß.
lini drachm. ij.

Inciſa

Inciſa, & contuſa in vitro aſſerventur. Egentiores loco ejus utantur vel ſolâ veronicâ, vel auriculâ muris, vel hederâ terreſtri, vel muſco ſaxatili flavo.

Thee Antipodagricum.

℞. *Radic. bryoniæ,*
ariſtoloch. rod.
leviſtici an. unc. ß.
Herbæ chamædryos,
chamæpityos,
betonicæ,
cichorij ſylveſtr. an. Mij.
Flor. primulæ veris Mj.
Hermodact. non carioſ.
Semen dauci
leviſtici unc. ß. *Inciſa & contuſa aſſerventur.*

Pauperculi recipiant vel radicem lappæ minoris flavam, vel angelicam ſylv. cum toto, vel bellidis minoris flores, & folia, vel radicem, & flores primulæ veris, vel deniqve flores ſambuci.

Thee Antinephriticum.

℞. *Radic. filicis mar.*
filipend.
raphan. min.
pimpinell. ſaxifr. an. unc. ß.
Herb. virgæ aureæ, Mij.
ericæ.
beder. terreſtr.

ſerpill.
muſc. pulmon. ſaxatil. flav. an. Mj.
Flor. geniſtæ
althææ
parietar. an. Mß.
Semen. violar. Mart.
fraxini,
dauci,
urticæ urent. an. drachm. ij.
petroſelin. drachm. iij.

Qvibus arctior res familiaris, adhibeant vel ſolam radicem petroſelini cum ſuo ſemine, vel radic. taraxici, vel pimpinellæ ſaxifragæ, vel herbam auriculæ muris, vel flores chamæmeli noſtr: vel artemiſiam rubram, vel veronicam, vel ex illis aliqvot.

Thee Antiſcorbuticum.

℞. *Radic. raphan. maj. unc.* ß.
chelid. min. unc. ß.
morſus diabol.
ariſtol. rot. an. drachm. iij.
Herb. cochlear. rec.
becabung.
naſturt. aqv.
ſilimbr. cardam. an. Mj.
ſalviæ
betonicæ an. M.
Fl. roſ. canin.
geniſt. an. Mj.

Sem.

Sem. eruc.
naſturt. hyb.
cochlear. an. drachm. ij.
dauci unc. ß.

Hoc infuſum breviori tempore incaleſcat, qvàm cætera, ob volatilem plantarum ſubtilitatem; ſi tamen herbas excluſeris, infundendi ſpatium æqvale cæteris eſto. Plebi hîc ſervierit vel radix raphani maj. vel marini, foliorumqve ejus, vel thlaſpi acerrimum, vel funaria recens, vel trifolium paluſtre, vel deniqve ſedum vermiculare.

Thee ſplenericum, & Antimelancholicum.

℞. *Rad. fibroſ. helleb. nigr. unc. ß.*
byron.
ariſtol. rot. an. drachm. iij.
polypod. unc. ij.
Herb. ſcolopendr.
epithymi,
bugloſſ.
ceterach,
meliſſ. an. Mj ß.
Lign. aloës. raſp. unc. ß.
Sem. pæon. mar.
aqvileg.
aniſ. an. drachm. v. Inciſa & contuſa aſſerventur.

Vulgus hîc adhibeat vel fumariam, vel meliſſam, vel ſumitates hyperici, vel radicem polypodij, eventu haud dubiè ſalutari, ſi ſatis diu in uſu perſtiterit.

Sed paradigmatum satis, cùm in proclivi sit cuivis non planè hebeti, ad qvemvis morbum plantas in compendio hoc signatas pro re natâ accomodare. Id postremo hìc intuendum, ut ægri palato qvodammodo satisfiat, nè plantæ advocentur prorsus amari, aut austeri, aut cæteroqvin alio modo inviſi saporis, qvæ bibentem absterreant, atqve adeò utilissimum potionis hujus usum vel inhibeant, vel retardent. Hinc germinum in superioribus larga affertur seges, ut seligantur gratiora, neqve enim omnibus probatur sapor idem, sed diversus diversis. Sed & id advertendum, Thêe specificum in morbis fervidioribus, ut causo, phrenitide &c. commodiùs propinari tepidum, qvàm pæne fervens. Et qvia publico hæc scribuntur, non alienum fuerit indicâsse, hanc præservandi, medendiqve ratione etiam classibus, copiisqve terrestribus oppidò convenire, ubi major ferè numerus hominum perit morbis, qvàm ferro hostili. Qvid autem facilius? qvàm in tali articulo febricitantibus (de intermittentibus sermo est) *infusum qvotidianum chamæmeli no-* „ *stratis* propinare, in malignis *infusum scabiosæ, scordij, morsus* „ *diaboli, angelicæ.* Neqve corripientur temere morbis malignis, qvi *infuso granorum juniperi* se qvotidie munierint, nec diarrhœâ, aut dysenteriâ, qvi infuso *radicis acori. Mantissæ loco*, paucis agere decretum est de pharmacis, potissimùm inqvilinis, tum iis, qvæ *morbis puerorum*, opponi solent, tum qvæ in *chirurgicis* salutarem opem pollicentur. Igitur

Morbi infantum, & puerorum curandi ferè ut adultorum, habitâ tamen ratione ætatis, & nutricis, qvæ iisdem propemodum

modum imbuenda medicaminibus, & alimentis, qvibus deberet infans, si esset provectior; speciatim verò ita progrediendum:

Acores, seu *crusta lactea capiti circumfusa* postulat infusum, vel syrupum florum persicorum laxantem; item syrupum fumariæ, cichorij, borraginis. Caput leniter eluatur decocto malvæ, parietariæ, chamæmeli, pòst inungatur butyro majali cum momento florum sulphuris, si necesse est. Vel fiat ungventum ex semin. nasturtij hortensis, & pingvedine suillâ. Item affricetur aqva veronicæ freqventer.

Epilepsia, post syrup. de cichorio cum rhabarbaro, curatur *syrupo* flor. & radicum pœoniæ maris, *aqvâ* tiliæ, & *aqvâ spirituq;* cerasorum nigrorum, *infusò* aut *aqvâ* radic. valerianæ sylvestris, aut sigilli Salomonis, item pulveris flavi ex lycopodio excussi. E collo suspendatur ungula alcis, smaragdus, corallia; bregmati imponatur farina tenuis succini, & seminis pœoniæ maris.

Pavores in somno corriguntur semine aqvilegiæ, & pœoniæ maris, item pulvere Marchionis abstinentiâ à cibo liberaliori.

Catarrhus suffocativus (in qvo humor & crassus è capite in in pulmones confertim irruit, & asthma difficillimum inducit) tollitur syrupo de frangulâ, dosi per intervallâ auctiori, ut ad vomitum instigentur etiam, si necesse est, repetitum. Qvòd si res in angusto est, propinentur gr. VII, vel IX. vitrioli albi in lacte, ut vomitus abundantior seqvatur. Si minùs molestè urget, offeratur semen violar. Mar-

tiar. per aliqvot dies ad scrup. ß. in vino scillitico. Suturæ coronali imponatur emplastrum ex contusis limacibus.

Vigilia nimia sistuntur, post usum syrupi rosarum solutivi, semine papaveris albi, aut ejusdem syrupo. Nutrix alatur jusculis, cui incocta lactuca, portulaca, endivia. Tempora inungantur ungvento populeo, cui additæ guttæ aliqvot olei de anetho.

Strabismus, si à perversâ consvetudine est, corrigitur lævâ loco, qvo videndum, pertusâ.

Humiditas aurium, nimia, post usum syrupi florum persicorum, curatur si nutrix diætæ sicciori assvescat; interea laventur aures urinâ pueri, cui origanum incoctum est, & abstergantur sæpe linteis carptis.

Dentitio molesta indicat, fricandas gingivas cerebro leporis, sangvine cristæ galli, decocto cancrorum, adipe gallinæ. Si inflammatio adest, fricentur gingivæ oleo rosaceo, lacte canino, medullâ crurum eqvi, immò, si necessitas flagitat, scalpello hinc inde aperiantur.

Aphthæ, (in qvibus lingva infantum, & os exulcerantur, vestiunturqve crustâ albâ) postulant, ut partes affectæ, præsertim lingva, perfricentur folio salviæ asperiori in aqvâ sambuci madefacto, & post decocto chamæmeli mellito, cum tantillo terebinthinæ crudæ. Convenit & aqva saturejæ, bujulæ, veronicæ, serpilli, hederæ terrestris, jusculà raporum cum saccharo, phlegma vitrioli, tinctura flor. aqvilegiæ cum syrupo dianucum. Vel fricetur lingva aqvâ, inqvâ exstinctum est ferrum, per spongiam sambuci applicita, addito momento diamori, aut mellis rosati.

Tussis

Tussis violentior indicat serpilli infusum cum saccharo, jusculà raporum mellita, decoctum radicis helenij cum syr. violarum. Pedum inferiora ungantur pingvedine lucij, sebo hircino, butyro majali, abluantur pedes decocto chamæmeli, serpilli, verbenæ.

Vomitus lactis, singultus, debilitas stomachi, reqvirit, ut pars affecta perfricetur oleo cydoniorum, absinthij, menthæ. Applicatur & sacculus ex rosis rubris siccis, absinthio, pulegio, chamæmelo, menthâ. Interius, post usum syrupi rosarum solutivi, propinetur syrupus è rosis siccis cum momento mastiches, vel thuris.

Colica tormina sedantur semine anisi, Zedoariâ; causâ tollitur syrupo de cichorio cum rhabarbaro: fomentum paratur ex semine anethi, cari, cumini, cannabis, herbâ pulegij, flor. chamæmeli; & ex iisdem parantur clysteres.

Inflatio hypochondriorum curatur syrupo flor. persicorum, semine anisi, fæniculi, anethi, cari, pœoniæ maris, radice pœoniæ. Venter inungatur oleo rutæ, absinthij: emplastrum applicetur de baccis lauri.

Alvi nimia adstrictio solvitur hac potione: ℞ Rad. gramin. fol. senn. an. drachm. ij. pulpæ tamarindorum drachm. vj. sem. anisi drachm. ij. M. f. infusum in seri lactis ℔. ij ß, sæpe indè bibat æger. Venter inungatur butyro, in qvo Mercurialis, & atriplex ebulliere, vel ungvento de arthanitâ cum oleo absinthij, & felle tauri, Clysteres recipiant inter alia muscerdam.

Alvi fluxus tempore dentitionis non sistendus est; aliàs offeratur syrupus de cichorio cum rhabarb. menthæ, cydoniorum

orum, aut de rosis siccis cum tantillo seminis plantaginis, clysteres admoveantur ex furfure triticeo, rosis rubris, & vitello ovi cum momento terebinthinæ.

Lumbrici excutiuntur semine cinæ, & hyperici; placenta ventri imponitur ex ol. absinthij, felle tauri, & comis tanaceti. Nec parum proderit lac chalybe tinctum, si bibatur.

Umbilici prominentia, si à flatu est, agendum semine cari, cumini, anisi, fæniculi; si à ruptura peritonæi, musco pruni sylvestris, & emplastro oxycroceo.

Hernia flatulenta tollitur fomento ex flor. sambuci, & sambucinâ aqvâ, oleo chamæmeli, anethi, ruthæ murariæ. Si ruptura usqvam adest, fiat linimentum ex oleo rosarum, vitellis overum, gummi tragacanthi; vel adhibenda ligatura cum emplastro stictico; aut si flatus adsunt, cum emplastro carminante Sylvij. Sunt & qvi hîc laudent lenticulam palustrem, auriculam muris, item transitum subitum per fissam recentissimè qvercum. Interiùs convenit pulvis ophioglossi.

Calculus Vesicæ poscit tincturam cinerum leporis spiritu juniperi factam, juscula temperata baccis cynosbati juniperi, & alkekengi, item semine lithospermi, radice petroselini, summitatibus virgæ aureæ: balnea prosunt ex herb. malvæ, parietar. genistæ; inunctiones ex ol. lilior. alborum, verbasci, scorpionum.

Urinæ incontinentia sanatur infuso fluorum, & seminis hyperici, item pulvere gutturis gallinæ, aut ossis sepiæ: pecten inungitur oleo rosar. rubrarum, cydoniorum, myrtino, Comitissæ: balneum paretur ex foliis qvernis cum tantillo sulphuris, & nitri: diæta infantis, & nutricis siccior esto.

Inter-

Intertrigo & ſcabies albuantur decoctò herb. parietariæ, fl. althææ & malvæ, radicis lappæ acutæ flavæ; poſtea inungantur partes ungvento de nihili albo; applicetur locis dolentibus carpta lintea: nutrix bibat ſerum lactis, cui fumaria, endivia, rad. cichorij, lactuca, borrago, incocta. Ipſe infans hauriat ſubinde ſyrupum de cichorio cum rhabarbaro, aut florum perſicorum. Si locus ulceribus, & ſcabie fœdus eſt, perſpergatur radice ariſtolochiæ rotundæ ſubtiliſimè tritâ inter lintea carpta, aut goſſypium.

Macies è vermibus dorſi & brachiorum emendatur balneis ex cinere qverno, & radice graminis, ſummitatibus hyperici, marrubio albo, ſcordio, ſemine lupuli; poſt perfricentur membra affecta melle, & medullâ panis, ut vermes capita exſerant; qvo cognito, fricentur iterum cruſtâ panis aſperiùs, ut eadem abrumpantur. E collo ſuſpendantur corallia, & ſuccinum.

Rachicis (in qvo malo caput intumeſcit, & tuberculis affligitur, venter tumet, ſpina dorſi cum tibijs, & oſſibus cubiti incurvatur, adeſt torpor, impatientia, reſpiratio difficilis) tanqvam ſpecificum cum agnoſcit *infuſum* filicis floridæ: conveniunt tamen etiam herbæ aperientes, cortex tamariſci, radix filicis maris, capilli Veneris, antiſcorbutica, ſpiritus ſalis armoniaci primus infuſo tamariſci temperatus; item primum ens Veneris Boyleò hîc laudatum.

De ambuſtis videantur, qvæ ſeqvuntur proximè, chirurgica.

Mammæ nutricum ſi *indureſcunt*, foveantur cataplaſmate ex farinâ ſeminis lini, avenæ, fœnigræci, althææ, medullâ panis

nis siliginei ex lacte, vel aqvâ sambuci: *si tument*, cataplasmate ex semine cannabis, aut lentibus: *si nimis lacte exundant*, cataplasmate ex coriandro, petroselino, portulacâ cum tantillo aluminis, superimponatur textum illud cœruleum, nobis blaa Filt dictum; non comedat nutrix ad satietatem: si *rimas agunt*, ungvento pomato, adipe hirci, oleo ovorum, & præcipuè gummi tragacanthi insperso. Claudunt agmen *Chirurgica*, qvæ itidem remediis indigenis debent plurimùm, de qvo hîc paullo explicatiùs.

Abscessus, dum pus fit, *inungitur* oleo lumbricorum terrestrium, vel ipsis lumbricis conqvassatis & impositis; *maturatur* panis triticei medullâ lacti incoctâ, item pulte avenaceâ applicatâ, sicut & cataplasmate ex flor. sambuci, verbasci, melle & farina siliginea: *evacuatur* scalpello, vel imposito semine sinapeos cum oleo ovorum; vel inverso ficu: *mundatur* infuso radicis aristolochiæ rotundæ, centaurij minoris, betonicæ, agrimoniæ: digestivum imponitur ex terebinthinâ seu resinâ abietis, & vitellis ovorum: *claditur* farinâ tritici, pulvere radicis aristolochiæ rotundæ, fabarum, & tandem super impositis linteis carptis.

Ambusta, si malum tantùm in superficiei est, hac viâ curantur: ℞. Albumina ovorum No duo; olei rosacei unc ij. aqv. rosar. unc. i. bene permistis imbuantur lintea mollia, & applicentur tepidè, hæreantqve in loco affecto, sed subinde irrigata eodem magmate donec sanitas redierit: sub finem qvarti die lintea applicata hinc inde forfice discindantur, & superimponatur linteum aliud loco albuminis, vitello imbutum. *Vel* ℞. mucilagin. seminis cydonior.

cum

cum aqvâ rosar. factam,& cum oleo lini subactam,applica tepidè. *Alij* calcem vivam bene lotam, aut cretam cum oleo lini subigunt, & tepidè applicant. *Vel* admove mucilaginem corticis tiliæ,& corticis interioris sambuci. *Vel* decoctum tepidum radicis filicis maris, herbæ crassulæ, velleris typhæ, linteisqve exceptum applica. *Si cutis non planè ambusta est*, sed tantùm in rugas contracta, applicari potest succus cæparum melle permistus. Vesiculæ ante qvartum diem non temerè aperiantur: Postea confert ol. populeum, ol. rosaceum, ol. ovorum. *Si ambustio ab aqvâ fervente* est, applicentur linteа aqvâ tepidâ & tantillo fellis bubuli permista. Laudatur & in ambustis pæne omnibus lixivium ex cinere ligni tiliæ, cum oleo lini remistum, item ℞. aqv. calc. viv. coqve cum ol. lin. donec albescat, fiat cum tantillo ceræ emplastrum. *Si ab ictu scloppi caro, & venæ perustæ*, infundatur loco affecto ol. coct. hyperici, verbasci, lini, sambuci calidiusculè, & his deficientibus, butyrum liqvando à suo sale liberum. Sedato non nihil dolore, extrahatur globus, si qvis ibi hæret, applicetur mox digestivum commune, ceu vocant, ex vitello ovorum, terebinthinâ, & oleo rosaceo: turundis inungatur butyrum recens insulsum cum ungvento basilico miniri.

Bubo simplex fricetur oleo communi, in qvo sulphur tritum deferbuit, vel applicetur cataplasma & farinâ seminis lini, althææ, malvæ, chamæmeli cum oleo liliorum albo rum, aut pingvedine gallinæ, aut anatis.

Venereus emollitur emplastro de ranis cum Mercurio; & instituitur, si necesse, per Mercurium ptyelismus.

Pestilens foveatur cæpâ in cineribus coctâ, & theriacâ, vel scordij pulvere imbutâ, addito ad aperiendum momento fimi columbini. *Vel* imponatur emplastrum ex fuligine, & sinapi. Tutissimè, & citissimè aperitur hic bubo butyro antimonij liqvido, & postea cucurbitulis extrahitur virus. De parotidibus, & carbunculis idem esto judicium.

Casus ex alto plerumqve sangvinem alicubi coagulatum relinqvit, qvi dividi solet potu lageæ lupi infuso, aut decocto radicis rubiæ tinctorum, item herbæ serratulæ, & consolidæ Regalis. *Velschius* laudat stercus ovillum ad dr. ij. tanqvam hic conveniens sudoriferum.

Clavi pedum ita tolluntur: foveantur pedes per aliqvot dies subinde decocto chamæmeli, malvæ, parietariæ cum cinere fagino: hinc leniter circumcidendi scalpello clavi, citra sangvinem. Post applicentur folia sempervivi majoris, viridi illâ pelliculâ detractâ, ad dies novem, foliorum impositionem bis qvotidie renovando; ita radix clavorum obtunditur, & marcescit. Alij picem sutoriam diu imponunt, alij ceram viridem, alij contusam raphani radicem.

Elephantiasis, seu *lepra vulgaris* mitigatur aqvâ stillatitiâ sangvinis suilli, infuso crebro radicis hellebori nigri, herbæ calamenthæ, epithymi, fragorum, fumariæ: *tollitur*, nisi inveteravit admodum, ptyelismo per Mercurium satis diu continuato. Externa inungantur oleo communi in qvo sulphur deferbuit.

Erysipelas,

Erysipelas, si *criticum*, levi sudorifero ex rob. sambuci,& sale carduibenedicti ex aqvâ fumariæ expugnatur; exteriùs imponatur pulvis siccus & tepidus ex farinâ siligineâ, floribus chamæmeli, sambuci,malvæ roseæ. *Si gravius est,& symptomaticum,* convenit missio sangvinis è latere opposito; alterandus qvoqve sangvis potâ aqvâ fragorum, endiviæ, portulacæ,lactucæ, & syrupo flor. nymphææ albæ; conveniunt & emulsiones ex 4. seminibus frigidis, semper attendendo, ne qvid nimis. Deniqve veniendum ad sudoriferum superius, & externa; inter qvæ laudatur fascia ex linteo non insolato,sed aqvâ smegmatis,& sambuci succo spissiori imbuto, atqve ad ventos exsiccato. *Alij* ex spiritu vini,camphorâ,lithargyrio, nitro, cretâ misturam conficiunt, & linteis exceptam applicant. Qvod aliqvando ex frigore contrahitur *erysipelas* faciei, emendatur misturâ applicatâ ex spir. vini, saccharo saturni, camphorâ. Si tamen ex nimio vini meracioris usu, & obstructione hepatis natum est, agendum priùs satis diu aperientibus, & abstinentiâ. Alias in omni erysipelate laudatur epithema ad erysipelata, & aliàs inflammationes *Zwelferi.*

Ficus curatur, si carnisficuum triplo admisceas exuviarum serpentum simplum, atqve subinde applices. *Vel* si album græcum in vino dissolvas, applicesqve. Si accedit *dolor hæmorrhoidum*,applicetur cataplasma, ex porri recentis Miiij micæ panis triticeæ librâ ß. croci opt. dr. ß. Misce in mortario cum lacte caprillo,& admove.

Fistula ani, si *recens*,curari solet diuturno potu infusi veronicæ, item tincturâ Antimonij: si *provectius* malum est,

incidenda more crucis fistula ad fundum usqve hinc eximenda, qvantum licet, vena mandans, reliqvum ferro candente urendum, metu recidivæ; post curandum malum, ut vulnus simplex.

Funiculi sive *catervia* inuruntur ope salis fraxini, vel lixivij saponariorum calce vivâ roborati, vel lapidis dicti infernalis ex argento in aqv. forti soluto & coagulato parati, item butyro Antimonij: *aperti servantur* globulis ex ligno hederæ, radice helenijgentianæ, &c.

Fracturæ curantur justâ extensione membri fracti, repositione ejusdem, & fasciis, atqve qviete. Idem ferè de luxationibus observandum, de qvo uberius scriptores Chirurgici.

Ganglion imminuitur impositâ manu hominis mortui gelidâ, item emplastro de cicuta, item lamina plumbea, Mercurio tantillum inunctâ. Qvandoqve & excussima manu rumpitur, & sanatur. *Vestingius* mavult laminam auream imponere.

Gangræna semimortuam partem ostendit, *sphacelus* planè mortuam: hic abscissionem citam postulat, illa sacrificationem in vicina carne, & mox applicationem hujus misturæ, & ex mellis rosati colati unc. iv. ungventi Ægyptiaci unc. ß. calcis vivæ dr. iij. Misce. Vel cape Mercurium, præcipit, & cum ungv. Apostolorum misce, appone. Idem præstat butyrum Antimonij. *Alij* partem affectam lavant spiritu vini ungvento Ægyptiaco medicato, marginesqve inungitur oleo de lateribus. Egeni abluant partem decocto scordij, rutæ, alliariæ, absinthij, urticæ, radic. consolidæ

lidæ majoris, muri i brassicæ acidâ; foveant admotis pomis putridis. Laudatur & dilutius lixivium ex carbonibus tiliæ; *item* stercus anserinum, qvod intra & extra juvat.

Herpes simplex impeditur admoto decocto persicariæ maculosæ, foliis rubi idæi, oleo ericæ, gummi pruni arboris, succo auriculæ muris, aqvâ calcis vivæ saccharo saturni imbutâ.

Inflammatio sive *phlegmone* curatur 1. venesectione etiam si opus, repetita, 2. cucurbitulis in parte adversa. 3. discutientibus ex *radice* althææ, iridis nostr. *floribus* lilior. alb. melloti, sambuci, ebuli, hyperici, *herbâ* senecionis, geranij, sedi majoris *foliis* herbæ Paris. Si dolor gravis urget, applicetur œsypus, ol. rosaceum, ol. seminis althææ cum momento aceti, succiqve sedi majoris. Adjici potest tantillum radicis cynoglossæ cum sumitatibus ericæ. Diæta sit refrigerans.

Lentigo abluitur aqva florum sambuci, & fabarum, radicis sigilli Salomonis, & scrophulariæ, item gummi cerasino in aceto dissolvto, adito momento farinæ avenaceæ.

Oedema, sive tumor ex pituita molestus, fovetur cataplasmate ex hyssopo, semine sinapios, stercore columbino, & diachylo cum gummi: qvòd si ad suppurationem venitur, addatur digestivum ex terebinthina, & vitello ovi.

Paronychia, sive *panaritium* mitigatur, si ovo recens exclvso, & adhuc calenti imponatur digitus dolens. *Vel* imponatur mucilagio seminis psyllij cum pingvedine gallinæ. *Si abscessus supervenit*, is scalpello aperiendus, & locus melle rosaceo cum farina lupinorum inungendus. *Vel* imponatur

natur cataplasma ex herba paronychia prima, bene contusa.

Pernio avertitur sevo cervino, aut suillo cum spiritu hordei affricto; *præsens* curatur decocto raporum applicato; *inflammatio comes* tollitur decocto rad. cyclaminis, item mure vivo in duas partes dissecto & imposito: *ulcera* sanantur rapis sub cinere coctis, contusisqve & cum pulvere gammari, atqve ungvento rosaceo admotis. Alij applicant cutem halecis fumo indurati. Tutissimum est cerebrum cornicis recens impositum. Valet & germen tritici sub nive adhuc viresçens, item puls avenacea cum radice ranunculi remista.

Porrigo emendatur, si caput freqventer abluitur decocto cicerum, & florum malvæ, post universalia.

Scabies humida ut rectè curetur, purgandus primùm æger pilulis de fumariâ, de lapide Lazuli &c. hinc bibat freqventer serum lactis, in qvo *radix* cichorij, taraxici, lappæ flavæ, scrophulariæ, *herba* fumariæ, lupuli, matrisylvæ, numulariæ deferbuerunt. Laventur & partes decocto *foliorum* betulæ, nepetæ, lichenis, scabiosæ, chamæleagni, *florum* gallij lutei; item allio lacti immerso perfricentur partes affectæ. Juvat & succus ranunculi flammulæ cum adipe suillo. Egregiam qvoqve operam præstat oleum per infusionem è nasturtio Indico. *Sicca* curatur difficilius; „vincitur tamen etiam longo usu succi fumariæ in sero lacctis, & jusculis, endivia, lactuca, spinachia, cichorio, borragine, epythymo temperatis: item tinctura Antimonij. Externè adhibeatur hoc ungventum: ℞. pingved. suillæ veteris

teris unc. iij. liqveſeat ad ignem, percoletur; tum adjice ſulphuris vivi optimè triti, baccarum lauri an. drach. iß caryophyllor. Indicorum dr. ß. cort. radicis lappæ flavæ ſcr. j. M. F. ungventum. Vel ℞. ſapon. virid. Hollandici unc. iij. florum ſulphuris dr. iij. olei ligni Rhodij gutt. XI. Miſce, affrica. *Ad ſcabiem beſtiarum* adhibent veterinarij oleum betulæ.

Scirrhus, ſeu tumor durus, ex acido nodoſus, curatur *purgatione* per extractum hellebori nigri, ſuccum polydodij, epithymi, & ſeminis violarum; hinc *cataplaſmate* ex radice bryoniæ, althææ, ſemine lini, &c. ſtorcore caprillo; tandem emplaſtro de cicuita cum momento adipis cervini. Juſcula omnia temperentur ſcolopendrio, epithymo, fumaria. Neqve hîc inutilia ſunt chalybéa.

Spina ventoſa, ſive oſſium in ſuperficie caries *mitigatur* emplaſtro de ranis cum Mercurio; *curatur* ferro candente. Specificum hîc eſt ſemen cardui porcini tomentoſi ad ſcrupulum unum in juſculo qvotidie, donec reſtituatur.

Verrucæ auferuntur ſucco foliorum ſalicis, ranunculi vulgaris, portulacæ, braſſicæ viridis, & chelidonij majoris, item lacte eſulæ affricto. *Qvidam* lardum inſulſum lunæ naſcenti opponunt, & poſt ſæpe affricant. *Alij* cinerem bryoniæ ſucco bryoniæ permiſtum allinunt. Prodeſt & manus mortui impoſita.

Ulcera præmiſſis univerſalibus duo poſtulant, adſtringentia, & ſarcotica; ſed ut muniatur ijs via, præmittendum digeſtivum ex terebinthina, & vitello ovi, donec caro ulceris hinc inde incipiat erubeſcere, Si adeſt ulceri *intemperies*

calida, addendum ungventum de ceruſſa; aqva plantaginis, burſæ paſtoris, roſarum: ſi frigida oleum hyperici, chamæmeli, decoctum ſalviæ, hyſſopi, lavendulæ: ſi *humida*, pulvis marrubij, rad. ariſtolochiæ rotundæ, ſqvammarum ferri: ſi *ſicca*, hydrelæum tepidum, ſuccus malvæ, aut craſſulæ, cum oleo lilior. albor. & butyro recenti. Inter *adſtringentia*, & *ſarcotica* ſunt millefolium, hedera terreſtris, jacobææ, veronica, abſinthium ſeriphium, pimpinella ſangviſorba, thalictrum, plantago, ophioglosſum, ſerratula, folia qvercus, & tabaci, lupicrepitus, radix conſolidæ majoris.

Sordida, abluenda lixivio braſſicæ, & corticis fabarum cum melle, atqve tantillo Mercurij præcipitati; vel admoveatur digeſtivo ungventum Ægyptiacum.

Galloſa, poſcunt emollientia, & ſuperficiem erodentia, vel levem in labris ulceris ſectionem, ut renoventur, & ſangvinent.

Fiſtuloſa, aperiuntur medulla ſambuci, radice bryoniæ, gentianæ: qvandoqve & ſectio neceſſaria eſt; qvo facto immittenda radix dipſaci vino incocta, aut centaurium minus, aut radix pimpinellæ ſangviſorbe cum ungvento Apoſtolorum. *Vel*, qvod efficacius ℞. alumin. unc. iſſ. diſſolve in aqv. comm. ſolutioni affunde limaturam chalybis, coqve, donec aqva dulceſcat; dulcem liqvorem decoqve ad ſpiſſamentum, & ſerva. Poſt ℞. fl. hyperici adhuc nodoſos, fl. centaur. min. fl. verbaſc. qv. pl. extrahe per ſpir. vini tincturam, cui addé dicti magmatis qv. pl. infunde tepidè ulceribus ſinuoſis, ſordidis, fiſtuloſis ſæpe, donec

fundum

fundum obſerves laudabilem. Qvo viſo adde aliqvid tincturæ myrrhæ,& aloës ad conſolidandum. Si magna impuritas adeſt,exedatur illa ære in ſpiritu ſalis diſſoluto.

Gangræno ſa reqvirunt ea,qvæ de gangrænâ dicta ſuperiùs.

Cum carie oſſis conjuncta,poſtulant, ut os *denudetur* vel cáuſtico,vel radice gentianæ,vel ſectione; *denudatum* ſcalpro radatur ad usqve ſanam partem, vel inuratur ferro candente,ut in ſpinâ ventosâ monitum.

Scorbutica mundentur aqvâ marinâ, in qvâ abſinthium ſeriphium, & baccabunga bullierunt; & poſtea ſanentur vel emplaſtro de lapide calamitari;vel ungvento, qvod ſeqvitur: ℞. folior. tabaci recentium contuſorum unc. viii. pingved. percinæ unc. iv. radic.conſolid.maj. unc. ß. coqve lento igne ad conſiſtentiam ungventi.

Venerea, qvæ *leniuntur* emplaſtro de ranis cum Mercurio; *tolluntur* ptyelismo per Mercurium.

Vulnera ita tractantur: 1. eximantur aliena,tela,oſſicula,globi, pili. 2. obligetur vulnus faſcijs, 3. adhibeantur digeſtiva ex terebinthinæ optimæ, aqvâ ſolani lotæ unc. j. farinæ hordei, vel lini dr. j. vitello ovi uno. 4. jungantur partes diviſæ glutinantibus,qvæ ex virgâ aureâ, ſanicula, hypericò, auriculâ muris,mummulariâ, ophigloſſo, bugulâ, veronicâ,millefolio,muſco qverno,pimpinellæ ſangviſorbæ, conſolidæ majoris,& ulmariæ radicibus præparantur in pulveres,ſuccos, olea,balſama,extracta, emplaſtra. Hic & locum habet oleum fraxini per deſcenſum,& tinctura ſuccini, atqve florum hyperici; item raſura priapi tauri inſperſa.

Arteriæ vulneri infundatur pulvis gallarum aceto permistus, & bene appressus, aqva styptica ex alumine, & vitriolo confecta, lupi crepitus in tenues sectus lacinias, & tandem, si opus, cauterium actuale.

Nervis vulneratis auxilio est tinctura florum hyperici, balsamum Peruvianum nigrum, oleum lumbricorum, oleum ceræ, & præsertim juniperi non rectificatum, item cerumen aurium.

Venenata vulnera, â telo venenis illito, â morsu animalis irritati, aut rabidi inflicta reqvirunt, ut 1. venenum vel suctu cucurbitularum, vel podice columbæ deplumato, vel sacrificatione eliciatur 2. infundendum vulneri oleum juniperi non rectificatum, ubi priùs theriacâ, scordij & gentianæ pulvere, succo cæparum, & vino rubro probè elutum est. 3. vicinæ partes ligaturis compescendæ, nè malum serpat versus nobiles. Interiùs propinetur theriaca, pulvis gammarorum, flores tunicæ, borraginis, buglossæ. Ubi nulla ampliùs suspicio veneni, curetur malum, ut vulnus simplex. Si *hydrophobia* superveniat, æger aliqvoties ex improviso in mare præcipitetur; assumatqve postea pulverem ex flor. rutæ, verbenâ, salviâ, absinthio, artemisiâ, melissâ, betonicâ, hyperico, centaurio minori.

Sclopetorum vulnera, qvia contusionem, lacerationem, aliqvando & ambustionem, & subinde venena secum ferunt, majorem initiô curam deposcunt: igitur 1. mitigandus dolor vulneris oleo hyperici, florum verbasci, lini, lumbricorum, & horum defectu, butyro infuso. 2. adhibendum digestivum ex terebinthinâ, vitello ovi, oleo rosaceo, un-

gvento

gvento basilico minori cum butyro recenti, idqve omnibus turun-tis illinendum cum momento myrrhæ,& thuris. Ambustio,venenum,læsio arteriæ,qvid reqvirant, ex superioribus petendum. Symptomatis ita sedatis tractandum id vulnus qvoqve ut aliud simplex.

Sed de ulceribus, vulneribus &c. alij diffusè: diæta ubiqve secundum naturam mali gubernanda, ita ut in ulcere,aut vulnere sicciori ea declinet ad humidum, in humidiori ad siccinum,&c. Proinde in corpore,aut ulcere sicciori multus sit usus ptisanæ hordeaceæ, & jusculorum simplicium; in humidiori assa probantur magis qvàm elixa, item loco potûs decoctum gvagaci,aut cerevisia,cui coni abietis,cortex fraxini,scobs qverna inferbuere. Cicatricum inæqvalitatem impedit amalgama ex plumbo, & Mercurio cum emplastro diapom: pholygos parce remistum.

TANTUM.

TB
54 ORT
Står i pengeskab
463326
1668
300198642
DTV